14933

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO



R. P. FRANCISCI

COSTERI

E SOCIETATE IESV

PRESBYTERI, THEOLOGI DOCTISSIMI,

CONCIONES

IN EVANGELIA A DOMINICA Prima Quadrageſimæ vſque ad Dominicam SS. Trinitatis incluſiuè.

PARS III.

Nunc iterum ex Belgico, in Latinum ſermonem melius quàm anteà translatæ, & denuò in lucem editæ.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus ANTONII HIERATI, ſub ſigno Gryphij.

ANNO M. DC. XXVI.

Superiorum permiſſu, & cum grat. & Priuil. S. Cæſ. Maieſt.

14933

14933

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
DUCHOWNEGO

INDEX MATERIARVM QVINDECIM HARVM CATHOLICARVM CONCIONVM, AB IPSO NIMIRVM Quadrageſimæ initio vſq; ad Dominicam Trinitatis incluſiue, non quidem ordine alphabetico, ſed methodo Theologica procedens: Cuius prior numerus Concionem; poſterior paragraphum denotat.

DEVS

DEVS ab homine examinari recuſat. 1.3
Quo pacto ſolus ſit adorandus, colendusque. 1.13
Cur in nubibus quandoque conſpiciendum ſe præbeat? 2.7.
Cur ingenti cum ſonitu vocem edat. 2.8
A Deo Patre quo pacto Chriſtus ametur, & quo modo homines. 2.8
Deus ttipliciter nos tangit 2.10
Decem nos alloquitur modis, 3.1
Deus & natura nihil operantur fruſtra. 3.4
Ex corde iudicat actiones, non cor ex actionibus; 3.5
Decem comparationes digiti & Spiritus Sancti. 3.9
Quintuplici modo regnat Deus. 3.9
Quid de nobis cogitet Deus. 4.8
Rationes quatuor, cur auxilium ſuum vſque ad extremam neceſſitatis horam quandoque protrahat. 4.11
Conſideratio quid ſit Deus, quidue homo. 5.7
Fugientes honorem honorat Deus. 5.7
Peccata noſtra interdum vſurpat ad profectum noſtrum. 5.8
Ternæ Dei voluntates Roman. 11. 5.14
Duabus de cauſis hominem deſerit Deus. 5.18
Qui nam homines Deo opus non habeant. 6.6
Duobus modis auxiliatur nobis Deus. 7.5
Tres rationes cur in ſpecie ſenili Deus pater comparuerit. 7.6
Quo pacto ſuis cum amicis operetur Deus. 8.1
Cur in optimo vitæ ſtatu nos quandoque inuiſat. 8.1
Sex doctrinæ ad diuinam cognoſcendum potentiam. 8.2
Electis ſuis quo pacto opituletur Deus. 9.13
Quibus modis ipſe nos præueniat. 10.8
Quo pacto tribus ad Deum perueniatur modis. 11.2

Rationes denæ, cur Spiritus ante Christi in cœlos ascensum, in mundum non venerit. 11.6.
De eius aduersus mundum concertatione. 11.7.
Quibus modis arguat mundum. 11.7.
Primum illius officium est contra peccatum. 11.7.
Septem de causis nominatur Spiritus veritatis. 11.12. & 13.4.
Quo pacto in nobis, & apud nos sit. 11.8
Solus Deus futura prænouit. 11.14
De Spiritus Sancti prouidentia. 11.14
Quinque modis Christum nobis elucidat. 11.15
Ipse solus Scripturarum nobis edisserit intellectum. 11.15
Duobus modis nos amat Deus. 12.11
Quo pacto solus Deus omnia norit. 12.13
Tribus modis viuificat Spiritus Sanctus. 13.2
De libertate Spiritus Sancti 13.2
De eiusdem aduentu 13.2. quo pacto mittatur 13.3. quomodo semper in nos veniat. 13.3. proprio caret nomine. 13.4. octo similitudines eius cum vento. 13.4
Varia spirituum genera. ibid. Tres comparationes Spiritus Sancti cum humano Spiritu. ibid. Cur vocetur *sanctus*. ibid. De spiritu sapientiæ, intellectus, consilij, &c. ibid. Quid nobis adferat de Patre, Filio, ac seipso 13.5 illius testimonium in duobus consistit. 13.6. Ab illo spiritalem haurimus vitam 14.6. Tripliciter nos consolatur 14.10. Tria in nobis gestit operari. 14.12
Deus quintuplici nos diligit modo. 14.4. Est vbique per essentiam, præsentiam, potentiam. 14.5
Ternæ SS. Trinitatis personæ veraciter sua nobis conferunt dona. 14.5.
Quomodo ambulat in nobis Deus 14.6 Octo rationes quibus comprobatur Deum in rerum natura existere. 15.2
Triplex hominum genus negantium esse Deum. 15.1
Deum haudquaquam corpore esse præditum. 15.2
Quatuor rationes, conuincentes non nisi vnum existere Deum. 15.5
Dupliciter de Deo institui potest consideratio. ibid.
Tria Dei nomina in lege naturali, Mosaica, ac Euangelica. 15.5
De nomine *Iehoua* ibid.
De pulchritudine Dei. ibid.
Tres habet infirmitates. ibid.
Quam sit periculosum huic vni non famulari. ibid.
Quid sit *persona* & *suppositum*. ibid.
De charitate Patris. Ioan. 3.

CHRISTVS.

Cur non ieiunij exordio, sed potius fine tentatus sit. 1.1
Rationes quinque, cur à Spiritu sancto ductus sit in desertum. ibid.

Cur

Cur cum humani generis hoſte in arenam deſcendere voluerit. 1.2
Septem de cauſis in ſolitudinem ſeceſſit. 1.1
Ob decem rationes voluit à diabolo tentari. 1.2
Internis quibuſdam diuexatus fuit tentationibus. 1.3
Cur ſacris literis eæ proditæ non ſint. ibid.
Quinque de cauſſis eſurijt. ibid.
Cur aſperioribus verbis Sathanam non increpauerit. 1.6
Sequendus eſt quocunque ierit. 2.1
Tribus vtebatur veſtimentorum generibus. 2.2
Duodecim de cauſis Moyſes & Helias Chriſto apparuerunt. 2.5
An Moyſes proprio in corpore apparuerit. 2.5
Vnde Apoſtoli Moyſen & Heliam agnouerint. 2.5
Quo pacto Chriſtus Dei ſit filius. 2.8
Quomodo Chriſtus Deo Patri complacuerit. ibid.
Qua ratione Chriſtus cœlum per ſe regat, Eccleſiam vero per Vicarios ſuos. ibid.
Chriſti humilitas. 2.10 manſuetūdo. 3 6. fortitudo, 3.11. Eſt Dominus virtutū. 3.11. Rex glorię, fortis in prelio. 3.11. Omnium eſt Dominus ac Magiſter. 2.11. Omnia circuit, veluti mūdi oculus Sol. 4.1
Proprium Chriſti munus erat dæmones profligare. 3.6
De virtute Chriſti quæ quinq; modis diaboli ſuperat poteſtatem. 3.11
tribus modis dæmonem ſuperauit. ibid.
Duodecim modi, quibus Chriſtus colligit, dæmon vero diſpergit. 3 12
Chriſtum miſerias noſtras propria didiciſſe experientia magno nobis eſt ſolatio. 4.1
Tria homines ad Chriſtum pertrahebant. 4.3
Septem in quibus nos præceſſit Saluator. 4.4
Ob ſex cauſas ſolitus erat oculos leuare in cælum. 4 6
Cur ſuos tentet diſcipulos. 4.8. libenter innocentibus adeſt puerulis. 4.10.
Cur gratias Patri egerit. 4.13. de regno eius. 4.19. quas humanæ infirmitatis miſerias adſumpſerit. 5.2
Quatuor de cauſſis à Iudæis Samaritanus dictus. 5.5
Totidem quoq; de cauſſis diabolum eum habere calumniabantur. 5.5
Ob ſex cauſſas noluit inficias ire, Samaritanum ſe eſſe. 5.6
Quo pacto noſtra ſentiat peccata. 5.7. de eius ætate. 5.6
Tripliciter Patrem agnoſcit. 5.13. duos habet dies. 5.15
Quadrupliciter ſuos impedit inuaſores. 5 18
Diſcrimen vinculorum Chriſti ac diaboli. 6 5
Chriſtus vocabatur Magiſter ac Dominus. 6.6
Quatuor de cauſis voluit aſinæ miniſterio vti. 6 6
Qua pacto noſter ſit Rex, & vbi regnet. 6.7. De eius iuſtitia. 6.7. pauperate. 6. 7. Tria inde edocemur. ibid.
Nudus Chriſtus, nudè eſt ſequendus. 6.9. ſex Chriſti officia. 6.13. clauſo prodijt ſepulchro. 7.5. Quibuſdam eſt aſper, nonnullis verò lenis

lenis. 7.6. Cur humillima quæque exaltauerit. 7.8
Nouem rationes, cur resurgere eum oportuerit. 7.9. Vbi nam fuerit illo dierum 40. interuallo postquam resurrexit. 7.9. Quatuor de caussis non omnibus se palàm ostendebat. 7.10
Duo nobis præstanda incumbunt, vt à Christo visitemur. 8.2
Vtile est cogitare nos à Christo aspici. 8.2
Christus quatuor de caussis stabat. 8.3. in medio quotidie totidem de causis consistit. ibid. vult occupare cor. ibid.
Ob quinque caussas pacem suis est imprecatus Apostolis. 8.4
Ob sex rationes voluit vulnerum suorũ adseruare cicatrices. 8.5. Totidem de caussis etiam Apostolis conspiciendum se prębuit. 8.5 Omnia ærumnarum genera est perpessus. 8.5. Christum tribus videmus modis. 8.6. Quo pacto cibare eum oporteat ibid. Tribus de caussis nonnunquam suos increpabat Apostolos. 8.8
De nomine Christi. 9.2. Quatuor de causis pastor ouium vocatur. 9.2
Cur Dauidis appelletur nomine. 9.8. Septupliciter suas agnoscit oues. 9.9. Est Pastor noster maximè in hac vita. 9.8. Quo pacto proditorem suum monuerit. 9.13 trina vice Petrum de Ecclesię regimine est allocutus. 9.16 Cur citò resurgere eum oportuerit. 10.2 cur in cœlum ascendere. 10.3 Quo pacto malos passim ac bonos conspiciat. 10.16. ante passionem suam consolabatur eos, à quibus consolandus erat. 11.1. Dupliciter mittebatur. 11.2. Excusat suos. ibid.
Christi itinerationes quadruplici de caussa proficuæ erant. 11.5. Tres rationes cur in cœlum ascenderit. 11.6. Eius duplex iustificatio. 11.9. Cur per Spiritum sanctum potius Apostolos perfectè roborauerit, quã per se. 11.11. Quo pacto pro nobis oret. 12.9. Qua ratione omnia norit. 12.9 Quomodo corporaliter nobis præsens vel absens sit. 12.12. Quo pacto extremum iudicij diem ignoret 12.13. Quibus sanctum promittat Spiritum. 13.3. Octo de caussis multos voluit rerũ suarũ adsciscere testes. 13.7 Duos habebat sciendi modos. 14.8. Christus vadit & redit ad nos quintupliciter. 14.16. Quinq; de caussis se ipsum filium hominis nuncupat. 14.18. Quo pacto ad nos loquatur. 14.20. De eius à peccato immunitate. 14.22. Cur in horto pauere cęperit. ibid.
Perfectio obedientiæ Christi, atque imperfectio nostræ. 14.23
Christo soli fas est agere ac docere quæ vult. 15.2
De potentia quam in cœlis exercuit. 15.2
Quo nomine à Prophetis vocitetur. 15.5
Christus secundum diuinitatem ac humanitatem suam tripliciter nobis adest. 15.7

DE ANGELIS, ET SANCTIS, *Reliquiis ac Imaginibus.*

De custodia bonorum Angelorum erga nos ex D. Bernardo. 1.9

Tres

Tres rationes cur Angeli in resurrectione Domini conspiciendos se exhibuerint. 7.5. Quinque tractantur de Angelis. 7.6. Quatuor rationes cur in albis apparuerint. 7.6. Cur sederint. ibid. Quamobrem nobis adsint. ibid. Cur ad illorum apparitionem trepidemus. ibid. De corporibus illorum. 7.7. De illorum locutione. ibid. Angeli ac beati intuentur rerum nostrarum actiones. 7.8. Sunt æterni. 15.5 Quando libenter præsto nobis sint. 1.14

MARIA vbiuis locorum colitur. 3.16. peccatis haudquaquam obnoxia fuit. 3.17. inter Deum ac hominem mediatrix est. 3.17. Quid in illa imitari deceat. 3.18. eius dignitas est infinita. ibidem. & 3.17 Hæretici eam blasphemant. 3.17. Quanta blasphemia à Constantino Copronymo impetita sit. ibid. Quantum exhilarata fuerit tempore resurrectionis filij sui. 7.1. Cur ad sepulchrum reliquis cum mulieribus non se contulerit. ibid. Christus post resurrectionem eam inuisit. ibid. Cur Euangelistæ literarum monumentis nequaquam id consignauerint. 7.6

RELIQVIIS Sanctorum profligantur dæmones. 1.10. de tunica Christi Saluatoris, Treuiris adseruata. 2.4. Vestes Sanctorum in pretio habendæ. 2.4. Brandeum quidnam Gregorio vocitetur. ibid. De reliquiarum cultu ibid. De lana S. Agathæ apud Catanenses. ibid. Cophini reliquiarũ, quibus Apostoli fuere vsi, à Constantino Imp. religiosè adseruati sunt. 4.17. Cur asina cui Christus insedit, loco reliquiarum habita non sit. 6.9. Reliquiæ non minus quam sacræ imagines tempore processionis circumferuntur. 6.10. ædicula Lauretana ex Palæstina in Latium est translata. 7.8 De clauis ac lancea Christi Saluatoris. 8.17

SANCTI duplici modo opitulantur nobis. 12.10. quo pacto in cœlis iam pro nobis interpellent. 12.8. B. Maria intercedebat pro Apostolo Petro. 7.10. Precibus Stephani prothomartyris conuersus fuit Paulus. 12.2. Petrus defenditur ab hæreticorum calumnijs. 14.17. Iacobus Apostolus Iberis concionatus, Hierosolymis interimitur. 2.1. Apostoli ex voto pauperes erãt. 4.7. Christus Sanctos suos quadruplici veneratur honore. 5.12. Apostoli tribus de caussis bini incedebant. 6.3. Missio Apostolorum in sex rebus potest comparari cum missione Christi. 8.8. Enoch & Elias non fruuntur adhuc perfecta Dei visione, neque etiam in statu sunt merendi. 2.11. Marcella ac Martha Christum laudabant. 3.16. Sanctorum res gestas non possumus in omnibus imitari. 3.18. Quo pacto S. Franciscus fratribus suis studijs incumbere prohibuerit. 5.14. S. Thomas sex peccatorum genera demonstrabat. 8.14. Quatuor vicibus Apostoli Spiritum sanctum percepere. 8.9. Quo pacto Paulus cupierit esse anathema pro fratribus suis. 9.4

S. ECCLESIA.

Cur diuersa vitæ genera Christus in Ecclesia instituerit. 3.7. Romana Ecclesia non est Babylon. ibid. Regnum Dei quintupliciter potest accipi. 3.9. nomen Catholicum primitiua Ecclesia vsitatum fuit. 4.2 Ecclesia est Sacramentorum domicilium. ibid. Tribus de caussis Christū in S. sua Ecclesia sequi oportet. 4 3. Petri fides fundamentū est Ecclesiæ. 4.4. Tria sunt in S. Ecclesia loca 6.4. Triplici de caussa Ecclesia Sioni comparatur. 6. 7. De filia Sion. ibid. Ecclesia non nisi vna est 9.6. Duo ouilia, Gentilium ac Iudæorum. 9.13. Duplex inter vtrumque discrimen. ibid. Emolumentum quod ab Ecclesia nobis prouenit. 9. 14. Quatuor notæ Ecclesiæ. 9. 14. De vnitate illius. 9. 15. de excommunicatione. ibid.

Ecclesia est vna duntaxat, veluti vnum corpus, aut vna ciuitas. 9. 15. Quatuor sunt quæ ciuitatis conciliant vnitatem. 9. 15. Tres sunt in Ecclesia scholæ. 11. 11. Ecclesia quotidie efficitur doctior. ibid. Spiritus Sanctus est Spiritus veritatis, Ecclesiæ promissus. ibid. Sex doctrinæ quo pacto Ecclesia in veritate edoceatur. 11. 12. Tria promittuntur Ecclesiæ per Spiritum sanctum conferenda. 11. 11. Ecclesia fidei dogmata nunquam variat, sed mutat subinde cæremoniarum ritus. 11. 12. Quintupliciter Christus quotidie Ecclesiam suam magis magisque edocet. 12. 7. Etiamnum Ecclesia testimonio Spiritus sancti gaudet. 13. 6. Discrimen inter Synagogam & Ecclesiam. 13. 9. Ecclesiæ persecutoribus nunquam solet esse bene. 13. 10. De septem columnis domus Dei. 14. 6. Perpetua Christi præsentia non solum Apostolis, sed & Ecclesiæ promissa fuit. 15. 7

Quo pacto Christus Ecclesiæ suæ semper præsto sit. ibid. In tribus potissimum suæ adsistit Ecclesiæ. ibid.

PAPA ET CONCILIVM.

Quo pacto etsi Apostoli dignitate pares fuerint, Petrus tamen vertex illorum sit habitus. 4. 11

Papa potest iniquos Principes imperio priuare. 6. 9. De imperij translatione. ibidem. De triplici, qua Pontifex vtitur, corona. 8. 10. Discrimen inter Petrum, cæteroſq; Apostolos. ibidem. Christus terna vice Petrum de Ecclesiæ regimine interpellauit 9. 16. *Primo* Matthæi 16. *Deinde* Lucæ 2. *Postremo* Ioann. 21. De authoritate Pontificis. 9. 16. Hæresis nunquam Romanam contaminauit Ecclesiam. ibidem. De primo Apostolorum Concilio. 14. 12. Concilium Elibertinum quo pacto picturas in Ecclesia prohibeat. 15. 2

ECCLESIASTICI.

Ecclesiasticos verba decent Ecclesiastica. 1. 10. Qua intentione ad dignitates accedendum sit. 2. 1. De vestibus sacris Ecclesiasticorum ac Monachorum. 2. 4. Episcopi non sunt paris authoritatis omnes. 2. 12. Simultates Ecclesiasticorum. 3. 3. De exorcistis Ecclesiæ. 3. 8. Ecclesiastici debent etiam temporales elargiri eleemosynas. 4. 7. A pecuniarum vsu ac professione quam remotissimi esse debent. ibid. Presbyteros oportet esse doctos etiam in secularibus. 4. 9. Diuersi sacri altaris ministri. 4. 11. Prælatis Ecclesiarum competit spiritalia ac corporalia beneficia ijs cõferre, quibus oportet. 4. 13

Duplex Prophetarum munus. 4. 18

Ecclesiasticos decet esse irreprehensibiles. 5. 2

A quibus vitijs debeant esse immunes nostri æui Sacerdotes. ibid.

Diuini verbi præcones non legitimè missi, respuendi. 5. 12

Quatuor hominum genera vtiliter ad aliorum promouendam salutẽ ablegari queunt. 6. 3

Sacerdotum in dimittendis peccatis potestas. 6. 5

Quintupliciter Apostoli homines absoluebant. ibid.

Sacerdotibus à solo Deo potestas confertur. 8. 8

De Sacerdotum dignitate, qui angeli nuncupantur. ibid.

Sacerdotibus octo sunt consideranda. ibid.

Cur Iudam Saluator ad Apostolatum delegerit. ibid.

Sacerdotes sunt quasi Dij quidam. 8. 10

De corona quam in vertice gestant. ibid.

Duplici gaudent dignitatis priuilegio. ibid

Duplex est Apostolis collata potestas; nempe *Ordinis* ac *iurisdictionis*. ibid. Duplex iurisdictio. ibid.

Quo pacto Apostoli dignitate fuerint pares. ibid.

Malorum conuersatio Sacerdotum, nostræ non patrocinatur excusationi. 9. 14

Constantinopolitani Patriarchæ inauditus fastus. 12. 3

RELIGIOSI.

Religiosorum status ab exordio Ecclesiæ initium cœpit. 1. 1

Quo pacto mundo sit renuntiandum. ibid.

In edito consistunt monte, qui omnibus renunciant; qui vero quibusdam duntaxat, in colle. 2. 1

Singularis hominum religiosorum delectatio. 6. 2

Religio monti comparatur, continetq; tria vota. ibid.

Sancti delectantur adesse religiosis, vtpote Dei amicis. ibid.

Religiosorum status, Martyrum proximè accedit. 3. 16

Aduersus eos qui religiosos iure patrimonij spoliant. 3.17
De religiosorum hominum statu. 4.7
Multa religiosorum cœnobia diuinæ diffidunt bonitati. 4.9
Opes Benedictinorum. 4.9. Multi Reges ac Principes monasticem sunt amplexi. 4.19
Religiosi qui sese iactitant de initiatorum suorum sanctitate. 5.10

SVPERIORES AC SVBDITI.

Episcopis ac Prælatis vigilanter circumspiciendum. 4.6
Secularis Magistratus debet Ecclesiasticas promouere ordinationes. 4.7. Qualis eligendus Magistratus. ibid.
Duplex Apostolorum, eorundemq; successorum munus. 4.11
Ecclesiasticis Prelatis competit diuinæ iussionis voluntatem ex sacris haurire litteris. 4.12
Officium Doctorum Ecclesiasticorum. ibid. Regum. 6.7
Quomodo Prælati suis debeant adesse ouibus. 6.9. ac nullum pecoris agnoscere. 8.10
Boni Pastoris officium in sex consistit. 9.2
Bonorum Superiorum munus. 9.3
Heli ob filiorum impunitam nequitiam punitus. ibid.
Multi non tam oues, quam aliæ sunt bestiæ. ibid.
Quo pacto Sancti constituentur vrbium præfecti. 9.4
De remissis ac negligentibus Superioribus. 9.5
Perfectionis status Episcoporum ac religiosorum. ibid.
Sex rationes, ob quas Episcopus suo queat renunciare Episcopatui. ibid. Non potest sine permissu Papæ religionem ingredi. ibid. Quo pacto à sua queat abesse diœcesi. ibid. Quid sit fugere. ibi.
Oues non possunt à mercenario se subducere. 9.7
Pastorum est, ouibus præsentes se exhibere. ibid.
Reprobi mercenarij ad restitutionem obligantur. ibid.
Plures reperiuntur mercenarij, quam veri Pastores. ibid.
Tria ouium genera. ibid. quinque bonarum ouium indicia. 9.14 Tres sunt formæ bonæ gubernationis, *Monarchia*, *Aristocratia*, & *Democratia*. 9.16. *Monarchia* quinq; de causis optima est ibid.
De Superioribus ac Concionatoribus, populi fauorem consectantibus. 11.5
De Apostolorum ordinationibus. 11.11
Bonus discipulus suum non culpat Magistrum. 12.2
Bonus religiosus etiam beneplacitum sui adimplet Superioris. 14.8
De Prælatis potestate sua abutentibus. 15.3
In Legatorum functione quatuor insunt. ibid.

VER-

VERBVM DEI, DOCTRINA CHRISTIANA, Scriptura, Traditio.

Christiani hominis doctrina in actione potius quam locutione consistit. 1.1
Christus non docuit Apostolos concionandi modum. ibid.
Scriptura ab hæreticis ad varios detorquetur errores. 1.9
Tria errata diaboli, in allegandis Scripturis. ibid.
Deus apertè disseruit de ijs Sacramentis, quæ ad salutem sunt necessaria. 2.8
Efficacia verba illius. *Ego sum.* ibid.
Sextupliciter Deus homini loquitur. 2.9
Verbum Dei diuersimodè ab hominibus degustatur. 3.3
Libenter illud audire, bonum est indicium. 3.18
Auditio perceptum magis mouet, quam lectione. ibid. est antiquius latiusque ipsa Scriptura. ibid. Quo pacto benè queat custodiri. ibid. Quibus modis Deus nos post auditam concionem probet. 4. 8. & 8.12
Scriptura non est vbique æquè aperta. 4.17
Concionatoribus frequenti lectioni insistendum. 5.3. Haudquaquam illis obmutescendum. ibid.
Cur veritatem nemo libenter audiat. 5 3
Quidnam sit, audire Dei verbum. 5 4
Quid sit Dei verbum, ibid. de eius efficacia. 6.6
Cur Euangelistæ non tam Prophetarum verba, quam sensum vsurpent. 6.7. Duplici de causa vetus citant instrumentum. ibid.
Quando Apostolis sensum Scripturarum Christus aperuerit. 8.12
Quinque de causis Scripturæ sunt obscuræ. ibid.
Spiritu diuino debent elucidari. ibid. Periculosum est, nihil præter Scripturas velle admittere. 8.20. Non est cuiusuis eas interpretari. 9.14 Triplici explicantur mystico sensu, nempe, Allegorico, Tropologico, Anagogico. 9. 14. Solus Spiritus sanctus ritè earum edisserit sensum. 11.15 Excellunt omnia alia scripta ac decreta. 14.12. Septem de causis voluit Deus illas esse obscuras. 8.12
Cur Euangelista Ioannes suum scripserit Euangelium. 8.20
Cur ante baptismum, fide oporteat esse præditum. 8.21
Formam baptismi potius ex traditione quàm Scripturis accepimus. 15.5. De Apostolica Traditione. 11.13
Tribus de causis obscurè locutus est Christus. 12.6
Quo pacto vtiliter Verbum Dei queat audiri. 10.4. eius conditiones. 10. 7. Veritas sileri non debet. 11.5

Malis

Malis hominibus Dei verbum parabolæ est loco. 12.6
Quid sit de Deo sermocinari. 12.7. Verbum Dei à scandalo liberat. 13.8
eius vtilitas. 14.9
Quo pacto Christi verba aduersitatis ac prosperitatis tempore rumi-
minanda sint. 14.16
Nemini sine Apostolica missione docere fas est. 15.3
Quo pacto affectus & intellectus auditoris moueatur. 15.6

FIDES, FIDVCIA, MIRACVLA.

De fide mortua. 5.3. Cur dæmones fide sint priuati. 8.19. Fides sine o-
peribus non iustificat. ibid.
Quid sit fiducia. 12.2. de vera fiducia. 4.8
Miracula Catholicorum sex fiunt modis. 3.3
Mundi conuersio summum est miraculum. 3.4
De varijs miraculis, quæ quinque seculorum decursu contigêre. 3. 8.
Christus tribus de causis miracula edidit. 4.3. Cur modo nulla
amplius edat. ibid.
Quare miraculorum signis interdum non conuertamur. ibid.
Hæretici effutiunt, paulatim in rebus fidei mutationem irrepsisse. 4.4
Fides Petri quo pacto fundamentum sit Ecclesiæ. ibid.
Duo requiruntur ad veram concipiendam in Deum fiduciam. 4.9
De diffidentia Moysis ac Apostolorum. 5.3
Sancti quadrupliciter miracula operabantur. 5.12
De agnitione fidei. 5.13. Vnde fidei sit colligenda magnitudo. 8.19
Quæ signa Christus nobis reliquerit. 8.20
Septem fidei dona. 14.19. De Spei certitudine. 4.8
Paruulis fides vna cum virtutibus infunditur. 15.3
Quo pacto fide credimus vnum duntaxat esse Deum, cùm etiam ra-
tionibus id liceat adsequi. 15.5

CHARITAS, AC MANDATA DEI.

Duo Christianorum vincula, præcepta ac promissa. 6.5
Proximis perfectionis inculcanda est semita. 8.13
Deum orare, signum est nos eum diligere. 12.11. charitas incircum-
scriptibilis est. 14.2. Eius proprietates. ibid.
Quatuor modis reliquas excellit virtutes ibid. Sex gradus charitatis.
ibid. Quinque considerationes ad acquirendam charitatem. i-
bid. Charitas mercenaria non est. 14.3. Tria indicia, quod cha-
ritate Dei destituti simus. 14.2
Quatuor obligationes ad diuinorum obseruationem mandatorum.
14.3. Tribus de causis Christus mandata sua vnum esse dicit.
ibid.

Hæ-

Hæretici dicunt impossibile esse Dei obseruare mandata. ibid.
De Charitate proximi 14 4. Quo pacto diligendus sit. 14. 17.
Apostoli multa præceperunt præter ea, quæ Christus obseruanda tradidit. 15. 6. Chtistus quintuplicia mandatorum genera ijs tradidit. ibid.
Charitatis præceptum quatuor de caussis appellatur nouum. ibid. 6

SACRAMENTA.

Propter occulta peccata nemini negandum Sacramentum 4. 3.
Extremæ vnctionis oleo solent interdum conualescere ægroti. ibid.
Christus omnia in Sacramentis operatur. 4. 13. Externus Sacramentorum, reliquiarumque ornatus 6. 9. Sacramenta non acquirunt sanctificandi vim ex meritis administrantiū 7. 10. Caussæ speciales cur Sacramenta Christus instituerit. 8. 9. Duo sufflatu conferuntur. ibid. Christus in illorum institutione apertè est effatus. 8. 10.

BAPTISMVS.

Christus Petrum baptizauit. 2. 8. Paruuli necdum baptizati, inimici sunt Dei. 3. 12. quid expresse ante baptismum credere oporteat. 8. 21. & 15. 3 Effectus Baptismi & Cōfirmationis 14. 3. quid nobis in baptismo conferant Pater, Filius, ac Spiritus sanctus 15. 1. de Baptismi necessitate. 15 3. Pædobaptismus semper fuit vsitatus. ibid. de officio susceptorum ac patrinorum. ibi. Paruuli sunt obligati post baptismum præstare illa, quæ patrini ipsorum nomine spopondere. ibidem. Quid significet baptizare. 15. 4. Eius materia est aqua elementaris. ibid. Septem rationes, cur in elemento aquæ institutus sit. ibid. Aqua baptismi sanctificatur cum chrismate ibid. De cæremonijs Baptismi, ibid. Omnibus licet baptizare, etsi Sacerdotibus ordinariè competat. ibid.
De intentione baptismi ibid. de forma verborum. 15. 5.
Ex traditione potius illam habemus, quām ex Scripturis. ibid.

CONFIRMATIO.

Confirmationis necessitas. 14. 3. Eius gratia debet ad praxin redigi. ibid. Quatuor signa, an hæc gratia in nobis decreuerit ibid. Decem eius fructus. ibid. Cur solis incumbat Episcopis confirmare. 14. 11. Est nouæ Legis Sactamentum. ibidem. Quatuor eius cærimoniæ ibidem Quid sacrum denotet chrisma. ibidem. Quid crucis signum hic significet. ibid.

SACRAMENTVM Altaris.

De Venerabili altaris Sacramento. 4.1.& 6.7. quanta cum reuerentia suscipi debeat.4.1. Quinque in Agno Paschali olim adumbrata in hoc consummantur. 4.5. Qui sacrum Christi contrectant corpus, mundi esse debent.6 9. Quo pacto Christus hic corporaliter præsens sit 7.9. De virtute huius Sacramenti. 8 17. Quo pacto Christus & in cœlo,& in Sacramento sit.10.3. Altaris Sacramentum Spiritus sancti aduentum non impedit.11.6. Famelici esse debemus ad huius sacramenti susceptionem, & ad Spiritus sancti aduentum sitibundi. 13.1

MISSA, SACRIFICIVM

In fractione hostiæ non consistit huius Sacramenti essentia. 4.13
Tribus de causis post Dominicam *Iudica*, omittitur *Gloria Patri*, &c. in sacrificio Missæ 5.1. Tria Sacrificiorum, ac Presbyterorum genera. ibi.
De sacrificio Missæ.5.1.de Præfatione SS. Trinitatis. 15.1

SACRA COMMVNIO.

Christianis in vsu Romæ olim fuit per singulos quadragesimæ dies communicare 2 1. Diabolus sæpe impedit sacram communionem 2.7. An post sacræ Eucharistiæ sumptionem res liceat administrare domesticas.3.14. quo pacto olim frequenter Christiani communicauerint.4.5. Quid de hoc scribant Anacletus, Fabianus, alijque Pontifices.4. 5. Præceptum S.Lateranensis concilij anno 1213 ibi. Qui sint discretionis anni,ad hoc requisiti. ibid.
Quando pueris communicare fas sit ibid. Præcepit quidem Christus sacram sumendam Eucharistiam, sed non definiuit quando. ibidem.Mala quæ ex rariori proueniunt communione.ibid. Vtile est frequenter sacram adire synaxin.4.13 De communione sub altera duntaxat specie 4.14 Fructus Sacramenti altaris 4.14 Tres diuersæ Dominicæ mensæ. 4.15. Digne sumenda sunt tremenda sacri altaris mysteria 5.1.auidè ad illa anhelandum est. 5.15.quo pacto sepulchrum Domini,efficiamur, sumendo hoc in nobis Sacramentum.7. 9. Tria hominum genera excusantium se,cur non queant frequenter communicare. 14 16

CONTRITIO, CONFESSIO, *satisfactio.*

De sincera contritione. 2.10. de examine conscientiæ. 8.10. in principio Quadragesimæ confitendum. 1.1. quo pacto præparare se debeant qui rarius confitentur. 3.14. De annua confessione. 4.5. Quis sit Sacerdos proprius ibid. Circa Pascha confitendum. 5.1. immò frequenter id agendum. 5.2. Confessio est nouæ legis Sacramentum. 8.10. comparatur Baptismo. ibid. De casibus reseruatis ibid. Confessio non est humana adinuentio. ibid. Non diu est differenda. ibid. Numerus peccatorum exprimendus. ib. quæ circumstantiæ necessariò confitendę ibid. Quinq, circumstantiarum genera. ibid. Quatuor confessionis impedimenta. ibid. Venialia peccata quo pacto extra confessionem dimittantur. ib. Quinque rationes, cur Sacramentum hoc à Christo institutum sit. ibid. Quinque confessionis emolumenta. ibid. Confessarius non facilè mutandus. ibid. Duo confessariorum officia. ibid. Quatuor vtilitates frequentis confessionis 8.10. Pœna quam luunt confessionis reuelatores ibid. Septem modis retinentur peccata 8.11. sedecim conditiones bonæ confessionis. 8.11. Tribus modis ex pudore & verecundia confitemur. ibid. De contritione peccatorum & maximè venialium ib. Duplici de causa periculosum est mortalibus diu inhærere peccatis. ibid. Contra confessionis pudorem. ibid. Quam taciturnum deceat esse Confessarium. ibid. Est iudex simul ac Medicus. ibid. de consilio ab illo exquirendo ibid. Sera pœnitentia rarò est vera. 11.2.

MATRIMONIVM.

Coniugatis quo pacto sit viuendum. 7.1

BENEDICTIO.

In benedictione mensæ petuntur quatuor. 4.13 Christus vult quotidie illam esse iterandam. ibidem. res benedictæ valent aduersus dæmonis noxam.

HOMINES.

Homo ab homine debet instrui ac edoceri. 1.10. Quatuor hominum genera ex D. Bernardo. 2.12. de animarum pulchritudine 3.9. Quo pacto liberum hominis arbitrium peccando labefactetur. 3.10. Anima ob suam nobilitatem à Deo ac dæmone diuersimodè appetitur. 3.11. Omnes homines aut cum Deo, aut contra eum sunt. 3.12.

Tria ornamentorum genera. 3.14. De ornatu corporis. ibidem. Mulieres sæpè deuotione viros superant. 3.16. Duplex ratio, cur filiorum prosperitas exhilaret parentes. 3.17. De honore ad quem filij parentibus sunt obligati ibid. Duplices sunt parentes, carnales ac spirituales ib. contra matres, proprijs vberibus filios non lactantes. ibid.

Sex modis passiones in hominibus dominantur. 4.11. Cur in sacris literis virorum solummodo ineatur numerus 4.12. Gratiarum actio post prandium recitanda 4.18. Quid in ea Deum precemur ibid. Duo hominum genera, existimantia non se fore peccato obnoxia. 5.2.

Quo pacto omnis homo dicatur esse mendax 5.13. Quibus modis homines iumentis efficiantur similes. 6.4.

Tria mulierum priuilegia. 7.10 senis de caussis angeli primo mulieribus Christi resurrectionem annunciarunt. ibid.

Christus totidem de caussis præ cæteris ijsdem se conspiciendum exhibuit. ibid. Mulierum officium. 7.10.

Duabus de caussis ad Apostolos mittuntur. ibid. De bona societate 8.2. Discrimen inter voluntatem ac velleitatem 8.4. Quo pacto melior sit iniquitas viri, quàm mulier benè faciens, Ecclesiastici 42.v.14.8.17.

De morte bonorum 10.16. Tres bonorum ac malorum differentiæ ibid. Cor hominis in lætitia latum est, in tristitia angustum 11.4. Corpus haudquaquam decet curiosè exornare. 12.11. Diabolus multa sibi in homine vendicat 14.22. Homo est microsmus 15.3. omnes creaturæ sunt in hominibus. ibid. Homo quo pacto imperfecta sit Dei effigies 15.5. Dei imago duplici modo nobis ineſt: nempe actualiter & habitualiter. ibi. Natura paucis contenta ibid.

HOMINES DIVITES AC inopes.

Pauperes quinque de caussis in mundo sunt. 4.7. Cur ad valuas Ecclesiarum consideant. ibid Quinque ab ijs edocemur. ibid. Sunt & ipsi ad eleemosynas obligati ibid. Non sunt delicatè enutriendi 4.10. Diuitum excusationes, cur non præstent eleemosynas 7.2 Pauperes amore Dei mendicare debent. 12.2.

HOMINES CHRISTIANI AC Catholici.

Catholici dupliciter vnam eandemque fidem profitentur. 9.15. De nomine Papistico. ibid. quinque sunt quæ hominem corroborant Christianum. 3.10.

IVSTI AC SANCTI Homines.

Quatuor bonorum hominum genera 1.1. cur boni iumentis comparari cupiant. ibidem. Homines Deum timentes in quinque rebus igni sunt similes, 10.1. Panis subcinericius Heliæ quo pacto Venerabile denotet Sacramentum, 2.1. De vestimentis viuentiũ sanctorum hominum 2.4. Homines sancti etiam minimos animaduertunt defectus 2.7. Bonorum Christianorum dignitas 2.8. Cur homines filij vocentur Dei. ibid. Bonorum hominum lætitia 4.1. Quid sit esse ex Deo 5.4. Signum filiorum Dei. ibid. Duo hominum genera ex Deo sunt. ibi. De prædestinatis ibi. Si Adam non peccasset, non nisi prædestinati fuissent nati. ibid. Septem proprietates bonorum cum asinis 6.4. Magni peccatores interdum cæteris feruentiores sunt 7.1. Qui sint prædestinati 9. 9. Quo pacto filij Dei nominemur ac simus 10.3 De spiritualibus bonorum hominum documentis 10.14. Cuiusmodi possit ædificationis exemplum à Capuccinis peti 11.9 Iustitia est in iustis 12.11. Dei amantes non facilè scandalizantur 13. 8. Bonis aliquando conducit, ex reproborum consortio excludi 13.9. Dignitas filiorum Dei. 14.4

HOMINES MALI AC PECCATORES

Ambitiosi honorant Deum, vt honores ab ipso consequãtur 1.7. Ambitiosi grauiter à Deo puniuntur 1.7. Quo pacto mundani ascendant 1.8. Omnis honor & opes, vmbra solummodò sunt 1.11. Mundo qualiter respondere oporteat 1.13. Cur mundani tantopere pro temporalibus adlaborent 2.1. Illorum ostenditur dementia 2.1 Quo loco mundus Christum habeat. ibid. Mali in vmbra mortis sedent 2.7. Tribus de caussis retrorsum cadunt 2.9. Duo capitanei mundum oppugnant, Christus & diabolus, 3.1. In septem cæcutiunt peccatores, 3.1 Duæ sunt in illis animositates 3.1. Quinam homines cõparentur muscis 1.3. Aduersus politicos 3.4. Peccatores desiderant miraculũ, vt aliter moriantur quam vixerint 3.4. Hypocritæ nõ quærunt ex toto suã obtegere hypocrisin 3 5. Conditio peccatorum 3.10. Mundus est inferni atrium 3.10. Diaboli apparatus in vestium curiositate ib. Quo pacto peccator à dæmone mulctetur. ibid Quidam sũt remotiores à Christo, quam alij 3.11. Quisnam cum Christo nõ sit, ib. Peccatores relapsi tribus de caussis solent esse deteriores 3.15. Cur reprobis prospera permittat Deus 4.9. Mundus perperam de Christo sentit. 4.11. Dei liberalitas, ac mundi tenacitas 4 17. Adamus ob ingratitudinẽ lapsus est 4 18. Mundani propter priuatum commodum Deum quærunt 4.19. Mundi dignitas ac fastus

fastus contẽnendus ib. Peccator secundũ animà mortuus est 5. 8 Carnales omnia ad carnis trahũt voluptatẽ 5. 9. Peccatores longè minoris faciunt Deum, quam est 5. 10. Multi pro Deo voluptates suas colunt 5. 12. Cur peccatores non sentiant peccatorum suorum pondus 5. 15. Mundi conditio ac status. ibid. A mundo haberi odio, bonum est indicium 6. 4. Obstreperi magis sunt iuuandi 6. 4. Mundus scatet miserijs ibid. Septem conditiones malorũ cum asinis. ib. De peccatoribus, Pascha pro Quadragesima habentibus 7. 1. Quæstiones pro indoctis disputationibus 7. 2.

De malorum inquietudine 8. 4. Quo pacto homo induretur 8. 13. Malia Deo non cognoscuntur 8. 19. Quo modo Christus Iudam monuerit 9. 13. Mali sæpè admonentur. ibid Cur Deus hic mala bonis misceat 10. 2. Cur mundus verbum Dei non intelligat 10. 7 Cur mundani vocentur interdum mundus 10. 11. & 11. 7. De lucta Spiritus Sancti aduersus mundum 11. 7. Tria mundi mala à Spiritu S. arguuntur 10. 7. Tres species iustitiæ mundanæ 11. 9. Infamia ministrorum diaboli 10. 10. Quo pacto peccatores Deus exaudiat 12. 2. Tres rationes cur mali bonos infectentur 13 11. Quatuor hominum genera, Spiritum S. parui facientia 14. 6. Tria hominum genera, eundem contristantia. ibi. Duæ stultorum species 14. 12. Tribus de caussis diabolus mundi appellatur Princeps 14. 21. Tria hominum genera Deum negantia, 5. 1

HAERETICI, INFIDELES, VENEFICI.

De antiquis recentioribus hæreticis 1. 1. Cur Deus pseudoprophetas ac hæreticos toleret 1. 2. Caluinistæ diabolo sunt fide inferiores 1. 5. Hæretici cum ratione defendere se non possunt, conuitijs rem gerunt 1. 6. De vno prosiliunt ad aliud 1. 7. Veneficorum mala ac peccata. 1. 7 Cũ hæreticis non diu colloquendum 1. 10. Tertullianus atq; alij complures ob fastum nimium lapsi sunt 2. 1. Sagæ in aquis non subsidunt 3. 1. de hæreticorum miraculis 3. 4. Non expedit vna in vrbe simul illos cum Catholicis commorari 3. 6 Quomodo incantatores dæmonem profligent 3. 7. Cur tot sint diuersa hæresum monstra 3. 7. Cur hæreticorum concionatores caudæ nuncupentur 3. 10. insignis Constantini Copronymi blasphemia. 3. 17

Hæresis viget vbique, sed non eadem 4. 2. Hæretici nugantur, paulatim fidei irrepsisse immutationem 4. 4. Caluinistæ Christi omnipotentiam inficias eunt 4. 14. Errores hæreticorum circa Sacrosanctum Missæ officium 5. 1. Cur diuersi Pontifices aliquid ad hoc sacrificium addiderint ibidem. Quinque interrogationes pro hæreticis 5. 3. Omnis hæresis tribus modis Deum blasphemat 5. 7. Hæretici bonitate non emendantur 5. 9. Quatuor eorum errores circa Sanctos 5. 10. Fide carent. 5. 12

Cur

Cur vna ex hæresi variæ mox pullulent ib. Hæretici deprauant intentionem Ecclesiæ 5.6. Contra vbiquitarios 7.9. De inquietudine hæresum. 8.5.
Quinam homines infideles sint 8.6. Quo pacto cum hæreticis syncera componenda pax 8.16 Eandem semper canunt cantilenam 8.20. Dicunt Christo non esse curam de ouibus suis 9.2 Naturam imitantur luporum 9.6 Omnes vno animo insectantur Pontificem ibid.
Sex modis omnia diripiunt ibid. In oppugnanda Ecclesia vnanimes sunt, licet inter se discordes. ibid. Quatuor gentilium species 9.13. Nullæ gentes ab hæreticis vnquam conuersæ 9.13. Hæretici nomine duntaxat Christiani sunt 9.15. Nulla potiuntur vnitate ib. Negant Sanctos videre Deum 10.7. Tria illorum peccata 11.7. Tria infidelium genera 11.8 Causæ hæresum 12.11. Aduersus hæreses Græcorum, Arrij, Macedonij, Sabellij 13.3. Discrimen inter persecutiones gentilium & hæreticorum 13.10. Malè semper puniuntur Ecclesiæ persecutores ibid. Hæretici nugantur Dei præcepta obseruatu fore impossibilia 14.3. Quatuor hæreticorum in Spiritum S. blasphemiæ 14.5. Doctrina hæreticorum de Confirmationis Sacramento 14.11. Dicunt quemlibet à Spiritu sancto edoceri 14.12. Consuetudo omnium hæreticorum 14.18. Octo aduersus Anabaptistarum perfidiam 15.3

DIABOLVS AC TENTATIO.

In principio acrius nos dæmon aggreditur 1.1. Cur Christus in fine potius quàm principio tentatus sit. ibid. Spiritus sanctus permittebat diabolo, Christum tentationibus exagitare 1.2. Cur Lucifer nuncupetur diabolus, item sathan ac serpens antiquus. ibid. Cur Christus cum illo in aciem voluerit descendere ibi. Verbum *tentare* tria significat. ib Cur, & quo pacto Deus nos tentet. ibi. Decem de caussis voluit Saluator à dæmone tentari. ibi. Sæpe tamen internas adhuc alias illo tempore sustinuit tentationes 1.3. Cur hæ quoque cùm cæteris literis traditæ non sint, ib. Tentatio indicium est, placere nos Deo. ibid. Carni haudquaquam fidendum ibid. Cur diabolus nuncupetur tentator 1.4. Assiduè homines tentat ibid. Interdum etiam ex nobis ipsis tentamur ibi. Quinq; rationes cur Deus sinat nos à diabolo tentari. ib. Bonum est indicium, à diabolo tentari ib. Solitarios acrius infestat. ib Potest visibile assumere corpus, ibi. Cõsiderat naturales propensiones nostras ib. Nemini parcit. ibi. Quam terribilem habeant dæmones aspectum ib. Tentatio vacillantium, 1.5 Seditiosorum ibid. Diabolus tentans, alleuiat peccatum, ib. Quo pacto cùm maleficis agat ibid Nihil nobis precatur boni. ib. Cur Christus non seuerè illum increpauerit 1.6. Cuilibet tentationi opponendus est scripturæ clypeus. ibid
Corporaliter Christum diabolus sustulit. 17.

Etiam homines interdum per aera vehit. ibid. Tentatio iudicum de magis. ibid. Sub specie virtutis diabolus tentat. 1. 8. Grauem accipit ictum, dum viriliter certans, eum superas. ibid Consilium diaboli est, præcipitare. ibid. Tres eius errores in diuinarum citatione scripturarum 1. 9 Nominari Deum ægerrimè fert. ibid. Lucifer cuilibet suum destinat diabolum. ibid. Cum diabolo haudquaquam ineunda disputatio 1. 10. Sanctorum reliquijs profligandus. ibid. Proprijs potest expugnari armis. ibi Septem modis tentamus Deũ ibid. Diabolus phantasmatibus suis hominem tentat. 1. 11. Callidè subintrat monetq; festinandum. ibid. Accelerat vt æternis nos bonis spoliet, ibid. Gestit adorari. 1. 12. Præ se fert, quod sit mercator animarum. ib. Tria ipsius mendacia. ib. Paulatim suas aggrauat tẽtationes ib. Tres eius in Quadragesima tentationes. ib. Tria armorum genera aduersus quasuis diaboli tentationes 1. 13. Eum agnoscere plurimum nostris confert tentationibus ibi Tribus de causis interdum nos deserit. 1. 14. Quatuor modis hominem possidet, 3. 1. Vocatus mox adest. ib. Quatuor mala obsessis infert. ibi. Obsessi tria ab illo patiuntur. ib. Inuitus hominem deserit. ib. Cur cum variis passim pingatur. ibid Signũ, an quis plenè à diabolo sit liberatus 3. 2. Beelzebub est quidem Princeps dæmoniorum, sed non vbiuis locorum 3. 3. Principatus dæmonum tribus prouenit ex causis. ibid. Sunt obligati primatibus suis reddendæ rationis. ibid. Beelzebub cur princeps dictus muscarum. ibid Baal Palæstinorum præcipuum idolum ibid. Dæmonis studia ad inimicitias conciliandas 3. 6. Quo pacto Principes dæmoniorum in suos animaduertant inferiores. 3. 7. Ab infidelibus non profligantur dæmones. ibid. Eius technæ, quibus nos decipere gestit. ibid. Tribus profligantur modis 3. 8. Magna dæmonum potestas in sex rebus. 3. 10. Duabus de causis diabolus tenaciter suos retinet. ibid. In tribus hominum generibus conquiescit ibid Lucifer non habet in mundo vicarium. ibid De miraculis dæmonum inter gentiles. 3. 11. Diaboli vafrities. ibid. A quinque spoliorum generibus est priuatus ibid. Duodecim modi quibus diabolus congregat ac dispergit. 3. 12. Quidnam congreget. ibid Semel ab homine expulsus, non potest quo vult ire 3. 13. Vbi libenter degat, ibi. Eius quies ib. Domicilium. ibi. Eius vires minuuntur dum probè ei resistitur. ibid. Tribus allicitur. 3. 14. Tribus de causis libentius hominem post confessionem aggreditur. ibid. Septem operatur, quoniam pristinæ repetit habitationis domicilium ibid. Quo pacto magos ac veneficos pascat. 4. 17. Signum an quis à dæmone possessus. 5. 6. Tentationes superueniunt his, qui emendarioris vitæ suscipiunt propositum. 7. 4. Diaboli post Christi resurrectionem malitia. 8. 2. Cur dæmones fide sint orbati. 8. 19. Qui sint dæmonis vngues. 9. 16. Lupis comparatur. ibid. Diabolus Christi erat Antagonista, sed mundus Spiritus S. 11. 7. Duobus modis vires perdidit suas 11. 19. Eius prædictiones tribus de causis interdum

terdum sortiuntur effectū, 11.14. Eius circumspectio, ibi. Omnia promittens, nihil præstat, 12.2. Eius testimonium, 13.6. Contrario modo venit, quàm Spiritus sanctus, 14.11. Tres diabolicarum tentationum conditiones. ibid. Septem spiritus nequam oppositi septem donis Spiritus sancti, 14.12. Quinque de causis nominantur principes, 14.21. Non debemus esse negligentes, quippe cum diabolus non dormiter ibid. Duabus de causis malorum hominum actiones diabolo adscribuntur. ibid. Multa repetit diabolus in homine de suo. ibid.

CREATVRAE.

Ignis conditiones, 1.1. Quinque de causis boni cum igne comparantur, ibi. Christiani debent in creaturis Deum considerare, 2,11 Cur panis nomine scriptura omnem passim cibum vociter, 4.7. Cur cibo bene precemur, 4.13 Carnis abstinentia, 4.14. Quid prandij tempore in mensa agendum, 4.15. Quinque modis Dei munera elabi sinimus, 4.16. Comparatio terræ ad cœlum, 6.4. Natura lapidū pretiosorum. 6.6. Viua corpora tribus modis dicuntur perpetuò durabilia, 8.17. De magnitudine terræ, 10.2 In qualibet creatura reperiuntur tria, & vnum, vtpote SS. Trinitatis vestigia, 15.5. Quomodo creaturæ sint considerandæ, vtendæq;. ibid.

TEMPVS.

Cur nō seruemus tempus ieiunij Christi, 1.1. Fœlix qui Christi ieiunat ieiunium. ibid. Nostra Quadragesima conuenientissimo totius anni tempore instituta est, ibid Tria in Quadragesima sunt facienda, & tria omittenda, ibid. In quadragesima quatuor à nobis cupit expiscari Deus, 1.2. Quadragesimæ antiquitas, 1.2. Quatuor de causis Seruator noster præcisè ieiunauit dies quadraginta 1.3. Sex de causis etiam nos totidem ieiunamus dies, ibid. Quadragesimale ieiunium olim vti obseruatum, ibid. Ieiunij vtilitas quadruplex, ib. Ecclesia ad tria nos astringit quadragesimali tempore, ibi Cur in quadragesima Vespertinæ preces ante meridiem absoluantur, ib. Quæ sit isto tempore refectionis hora, ibid. Tria hominum genera a ieiunio excusantur, ibi. Diuinorum cognitio mysteriorū vltimis auctior est temporibus, 3.1. Qui sint discretionis anni, 4.5. Festa Christianorum debent esse separata à Iudæorum. ib. Christus duos habet dies, 5.15. De rogationum diebus. 6.10. Duo festorū genera ex B. Augustino, 7.1. In obseruatione Paschę, tria peragimus, ibi. Mysterium diei Dominicæ, Veneris ac Sabbathi, ibi. Tres causæ cur sabbathum supremum fuerit Iudæorum festum, 7.3. De obseruatione Sabbathi, ib. Festa quo pacto celebrare oporteat, ib. Diei dominicę prærogatiuæ, ib. Manè tempestiuè surgendum ac orandū, ib. Tres rationes cur in Penteeoste aër fuerit motus, 7.5. Quo tēpore Christus resurrexerit. ib. Cur Paschali tēpore nobis exultandū, 7.6. Cur & quo

& quo pacto tribus diebus, totidemque noctibus in sepulchro Saluator conquieuerit, 7. 9. Christus Sabbathum in Dominicam cõmutauit, 8.15. Omnes Dominicæ post Pascha aliquam habent singularem consolationem, 10. 1. Cur tempus vitæ nostræ longum reputemus, 10.2 Illius potius breuitas ex quatuor potest cognosci, ib. Tria parientium mulierum tempora, 10.14. Tria tempora de spirituali Christi parturitione, ibid. Quo pacto semper sit orandum, 12.2. De lætitia dierum festorum, 12.5. De tempore tribulationis & consolationis. 12. 13. Duabus de causis vno eodemque die noua & antiqua Lex promulgata est, 14.1. Quando & quo pacto noua sit promulgata, ibi. Contra hæreticos Pentecosten exsibilantes, ib. Quatuor de causis post Pentecosten temporalia sunt instituta ieiunia, ibid. Cur Pentecosten habeamus die 50. post Pascha, & 10. post Ascensionem, ibi. Quatuor in Pentecoste Apostolis euenerunt, ibid.

LOCA SACRA.

Hierusalem cur sancta vocitetur, 1.7. Tria sacrorum locorum genera in veteri Lege, & sex in noua, ib. In locis sacris etiã degunt reprobi, ib. De monte Thabor, 2.1 Cur Christus libenter in montibus orare sit solitus, 2.1. & 4.4. Cur legum immutatio in montibus facta, 2. 1. Deo ampla sunt ædificanda templa, 2.6. Tria hominum genera in nubibus reperiuntur, 2.7. Duabus de causis hominẽ in templo diabolus magis aggreditur, quam alibi, 5. 18. Adamus in Caluarię mõte est humatus, 6.1. Quid significet *Bethania*, 6.2 Tria sunt in S. Ecclesia loca, 6.4. De monte Sion, 6.7. Cur scriptura non expresse templorum præcipiat ornatum, 6.9. Quo pacto Christus sacris in locis visitandus, 7.2. Omni cum reuerentia degendum in Ecclesia, 7. 9. De peregrinationib. ad loca sacra, ibi. Cur Christus discipulis Hierosolymis conspiciendum sese exhibuerit. 7.11

VETVS TESTAMENTVM, FIgura, significatio.

Mysterium quadragesimalis numeri, 1.3. Qui, & quare in scripturis nonnulli vaccę appellentur pingues. 1 4. *Halma* virginem significat domi absconditam, 2.1 & 7.1. Senarij numeri significatio, 2.1. Cur vxor Loth in statuã mutata salis, 2. 2. Quid Christi corpus ac vestes in Transfiguratione designent, 2 4. Noui ac veteris Testamẽti discrimen, 2.6. Quid significent aurum, argentum, & lapides pretiosi, 2.6. Audire Christum, tria significat, 2. 8. Iustrumentum Dauidici Psalterij, Christi denotat crucem, 3. 9. Nomen *Spiritus* indefinitè positum, bonum denotat genium; si autẽ aliquid ei iungatur, malũ, 3.13. Duodecim cophini spiritales, quos implere fas est, 4. 1. Agni Pascha-

Paschalis cæremoniæ, 4.5. De numero centenario, ac qninquagenario, 4.11. Item millenario, 4.12. Discrimen victimam inter ac sacrificium, 5.1. Quid significet *Amen*, 5 8. & 9.10. Item *Bethania*, ac *Bethphage*, 6.2. Venire in nomine Domini quinque denotat, 6.13. Quid *Iesus* significet, 7.8. Quid *Nazarenus*, ibidem. De cereo Paschali, 7.10. Aaronis virga figura erat Christi, 9.2. Nomen *parabola* sextupliciter vsurpatur, 12.6. Religiosorum vestes quid significent, ibid. Nomen *Paracletus* duo insinuat, 13.2. item Synagoga, 13.9. Discrimen inter Synagogam & Ecclesiam, ibid. Linguæ igneæ duo denotabant, 14.11. Mysterium numeri, 1.20. ex B. Clement. & Gregorio, ib. Chrisma quid significet, ib. De signo S. Crucis in Confirmatione. ibi. Impositio manuum denotat tria, ibid. Expositio signi S. Crucis. De nomine Hebraico tetragammaton *Iehoua*, 15.5. De tribus spiritibus. ibid.

CHRISTI PASSIO, CRVX, GRATIA, vocatio.

Nō frustra nobis Christus sua elargitur munera, 1.1. Quid Deus à nobis requirit, quando eius nos famulatui addicimus ib. Quatuor de causis Moyses & Helias in monte Thabor de Christi passione disserebant, 2.5 De excessu quem Hierosolymis compleuit, ibid. Tres causæ passionis Christi, 5.1. Erat offerens & oblatum, ibid. Tribus ex causis mortem subijt. 1. per Patris iustitiam. 2. per charitatem suam. 3. per odium Iudæorum, 5.3. Decem rationes cur Hierosolymam passioni elegerit, 6.1. Quid mons Oliueti significet, 6.2. Quatuor rationes, cur terra in Christi passione ac resurrectione tremuerit, 7.3. Dignitas crucis Christi, 7 8. De ijs qui viuentes cū mortuis qnærunt, ibi. Sex de causis Christus nos passionem suam redimere voluit, 9.12. Virtutes quas ex Christi cruciatu haurimus, ibid. Cur videatur suam parui facere passionē, 10.2. Quinam de Christi doleant passione, 10 10. Iudas Christo compatiebatur, 10.15. Christi passio iter ipsius est ad Patrem, 11 9 Litera *Thau* est insigne Christi gestamen, 14.21. Cur in horto agonizauerit. 14.22

TRIBVLATIO, PVNITIO.

Tribulatio occasionem nobis subministrat discendi, 1.6. Quidnam doceat, ibid. In tribulatione fiducia in Deum conijcienda, ibid. Omnis huius mundi lætitia, tristitia est permista, 2.5. Cur Deus interdum notabiliter puniat, 2.9. Peccatori sæpè immittit iustas corporales tribulationes, 3.1. Fructus tribulationis est, compati, 4.1. Multis haudquaquam conducit conualescere, 4.3. Exactiones vectigalium nostram ob auaritiam increscunt, 4.10. Etiam in aduersis laudandus Deus, 4.18. Regium est pati sine causa, 5.2. In aduersis propinquior est nobis Christus, 6.9. Duo difficultatū genera, 7.4

Christus omnia aduersitatum subijt genera, 8.5. Tribus de causis electis suis immittit tribulationes Deus, 10.11. Maledictio mulierum propter Euam, 10.13. Spiritus sanctus parcit nemini, 11.8. Duo persecutionum genera, 13.9. Tria sunt quæ tribulationes aggrauant, 13 10. Quatuor bona insunt tribulationibus. ibid. Tribus modis boni in aduersitatibus suis consolantur. 13.12

AGNITIO ET ADMIRATIO.

De agnitione Dei, 5.14. Modus ad illam pertingendi, ib. Quando bonũ sit admirari, 8.6. Cur Christum ignoremus, 9.10. Septem agnoscitur modis, ibid. Christiani sancte viuentes, quinque modis possunt Christum perfectius agnoscere, ibid. Etiam per malos magistros Christus nos edocet, 9.13. Reprobi duabus de causis rarius vident Christum, 10.2. Tria nobis incumbunt interroganda, 11.3. Cur id facere negligamus, ibi. Quintuplicem cognitionem Spiritus S. Apostolis infundit, 11 12. Duo stultorum genera, 14.12. Tribus modis docet Spirit. S. ib. Duobus modis nostram renouat memoriam, ib. Præstantius est scire pauca de reb. eximijs, quàm multa de exiguis, 15.2 Nulli Philosophorum concessa SS. Trinitatis cognitio, 15.5. Hanc autem partim ex S. literis, partim ex diuina habemus reuelatione, ib. Longè est difficilius considerare tres personas in vna essentia, quàm duas in vna eademq; persona essentias. 15.5

TIMOR, PVDOR.

De bono ac malo timore, 1.9 Cur virgines aliquot metuunt suam Deo vouere virginitatem, 2.1. Naturaliter horremus illa quæ alterius sunt vitæ, 2.6. Quo pacto non sit timendum, 2.10. Nemo debet timere, viuere secundum status sui exigentiam, 3.2. Non omittenda condebita pœna, 5.15 Decem sunt quæ timemus, 7.7. Duabus de causis timorem Christus profligat, 8.5. Cur à spectris seu spiritibus tantopere abhorreamus ib Tribus de causis dæmonum pertimescendus aspectus. ibid. Duo sunt malorum genera quæ timemus, nempe mali, ac pœnæ. 14.15

ORATIO, MEDITATIO.

Orare ac meditari famis mitigat dolorem, 1.3. Quo pacto solus orandus Deus, 1.3. Quis sit aptus vel ineptus ad orandum, ib. Tribus de causis oratio ieiunio præstantior, 2.1. Quatuor spectant ad cõtemplationis puritatem, ib. Ecstases non affectandæ, ib. Cur multi in oratione distrahantur, 3.1. Duę peccatorũ vtilitates ex oratione. 3.2 De distractione quã dæmon orationis tempore nobis conciliat. 3 5 Tria aduersus distractionem media. ibid. Inordinata deuotionis affectatio, ibid. Septem affectiones ex Dominicæ passionis meditatione,

tione, 5.1. De vita actiua & contemplatiua, 6.3. Quinq; rationes cur materno idiomate diuinum non peragatur officium, 6.13. Tres rationes, cur etiam priuatim orando, liceat peregrino vti idiomate, ibid. de meditatione Dominicæ passionis, 8.18. de præparatione ad orationem, 12.1. quid à Deo expetendum, 12.2. quid sit orare, ibi. in qualibet oratione requiruntur duo, ibid. de fide, qua cum orandū, ibid. duæ orationis species mentalis nimirum & vocalis, ibid quatuor deuotionis species, ibid. nihil difficilius, quam orare, ibid. distractio maximè nostra contingit culpa, ibid. quis prætergrediatur legem deuotè persoluendi horas canonicas, ibid. de orationis perseuerantia, ibid. quo pacto semper orandum, ibid. quid sit multum orare, ibid. de humili oratione, ibi. duo humilitatis modi, ibidem. Quinque rationes cur non semper voti reddamur compotes, ibid. Nunquam oramus frustra. ibid.
Discrimen inter mereri & consequi, ibid. Oratio meretur, consequitur, & satisfacit, ibid. Quo pacto pro alijs exaudiamur, ibid. Stephanus Paulum orando est lucratus, ibid. Pro alijs interdum non exaudimur, ibid. Quo pacto bonorum precibus adiuuemur, ibid. Orandum pro defunctis, ibid. Quatuor modis olim veteri in Lege orabatur, 12.3. Rarò in nomine Iesu oramus, ibid. Præcepto obligamur ad preces, 12.4. Septem de causis bonum est orare, ibid. De septem horis canonicis, 12.8. Quid sit orare in nomine Christi, ibid. Quo pacto Christus interpellet pro nobis, 12.9. Sanctorum orationes duabus de causis iam sunt efficaciores, quàm olim, 12.10. Quomodo Spiritus S. pro nobis oret, 13.2. Quo pacto de SS. Trinitate instituenda sit meditatio. 15.5

VIRTVS, ET VIRTVOSA OPERA.

De bonis nostris operibus raro instituendus sermo, 2.12. Duabus de causis interdum quis obligatur suam vlcisci iniuriam, 5.6. Quidquid ad honorem Dei fit, facilè oblocutioni est obnoxium, 6.6 Bona opera inter bonos exercitanda, 7.1. Tria nobis incumbunt facienda, si à Deo velimus adiuuari, 7.5. Quo pacto quærendum sit, 7.8. Duabus de causis in medio est consistendum, 15.5 De facilitate seruitij diuini, ibid. Dei vnitas quo pacto imitanda, ibid. Triplex nobis necessaria est vnitas, ibid. Bona opera post baptismum necessaria. ibid.

MISERICORDIA CVM SVIS EFFECTIS.

Eleemosynæ ante fores domus dispertiendæ, 4.7. Per liberos id maximè faciendum, ibid. Famulis danda esset generalis licentia, eleemosynas distribuendi, ibid. De proprijs danda est eleemosyna, ibidem. Quatuor hominum genera de aliorum bonis præstant eleemosynas, ibid. Eleemosynæ effectus, 4.17. & 18 Amici quo pacto iuuandi, 7.1. De eleemosynis ante, & post mortē, 7.2. De spiritali vnctione ex

ne ex D. Bernardo, ibid. Nihil negandum illorũ, quæ amore Christi à nobis requiruntur, 12.2. Pauperibus amore Christi eleemosynas incumbit petere. ibid.

ALIARVM VIRTVTVM OPERATIONES & effectus.

Triplex inter Christi ac nostrum ieiunium, discrimen, 1.1. In pœnitentiæ exercitijs non nimis nobis ipsis innitendum, ibi. Cur in quadragesima à nõnullis abstinere iubeamur, 1.2. Spiridion Episcopus cur in quadragesima carnes comederit, ibid. In quo Christiana consistat libertas, 1.5. in quo consummata sita sit lętitia, ibid. Quando iratum præ nobis ferre vultum liceat, 1.13. Quatuor conditiones illorum, qui velint in montem Domini ascendere, 2.1. Quinque vnitatis emolumenta, 3.6. Pacis conciliatores impensè amandi, ibid. Perseuerantiæ exemplum, 4.4. Oculorum qualis habenda custodia, 4.6. Quatuor modis eleuandi oculi. ibid. Modus iniuriam vlciscendi, 4.11. Quo pacto Deo obediendũ 4.12 Non sumus obligati, vt id semper velimus, quod Deus, ibi. De Superiorum obedientia, ibid. Tres obedientiæ species, ibid. Septem obedientiæ conditiones ex D. Bernardo ibid. Quo pacto alios honorare oporteat, ipsumq; honorem expetere liceat, 5.7. Quo pacto iurandum, 5.8. De humilitatis virtute, 6.3. & 7. Item obedientię, 6.8 Virginibus manendum domi, 7.1. De modo salutationis mutuę, simul ac gratiarum actionis, 8.4. De insigni pacis bono. ibid.

PECCATA IN GENERE.

Tribus modis omnia peccatorum genera ad diaboli adorationẽ nos inducunt, 1.12. Peccare, est labi, ibi. De dormitione, 2.6. Duo mala hominem prosternunt, 2.10. Peccati incommoda, 3.1. Peccata contraria, 3.3. Malitia crescit exercitatione malorum operum, 3.5. Peccatum non tam tollit liberum arbitrium, quam debilitat, 3.10. Prauæ nostræ passiones duabus de causis nominantur peccata, 3.11. Ob quinque rationes relictæ sunt nobis passiones, 5.2. Decem de caussis Christus odit peccatum, ibid. Deus peccata punit, vbicunq; ea offendit. ibid. Iniuria diuinæ maiestati illata, minus perferenda quam propria, 5.6. Deus interdũ peccatis nostris ad propriam nostram vtitur vtilitatem, 5.8. & 8.14. Duabus de caussis sæpè in eadẽ relabimur peccata, 5.13. Cur Salomon sit lapsus, 5.14. De vinculis peccatorum, passionum ac mundi, 6.4. Peccata non adimunt officia, 7.10. Periculosum est diu in peccato perseuerare, 8.11. Peccatorum malitia, 8.15. Non excusat peccatum bona intentio, 13.10. Tres rationes, cur peccata deprimant, 14.7. Duabus de caussis peccatorum opera diabolo adscribuntur. 14.21

IGNORANTIA, CAECITAS,

In septem omnino rebus peccatores sunt cæci, 3. 1. Quis spiritualiter sit surdus, ibi. Tria sunt quæ ex nobis ipsis scire non possumus, 4. 8. Quis Deum ignoret, 5. 12. Ignorantia Dei omnium est origo peccatorum, 13. 11. Ignorantia non excusat. ibid.

COGITATIONES CVM SVIS effectis.

Mundanorum hominum cogitationes, 1. 6. Quo pacto Deus nostras videat cogitationes, 3. 5. Quatuor modis inuadunt nos cogitationes, ibid. Peccata quæ cogitatione committuntur, ibid Duæ regulę per quas scire queas, an rectam proferas sententiam, 3. 8. Duæ conditiones gloriæ, 3. 11. Duæ cogitationum species. 8. 5

VERBA, ET QVAE INDE PROVEniant peccata.

Qui rigidè alloquuntur pauperes, dæmoni sunt similes, 1. 5. Mala nostra silemus, & virtutes prædicamus, 2. 1. Duodecim species hominum spiritualiter mutorum, 3. 1. Nouem species illorum qui perperam loquuntur, ibid. Blasphemiæ peccatum, quo pacto, neque in hoc, neque in futuro seculo dimittatur, 3. 3. Dupliciter committitur, ibid. Est vnum ex præcipuis peccatis, ibid. Blasphemantium punitio, ibid. Boni ac mali diuersimodè de proximorum loquuntur operibus, ibid. De detractoribus, susurronibus, blasphemijs, irrisoribus, &c. 5. 5. Quinque illata Saluatori blasphemiæ nomina, ibid. Quid sit blasphemia, & quàm enorme peccatum, ibid. Tres mendacij species, 5. 13. Mentiri vulgare est peccatum, ibid. Iurare quando bonum sit, vel malum, 10. 10. Argumenta purè negatiua inualida sunt. 13. 5

ALIA PECCATA.

Luxuria indurat, 1. 1. Ambitio vltimo deseritur, 1. 11. Superbia semper ad altiora cõtendit, ib. Ex curiositate sex prodeunt malorũ genera, 3. 4. Seditiosi duplices, 3. 6. Illorum malitia, ibid. Fastus matronarum Belgicarum, 3. 16. Peccata illorum, qui ad Ecclesiastica aspirant beneficia, 4. 3. Triplex vana gloria, diabolica, spiritalis, ac corporalis, 5. 11. Remedia aduersus vanam gloriam, ibid. Eius filiæ, ibid. De personarum exceptione, 8. 3. Quid sit scandalum, 13. 8. Quatuor modis datur occasio scandali, ibid. Quo pacto impossibile non esse scan-

scandalum, ibid. Eripiendus proximus quàm citissimè ex scandalo, ibid. De peccatis in Spiritum sanctum, 14. 6. Malitiosi verba peruertunt. 5.16

DE QVATVOR NOVISSIMIS ac primo

DE MORTE.

In prosperis de fine cogitandũ, 2 5. Quo pacto iusti potius dormiant, quam moriantur, 5. 8. Dæmones nonnullis apparent in extremis, ibid. Quinam ad mortẽ anhelent, 6.13. Tribus de causis olim Christiani defunctorum perungebant corpora, 7. 2. De auxilio defunctorum, ibid. Tria hominum genera ratione timoris mortis, 11. 2

DE IVDICIO.

De Sanctorum resurrectione, 2. 3. Septẽ iudices proferent contra damnatos sententiam. 3. 8. Nihil vnquam vel hic, vel illic occultum remanebit, 5. 5. Quo pacto Deus pater, & Deus Filius iudicent, 5. 7. Christus omnia tam bona quam mala opera dijudicabit, ibid. Pro vt nos inuenerit, sic nos iudicabit, 6.13 Necessitas iudicij Dei, 11. 10 Christi approbanda sententia. ibi.

DE INFERNO.

Quinque rationes, cur Christus infernalium pœnarum nullum nobis ostendat specimen, 2. 2. Cur infernus duobus crassioribus cingatur elementis, ibi Damnatorum corporum conditiones, 2 3. Lucifer in inferno ligatus, ibid. Miserabilis damnatorum hominum status, 3. 7. & 13. Qui ob hæresin interficiuntur, profundius in infernum demerguntur. 3. 11. Duæ conditiones pœnarum infernalium, 5. 9. Damnati post extremum iudicium haudquaquam cælum intuebuntur, 10. 2. Pœna priuationis diuini aspectus, 10 15. De tristitia damnatorum. 10. 18

DE PVRGATORIO.

In purgatorio nonnulli à dæmonibus torquentur, 5. 8. De ingenti loci huius tortura, 8. 10. Pro defunctis fundendæ preces. 12. 2

DE AETERNA BEATITVDINE.

Deus tripliciter ad beatitudinem nos prouehit, 2. 1. Septem cœlestis regni commoda, ibid. Labore acquiritur, ibid. Cur vulgaris bonorum Chri-

Christianorum vita, bene transacta, non statim ad cœlum patet iter, 2.1. Tres *aureolæ*, Martyrum, Virginum, Doctorum. ibidem. De quatuor beatorum corporũ dotibus, 2.3. In quo beatitudo consistat, 3.18. De cælo, 4.1. Duobus modis corde quis potest versari in cœlo, ibid. Beati vident ex cælis damnatorum pœnas, 5.8 Nihil immundum intrat in cœlum, 7.6. Omnia illic nitere debent. ibid. Via regni cœlestis, 10.5. Beatorum animæ Diuina fruuntur visione, 10.17. De gaudijs regni cœlestis, 10.18. Ab omni debet esse peccato immunis, qui illuc cupit ingredi, 11.9 Quo pacto Sancti in cœlis constituti, pro nobis orent, 12.8. Quo modo Deus in cœlis conspiciatur. 15.5

MERCES MERITVM.

Qui solus laborat, solus potitur præmio. 2.6. Nostra mereri opera, Christi declarat virtus, 4.13. Duo operum genera plus promerentur, 12.11. Opera nostra sunt meritoria, 14.4. De malorum præmio, 14.7

CONVERSIO.

Quomodo quis euigilet, 2.6. Quo pacto interrogemur ibi. Tres species cœlestium scintillarum, ibid. Surgere significat quatuor, 2.10. Peccatorum conuersio, excellentissimum est Dei opus, ac summe difficile, 3.2. Cur tam pauci ad concionatorum verba vitam emendent, 3.16. Tria homines ad Christum pertrahebãt, 4.3. Tres species hominum illorum, qui ob proprium emolumentum Christum quærunt, ibi. Quo pacto homines ad Christum sint perducendi, 6.5. Paruuli sinendi ad Christum venire, 6.8. Quomodo Deus hominem trahat, 7.4. Non semper omnem in principio difficultatem Deus ostendit, ibid Tria pœnitentibus necessaria, 8.10. Quo pacto Deus nos præueniat, 10.8. Quo modo eatur ad Deum, ibid. Quinque iustificationis causę 12.11. De gratia præueniente ac subsequente, ib. Tribus de causis videbatur Apostolis mundi conuersio difficilis, 15.7

OPERA IN COMMVNI.

Quædam opera quo pacto mala sint, & quædam bona: quædam verò nec bona, nec mala, 3.12. Duæ operum species, ibid. Non omnia infidelium opera sunt peccata, ibid. De operibus filiorum Dei, ibid. Tria operum genera, 3.14. Opera nostra ex nobis non sunt 4.13. Omnia nostra discutere oporteret opera 5.2. De Esu Christi, Angelorum, ac beatorum post resurrectionem 8.6. De via bonorum ac malorum, 10.12
Sex eundi modi. 15.3

CÆRE-

CAEREMONIAE, AC DIVINVM officium.

De Christianorum stationibus 6 10. Quatuor stationum modi ibid. Quinque de causis institutæ sunt stationes, ibi. Quinq; hominum genera ijs interſunt, ibi. Quadruplices Eccleſiæ cæremoniæ, 8 9. De proceſſionibus dierum rogationum 12.1. Cur inter Paſcha & Pentecoſten orando non geniculemur. 8.3

MALVM.

Diſcrimen inter mala corporis & animæ 7.11. Summum malum carere Deo 11.4. De ſcrupuloſitate. 11.8

BONVM GAVDIVM.

Remedium pro ſtabili ac perſeueranti lætitia. 7.11
Cur bonorum lætitia perſeueret, malorum autem pereat. 10.12
Quinque de cauſis bonorum gaudium non eripitur. 10.18
Tres materiæ de lætitia bonorum. ibid.
Affectio rerum temporalium internum impedit gaudium. 11.6
Quid ſit gaudium plenum. 12.5
De feſtorum lætitia. ibid.
Duo conſolationum genera. 14.16

TRISTITIA.

Quinam de Chriſti paſſione contriſtentur 10.10 Quid pios contriſtet Chriſtianos 10.11. Vtilitas bonæ triſtitiæ ibid. Quatuor modis bonorum triſtitia in gaudium commutatur 10.12. Sex de cauſis Apoſtolorum triſtitia cum mulierum partu comparatur 10. 15. Quid in triſtitia faciendum 11.4. Duabus de cauſis triſtitia adhæret nobis. 14.16

PAX.

Duo componendæ pacis modi, à Chriſto eiuſq; Apoſtolis vſurpati 8 7 Tribus de cauſis Chriſtus Apoſtolis ſuam elargitur pacem. ibid. de pace, exemplo Noe 8.16. De remedijs vnitatis 9.15. Quintuplex pax. 14.13 Gloria Chriſto, pax hominibus. ibid. Duo genera pacis, ibi. Chriſti teſtamentum eſt pax. ib. Tribus modis ea vtimur. ibid. De malis pacificis. ibid. Pax huius mundi quo pacto & amplecteuda & reijcienda ſit, ibid. Sex bonæ pacis remedia. ib. Quadruplex inter pacem Chriſti & mundi diſcrimē ibi.

VERI-

VERITAS

Veritas consolatur 11. 12. Septem de causis Spiritus Sanctus appellatur spiritus veritatis. ibid. Veritas duobus contaminatur modis. ib. Sex documenta quo pacto Ecclesia in omnem ducatur veritatem. ibid. Omnibus bonis testibus tria sunt necessaria. 13. 7

MENDACIVM.

Mendacium non consolatur. 11. 12

EXCOMMVNICATIO.

Decem superueniunt excommunicatis mala 13. 9. Quo pacto cum ijs conuersari liceat. ibid. Excommunicationis sententia magnopere extimescenda. ibid. Excommunicatio post obitum. ibid.

VERBA.

De mutuæ salutationis vtilitate 14. 13. Quo pacto Paulus Ananię summo sacerdoti malum imprecatus sit, 14. 15. Quomodo antiquitus conqueri soleant. 14. 19

COMMOTIO.

De interiori commotione ex B. Iobo ac Hieremia. 14. 15
Quo pacto cor moueatur. ibid.
Omnes commotiones habendæ sunt suspectæ. ibid.
Quo pacto intellectus & affectus auditorum moueantur. 15. 6.

FINIS.

POSTE-

INDEX MATERIARVM POSTERIOR SYLLABVS, COMPLECTENS PRÆCIPUA Historicę Relationis exempla, hac Concionum Parte contenta.

DE DEO DIVINOQVE cultu.



CHRISTI tunica angelica custodia apud Galatas in lignea arca conseruata fuit, iamq; Augustæ Treuirorum reuerenter adseruatur. 2.4

Augustus Imperator, tempore natiuitatis Christi, Apollinis consulens oraculum, nullū aliud retulit responsū, quā Me puer Hebræus diuos Deus ipse gubernans Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum. 3.11

Idolum Apollinis Antiocheni obmutuit ad præsentiam reliquiarum Beatæ Babylæ martyris, ibidem adseruaturam. 3.11

Fabianus Papa anno Domini 238. præcepit, vt quilibet Christianus ter in anno communicaret. 4.5

Postmodum anno. 1213. præceptum vt ad minus semel in anno id fieret. ibid.

Duo innocentes pueruli inuitantes Christum ad ientaculum suum, haud longè post ad gaudia regni cœlestis vna cum præceptore suo ab eodem inuitati sunt. 4.10

Constantinus Imperator Byzantium construens, columnæ cuidam imposuit quinque cophinos cum fragmentis reliquiarum panis hordeaci 4.17.

Manibus Diuorum contingere reliquias tempore iurisiurandi, antiquam esse Christianorum consuetudinem testatur Eutychianus Papa. 5.8.

Tempore Gregorij Turonensis venerabile Sacramentum turritis includebatur ciborijs, sicque circumferebatur. 6.9

Anno Domini 413. Gothi Romanam inuadentes vrbem, tam ingentem ibidem reperere in Basilica Diui Petri Ecclesiastica suppellectilis thesaurum, vt magnopere admirarentur. ibid.

Olim diebus Dominicis ex domo Episcopali in Ecclesiam deferebatur venerabile Sacramentum, aurea inclusum theca, arca Domini nuncupata cuius nonnunquam tam graue erat pondus, vt humeris baiulari debuerit. 6.10

Argentei panniculi, quibus contecta erat S. Eucharistia, magno olim habeban-

bantur in precio. ibid.

Edessa à Persarum rege graui obsidione pressa, ad delationem imaginis Christi, Abagaro olim transmissæ, liberata fuit. ibi.

Heraclius Imperator hostes profligauit, habens secum in castris imaginem Christi, & Constantinus per sanctæ crucis reliquias. ibid.

Pueris ioco missæ sacrificium à lumbranibus, altare est exustum. 6.13.

Ferrum lanceæ Saluatoris latitudine vnius palmi, Romæ in Vaticano adseruatur, vna cum vultu S Veronicæ. Similiter & clauus vnus crucis Dominicæ apud Trebetas, crassitiæ vnius digiti, 8. 17.

Vrbanus IV. instituit festum venerab. Sacramenti. 9.16

Galenus Medicorum princeps etsi ethnicus, considerando tamen accuratius humani capitis cerebrum, ad Dei laudem excitatus fuit. 15.1

Protagoras Philosophus Athenis disputans essentne Dij, an non, vrbe pellitur, exustis interim omnibus eius libris. ibid.

In Lusitania annuatim in vigilia Paschæ diuinitus sacri fontis lauacrum aqua implebatur, quæ post baptismi vsum denuo euanescebat. 15. 4.

Simonides interrogatus, quid, vel qualis esset Deus, trium petijt dierum inductias. Quibus elapsis, aliquoties duplicabat numerum. 15.5

Diabolus ad horrenda se obtulit tormenta, vt vel semel duntaxat posset videre Deum. ibid.

Ethnicus quidam Philosophus discipulis suis de Deo disserens, ijsq; conquerentibus se nullatenus ea capere, subiunxit: Ego si id præstare valerem, vel ipsemet essem Deus, vel Deus haudquaquam esset Deus. ibid.

Christus ascendens in cœlum, in monte Oliueti suorum reliquit vestigia pedum, à multis retro annis magna in veneratione à Christianis habita. ibid.

DE SANCTIS.

B. Franciscus orationis tempore sæpe conspiciebatur pendulus, cælum inter & terram. 1.1

Christina mirabilis arborum insidebat truncis, auium instar. ibi.

S. Antonius in spelunca quadam grauiter à dæmone tentatus, vt doceret homines amabili prodijt vultu, beneque hilari. ibid.

B. Pater Ignatius Loyola interdum tam apparuit fulgidus, vt etiam radij totum, in quo erat, illustrarent conclaue. ibid.

Secularis quidam auxilium à fratre suo religioso expetens, relegatur ad alium iam olim defunctum. ibid.

Arsenius Abbas Arcadio Imperatori offerenti sibi totius Ægypti vectigalia, respondit, mortuum, se esse, atque ideoque his opus non habere. ibid.

Idem respondit ex alijs nonnullis, offerentibus sibi exequendum testamentum cuiusdam cognati sui. ibid.

Simeon Salus sine vllius cibi sumptione integram ieiunauit Quadragesimam. 1.3

Item B. Mamas, Marana & Cyra. 1.3

S. Macharius Alexandrinus erecto stabat corpore in quodam angulo, toto quadragesimali tempore, nec geniculans, nec residens; immo ne vescens quidem, nisi dominicis duntaxat diebus, quando aridas masticabat caules. 1.3

Gerasinus Abbas in Quadragesima nullo alio vescebatur cibo, quàm Eucharistico. 1.3

Spiridion Episcopus peregrinanti cuidam, in Quadragesima, carnes apponi curauit aliis nimirum carens edulijs. 1.3

B. Vrsinus iam agonizans, cum vxoris persentisceret præsentiam: tolle, *inquit,* paleam, nam ignis necdum est extinctus. 1.3

S. Margaretha Deum deprecans, vt infensissimum suum posset conspicere hostem, terribilem vidit Draconem. 1.4

Item Maria Magdalena consimilem vidit antagonistam. 1.4

B. Franciscus in eo dicebat præcipuam constare latitiam, si quis post rem præclarè gestam domum rediens, sannis contumelijsq; exciperetur. 1.5.

Quo pacto Angeli in monte Gargano, vbi Beatus Michael conspiciendum se exhibuit, templum construxerint, nec non & in mari, in quod B. Clementis Papæ corpus demersum erat. 1.7

Christus insigni quadam similitudine ostendit B. Brigittæ, sibi nullatenus fore gratum, quod quidam indiscrete ieiunans, in delirium incidisset. 1.8

Virgo quædam Christiana inter ethnicos degens, vt Martyrij iuxta ac virginitatis potiretur palma, veneficam se simulauit, extendensque ceruicem cera illitam, ad sponsum emigrauit. 1.10

Sanctus Franciscus totaliter suum sibi subiugauerat corpus. 1. 14. & 4. 11. & 13. 2.

B. Agnes octauo Martyrij sui die parentibus apparens, eosdem hortatur ne de sua contristentur morte, se namq; viuere. 2.2

S. Hieronymi anima visa D. Augustino insigni cum splendore, ac suauitatis odore. 2.2

D. Thomas de Aquino studens, ieiunansq; precibus incumbebat. 2.2

Mirum in modum suis immersus fuit contemplationibus, adeo, vt ne cauterij quidem senserit inustionem. 2.2

S. Franciscus ac B. Dominicus orationis tempore, corpore sursum eleuabantur. 2.2

B. Arsenius instar ignis in cella sua respendebat. 2.2

S. Agnes in lupanari, ac 40, martyres in glacie, insigni corruscabant lumine. 2.2

Leo Imperator templum construxit, in quo tunica Deiparæ Virginis adseruatur, plurimis claret miraculis 2.4

S. Anthonius diebus festis tunica induebatur Pauli. 2.4

B. Gre-

B. Gregorius Papa tunicam S. Ioannis Euangelistæ altari inclusit Lateranensi, ad quam olim varia contingebant miracula. 2.4

Anno Domini 542. cum Cæsaraugusta à Gallis grauiter esset obsessa, ad deportationem tunicæ S. Vincentij martyris liberata fuit. 2.4

Per lanam, cui D. Agathæ Martyris erant inclusæ reliquiæ, sicut ab Æthnæ incendio immunes fuere. 2.4

Olim panniculi aliquot reliquiarum contactu sacrati, magno pro munere ad Imperatores mittebantur. 2.4

Hos cum B. Leo, nec non, & Gregorius Papa forficulis aliquando inscidissent, cruore maduerunt 2.4

Theodosius Magnus deferens secum in aciem baculum simul ac capucium Semiphij Monachi, victoria ita est potitus, vt è suis nullos omnino perderet. 2.4

Angeli visi sunt à B. Athanasio Martyre, Dalmaticis planetisq; circumamicti. 2.4

Felix Papa post obitum neptis suæ apparuit Trasillæ, 2.5

B. Stanislaus Cracouiensis Episcopus mortuum quendam è sepulchro in veritatis testimonium contra Boleslaum Regem excitauit. 2.5

Macarius Abbas quendam violenter interemptum de illata sibi nece percunctatus, innoxium excusantem audit. 2.5

B. Donatus prece id obtinuit, vt defuncta mulier resuscitaretur, atq; exerte respondere de thesauro à marito peregre proficiscente sibi relicto 2.5

Beatus Aldelinus Episcopus octo dierum infantem sciscitatus num à Sergio Pontifice (hic namq; huius criminis calumniosè insimulabatur) procreatus foret, audit quod non. 2.5

Idem quoq; accidit B. Brixio, cui iniquè imponebatur, quod suam impregnasset lotricem. 2.5

B. Paulus Apostolus D. Ambrosio videndum se exhibens, agnoscitur ex eiusdem pictura, quam in conclaui penes se adseruabat. 2.5

Idem & B. Ioanni Chrysostomo accidit. 2.5

B. Secunda Martyr conquerebatur, quod Iunius præses sororem suam Rufinam virgis excipiens, sibi parceret. 2.5

Daniel Stylites in edita consistens columna cæli expositus iniurijs, animo lætabatur, ægreq; ferebat indese auelli. 2.6

Quin & B. MARIA Magdalena ingentem percipiebat in pœnitentia sua consolationem, quando nimirum quolibet die septenis in aerem eleuabatur vicibus. 2.6

Diuus quoq; Bernardus ita nonnunquam à se rapiebatur, vt vbi locorum degeret, quidve vel cibi, vel potionis sumeret, penitus ignoraret. 2.6.

B. Ephræm nec non & P. Franciscus Xauerius tali nonnunquam spiritali perfundebantur lætitia, vt exclamarent, satis est Domine. 2.6

S. Macarius, ac Simeon Stylites dies quadraginta in precibus exigebant. 2.6.

Beati Angeli comitabantur S. Benedictum, monasteria sua inuisentem. ibid

Idem quoque consolabantur B. Gulielmum, amore Christi omnia relinquentem. ibid.

Catharina Senensis triduo fuit in ecstasi. 2.7

Leue quoque mendaciolum multis deplorabat lachrymis. 2.7

B. Franciscus & P. Ignatius Loyola ex omnibus creaturis aliquid eliciebant, vnde ad Deum elcuarentur. 3.11

D. Antonius dæmones irridebat, exprobrans illis imbecillitatem suam 3.3

B Franciscus instabiles fratres, muscas vocitabat. 3.3

B. Franciscus Paulanus, nec non & Ignatius Loyola, item Xauerius miraculis fuere celebres. 3.3

Simeon Salus vt meliorem ferret opem obsessis, obsessum se simulabat 3.8. & 14.10

Ad nomen S. Antonij profligebantur dæmones. 3.8. & 14.22

Idem quoque omnes superabat tentationes signo S. Crucis. 3.9

S. Lucia iudicis edicto ad lupanar pertrahenda, immobilis permansit. 3.10

B. Bernardus energumenum quandam liberauit, populo ardentes cereos manibus tenente. 3.11

Mulier extollens vocem suam, ac clamans, beatus venter, qui te portauit *putatur fuisse Marcella famula Martha.* 3.16

S. Felicitas septem filios ad martyrium animabat, dolens eos relinquere superstites. 3.17

Quadraginta martyribus ad supplicium ductis, accidit vt vni tanquam iuueni imbecilliori parceretur. Quem mater adhuc spirantem humeris sustulit suis, eumq; rogo simul cum cæteris iniecit. ibid.

Alia quædam Christiana matrona audiens in campum producendos Christianos, simul cum prole eò accelerans, ad Martyrij palmam auidè anhelat. ibid.

Pacianus Episcopus dicere erat solitus, se nomine Catholicum; cognomine Christianum esse. 4.2

B. Franciscus concionando ingentem hominum multitudinem ad suum pertrahebat Ordinem 4.3

B Vincentius Ferrarius aliquot Iudæorum ac Turcarum millia conuertit; & plus quam centum peccatorum millia ad meliorem reduxit frugem 4.3

D. Petrus Apostolus varios sanans ægros, Petronillæ febricanti filiæ mederi noluit, quod sciret maiori id cedere emolumento. ibid.

Carolus Borromæus Mediolanensium Antistes qualibet septimana sciebat quid vbiuis locorum in sua esset gestum diœcesi. 4.6

In cœnobio S. Macharij diabolus nonnisi vnum sibi addictum reperit Monachum, qui quandoquidem suas nolebat Superioribus detegere tenta-

tentationes, hinc eum suo pro arbitratu circumagebat. 4.6

Carolus Magnus ad bellum proditurus, sciscitabatur prius ab Episcopu. an Ecclesiastici ritus ab omnibus inuiolabiliter obseruarentur. 4.7

B. Franciscus anno Domini 1219. quinque religiosorum hominum millia congregans, de cibo eosdem nolebat esse sollicitos, cùm interim varijs ex locis omnia affatim subministrarentur. 4.7

Abbas Apollo cum suis nihil in Paschate habens quo vesceretur, post dictas preces, varias fructuum species ab ignotis sibi hominibus adferri conspexit. 4.7

B. Ægidius Minorita à Cardinalibus interpellatus, pro se vt oraret, renuit, dicens ipsos maiori esse fiducia praditos. 4.8

S. Basilius volens sibi è suis collegam adsciscere, prius humilitatis exercitio eum comprobabat. 4.12

D. Augustinus refectionis tempore semper aliquid boni ad mensam, vel audiebat, vel referebat. 4.15

B. Martinus magnâ cum animi constantia agonizans, dæmoni restitit. 5.2

D. Thomas Aquinas plus orando quam studendo promouit. 5.3

Idem quoque Diuo accidit Bernardo. 5.3

B. Gregorius in Ezechielem Prophetam commentans, à Spiritu sancto fuit edoctus, qui in specie columbæ visus est eius se admouere auriculæ. 5.3

Scientia B. Francisci aquilæ comparatur, in altum euolantis, cum alij humi reptitent. 5.3

B. Machetes Abbas libenter diuinos audiens sermones, si quid futile recitaretur, sopore deprimebatur. 5.4

B. Paulus & Antonius sine defatigatione vlla, per totam noctem de cœlestibus disserebant. 5.4

Germanæ D. Thomæ Aquinatis volentes eum à monastico retrahere proposito, Deo se deuouent. 5.4

Constantius Monachus, ob corporis exiguitatem, contemptui à rustico habitus, benignè eundem amplexatur, exosculaturq;. 5.7

S. Hilarion de loco in locum fugitans, de industria alijs ignotus esse studebat. 5.7

Quin & B. Ambrosius ad lupanar se contulit, ne in Episcopum eligeretur. 5.7.

B. Franciscus ad sui ipsius despectum gaudebat. 5.7

Zaroe ac Arphaxat præstigiatores volentes Simonis ac Iudæ impedire conciones sibi ipsis obfuere. 5.7

B. Dunstanus ab Angelis ad cœlestis regni gaudia, ipsa Dominicæ Ascensionis solemnitate inuitatus, inducias petijt, ne plebs Christiana diuini verbi destitueretur pabulo. 5.8

Constantinus Imperator scribens ad B. Antonium, eius exposcebat preces. 5.12

Per ſanctam Anthonij ac Hilarionis conuerſationem, aliquot millia Monachorum exorta ſunt. 5.12

Adhuc B. Franciſco ſuperſtite quinque Franciſcanorum millia conuenere Aſſiſſium ad Generale capitulum. 5.12

D. Ambroſius reliquiarum loco adſeruabat clauos illos, quibus Vitalis & Agricola crucifixi erant. 5.12

Cæca quædam liniens oculos floribus, Sancti Stephani reliquijs admotis, viſum ilico recepit. 3.12

B. Martinus viſus fuit capite reſplendere, dum ſacro adſiſteret altari. 5.12

Ethnicus quidam in perfidia ſua obſtinatus, cùm ceruicali eius clanculum ſuppoſiti fuiſſent flores, quibus ara D. Stephani exornata erat, conuertitur. 5.12

B. Gregorius ſtudens Papatui furtim ſe ſubtrahere ſplendore ignea columnæ proditur. 5.12

D. Sebaſtianus ad tempus celabat fidem ſuam, ob gentilium incredulitatem. 5.13

S. Martinus agonizans, ſupinus ſemper cæli conuexa intuens, eò aſpirabat. 5.15

Mundum laqueis plenum ſola humilitas euadit. 6.3

Ioannes Damaſcenus ob paucos, quos inſcio Magiſtro verſiculos condiderat, pœnitentiæ cauſſa iubetur conuentualium, ſuis manibus mundare cloacas. 6.3

Diabolus ieiunijs ac vigilijs Macarium ſuperans Abbatem, humilitatem eius conſectari non potuit. 6.7

S. Martinus à dæmone increpatus, quod plurimos ſuum ad monaſterium peccatores admiſiſſet, promiſit eidem delictorum ſuorum veniam, ſi à Deo eam vellet expetere. 6.7

S. Maria Ægyptiaca poſt annos ſeptemdecim in peccatis degens, totidem annorum ſpatio ſine vlla conſolatione diuino vacauit obſequio. 6.9

Chriſtus aderat B. Anthonio viriliter cum dæmone decertanti, etiamſi ab ipſo non videretur. 6.9

In medio quoque cordis erat B. Catharina Senenſis, cum impuris à dæmone vexaretur cogitationibus. 6.9

Irmgardis Ludouici Imperatoris coniunx reliquiis SS. Petri ac Marcellini ſuam obtulit trium librarum zonam. 6.9

Leo Papa III. Romanum Imperium à Græcis ad Carolum Magnum tranſtulit. 6.9

Gregorius V. Imperium Germanis adſignauit, inſtituens ſeptem Principes electores. 6.9

Gregorius Papa I. ſub pœna abſolutionis ab officio prohibet Regibus ac Imperatoribus, ne priuilegia certis quibuſdam conceſſa monaſterijs, infringant. 6.9

Equus

Equus quidam cum ante Ioannem vexisset Pontificem, postea alterius fuit sessionis impatiens. 6.9.

Venerabile Sacramentum olim à Pontifice mittebatur ad Episcopos, Vrbem adeuntes, in signum scilicet, quod cum Sancta Romana Ecclesia in fide communicarent. 6.10

Gregorius Turonensis circumtulit reliquias B. Martini, Saturnini, ac Iuliani. ibid.

Reliquiæ S. Remigij circumlatæ, tuebantur ædes illas à peste, quas pertransierant. 6.10

B. Gregorio circumferente imaginem S. Mariæ maioris, audita sunt cœlitus Angelicæ voces, Regina cœli lætare, &c. ibid.

Ioannes & Manuel Comnemus per imaginem B. Virginis potiti sunt victoria. ibid.

S. Basilius Publicam subditis suis indixit stationem, quando mittebat eos peregrinatum ad montem Didymi. ibid.

Mamertus Episcopus instituit dies Rogationum. ibid.

Gregorius Papa I. variarum fuit institutor processionum. ibid.

Pij homines olim Diuo Benedicto suos offerebant instituendos liberos. 6.11

S. Lutgardis recitans illum Psalmi versiculum, Deus in adiutorium meum intende, *vidit profligari dæmones.* 6.13

Longinus constanter adseueraus Christum verè à mortuis resuscitatum, fuga sibi consulere debuit, tandemq; & necem subire. 8.2

S. Iacobus minor vouens se non comesturum post vltimam cœnam, nisi Dominum suum resuscitatum videret, tandem voti factus est compos. 7.6

B. Maria Magdalena non solum multa à Iudæis sustinuit, verum etiam seipsam varijs pœnitentiæ operibus libens volensq; exsitauit. 7.1

Ex ossibus D. Catharinæ Virginis oleum affatim scaturit. 7.2

Theodorus Ecclesiæ Sancti Petri custos, videns Apostolorum coryphæum apparentem sibi, vehementer consternatus, lecto decubuit. 7.6

Guilielmus Aquitaniæ Dux, iussu Eugenij Papæ Romam propere contendens, nouem ibidem annos in magna inedia ac corporis castigatione traduxit. 7.9.

Pater Ignatius nihil in se sensit, quod aliquam ei inordinatam conciliaret tristitiam, cuius non quàm ocyssimè exonerari posset. 7.11

Ioseph ab Arimathea in carcerem coniecto, quod Christum Saluatorem sepulturæ mandasset, Angeli post resurrectionem Domini viam abeundi patefacere, dimotis carceris parietibus. 8.2

Constantinus Imperator deosculabatur in primo Nicæno Concilio membra Episcoporum, quæ fidei causſa tormentis excruciata fuerant. 8.5

Soror B. Gregorij Nazianzeni integras noctes orando sæpè consumebat ante venerabile Sacramentum. 8.6

Beato Petro ethnici tres in capillitio insciderè coronas. 8.10

Sanctus Ioannes Euangelista ætate nonagenarius, post cæteros omnes Euangelistas suum conscripsit Euangelium. 8.20

S. Rumoldus relicto Episcopatu Dublinensi Romam concitus properauit. 9.5

Petrus Damianus Episcopus iuxta ac Cardinalis, posthabitis rebus omnibus caducis, heremum petijt. 9.5

Gregorius Nazianzenus caussa pacis, Constantinopolitano cessit Episcopatui. ibid.

B. Athanasius strenuè sese Arrianis opposuit. ibid.

D. Augustinus Donatistis Africanus ibid.

Stanislaus Ep scopus Regi Boleslao ob iniustitiam suam. ibid.

B. Thomas Cantuariensis Regi Henrico ob conseruationem Ecclesiasticæ immunitatis. ibid.

Chrysostomus Eudoxiæ Imperatrici ob superbiam. ibid.

B. Mariæ de Orgnes, tempore ægritudinis suæ, nihil præter sacram Eucharistiam cibi sumere potuit. 9.11

D. Catharina Senensis ad intuitum venerabilis Sacramenti corpore pariter & animo exhilarabatur. 9.11

B. Cyprianus cum aliquot Africanis Episcopis rebaptizans eos qui ex hæresi venerant, à Stephano Pontifice aliter est edoctus. 9.15

Solemnitas omnium Sanctorum anno Domini. 853 *à Gregorio IV. instituta est.* 9.16

S. Benedictus vidit mundum in forma exiguæ sphæræ. 10.6

Carolus Magnus in hebdomada sancta mœrori ac compunctione se tradès, magnam excitauit VVedekindo Saxonum Principi admirationem. 10.10

S. Laurentius in craticula assatus irridebat tyrannum. 10.18

B. Tiburtio ardentes prunæ plantis suppositæ, amœnæ videbantur esse rosæ. ibid.

S. Adrianus adhuc gentilis percunctatus Martyres, cur tam libenter subirent tormenta, intellexit id amore æternæ retributionis fieri, vnde & Christo nomen confestim dedit. 11.3

B. Agnes gloriabatur se à Christo sponso suo multo præstantiora accepisse monilia quam carnalis ei posset offerre sponsus. 11.6

Abraham heremita suæ insigni patientiæ integrum conuertit pagum, in quo plurimi frustra desudauerant, quin & neptem suam Mariam lupanari eripuit contubernio. 11.8

Stephanus Diensis Carthusianus Episcopus, populo diabolum visendum exhibuit, vnde de cætero in frequentanda Ecclesia fuere vigilantiores. 11.10

Effigies Symeonis Stylitæ Romæ, ipso adhuc viuente, in operariorum officinis

officinis tutelæ ac patrocinij causſa ſuſpendebatur. ibid.

B. Bernardus quaſi ad carnificinam, ita accedebat menſam. 12.4

S. Ignatius auide ad Martyrium anhelabat. 12.4

Epiſcopi I. Concilij Nicæni inuitati à Conſtantino Imp. ad dedicationem templi Hieroſolymitani, ſacris ibidem pro ſalute Imperatoris, ac liberorum eius, operati ſunt, nec non & pro Eccleſiæ vnitate aduerſus Arrianos. 12.10

Iuſtus ac Paſtor innocentes pueruli prudenti ſuo reſponſo elinguem effecere Dacianum Præſidem. 12 13

S. Matthias Apoſtolus ad aram interimitur, quod Regis filiam ad cœlibatum induxiſſet. 13.4

Quin & Diuus Hieronymus varias ſuſtinuit oblocutiones, quod nobiles aliquot Romanas matronas Bethleem allexiſſet. ibid.

B. Catharina Virgo præſtanti ſua eruditione conuertit quinquaginta præcipui nominis Philoſophos. 13.5

S. Trophimus tormentis ſubiectus, aiebat Diuinum numen dulcorare ea, adeò vt alioquin impoſſibile foret, ea patienti tolerare animo. 13.6

B. Lucia non ſenſit liquefactum plumbum, oleum, picem, quibus perfundebatur. 13.6

S. Sabatius horrendos quidem in tormentis ſuſtinuit corporis cruciatus, verum ob inſignem diuini amoris flammam, animum non afflictabant. ibid.

Cur Chriſtiani olim dicti biathanati. 13.10

S. Thomas præclare de venerabili Sacramento ſcribens, nullam aliam laboris ſui popoſcit mercedem, quàm Deum ipſum. 14 3

B. Franciſcus cùm in graui ægritudine pullum deguſtaſſet gallinaceum, plateatim id in ſui ipſius confuſionem propalari iuſſit. 14 10

Quin & animo contriſtabatur, ſi quem forte conſpexiſſet, ſe pauperiorem. ibid.

Inſignis quædam matrona re ac nomine Bona, cum vbera haberet vermib. ſcatentia, tam ſtudioſe eos ſtuduit adſeruare, vt ne vno quidem carere vellet. 14.10

B. Franciſcus inſigni cum ſolatione quinque ſuſcepit ſtigmata, etſi non niſi ſummo cum dolore. 41.0

S Vincentius Valentinus prædicans in Francia ac Belgio idiomate Hiſpanico, ab omnibus probè fuit intellectus. 14.11

B. Anthonius cum nonnullis accuratiſſimis diſſerens Philoſophis, magnopere eos confudit, licet rei Philoſophicæ penitus ignarus. 14.12

S. Bernardo mirum admodum videbatur, quod Deus tanta per ipſum deſignaret miracula, cum nullas in ſe virtutes animaduerteret. 14. 18

P. Franciſcus Borgia in communi quadam collatione dicens facta præſtare verbis, ad ſingulorum procidens pedes, eoſdem demiſſe exoſculabatur. 14.20

S. Ioannes Eleemoſynarius cuidam ſuo ſubdito in peccatis obſtinato ſupplex

fuit, quem & per hoc conuertit. 15.5
In corde religiosæ cuiusdam virginis reperta sunt tres spelunca, eiusdem ponderis ac mensuræ, &c. 15.5
S. Franciscus cur omnes creaturas suos vocitauerit fratres ac sorores. ibid.
B. Sebastianus suam constanter profitebatur fidem, etsi cum mortis discrimine. 15.5
D. Ambrosius aliorum excipiens confessiones, vbertim lachrymabatur, quò eos ad salutarem procuraret pœnitentiam. 15.6
S. Franciscus perceptis quinque stigmatibus, Christum vidit Saluatorem. 15.7
Item S. Antonius postquam à damonibus fuisset cæsus. ibid.

DE COMPVNCTIONE AC Pœnitudine.

Guilielmus Aquitaniæ Dux flagitiosam ducens vitam, à B. Bernardo conuersus, Monasticen profitetur. 2.2
Theodosius Imperator publico se facinore contaminans, etiam publicam egit pœnitentiam, antequam à B. Ambrosio in gratiam reciperetur. 2.2
Eximius quidam Doctor, sacrum Dominicanorum irridens habitum, tandem nocturna voce admonitus, ipsemet idem amplexus est institutum. 2.6
De conuersione S. Adriani. ibid.
Inhonesta quædam fœmina publice peccare erubescens, cùm à B. Ephræm interrogaretur, cur coram diuina Maiestate non verecundaretur, etiam per hoc ad meliorem se frugem recepit. 3.5
Quo pacto impossibile sit ab omnibus liberari prauis suggestionibus. 3.5
Quomodo discretè sit tacendum, quando periculi imminet metus. 3.6
S. Catharina Senensis rogans pro duobus latronibus sine animi contritione ad supplicium contendentibus, vtrumque conuertit. 3.8
Duo cùm non sincere confessi, sacram cuperent suscipere synaxin, non potuere eam deglutire. 4.4
Presbytero cuidam sacris operanti trina vice ab altari sacra hostia à columba eripitur, donec ritè confessus eandem reciperet. 4.5
Anastasius secundus, Theodosius III. Michael Curopolates, Michael Comnenus, Carolomanus rex Franciæ, & Richardus Angliæ, nec non & Suatacopius regno renunciantes terreno, diuino sese addixere famulatui. 4.19
VVindekindus adhuc paganus, vidit communicantes suscipere in ore paruum puerulum, qui nonnullos blandè, quosdam verò toruè intuebatur. 5.1
Ardalion ac Genesius gentiles mimi, cùm ioco Christianorum susciperent, Baptismum, tandem serio sunt conuersi, ac pro Christi fide enecati. 5.4

Theodosius Imperator libens se Ambrosio subiecit, vt pœnitentiam sibi iniungeret. 5.12

Adolescens quidam à suo confessario dissuasus Franciscanorum aggredi institutum, postmodum malè viuens, omnem in confessarium culpam reiecit, qui pœnitentia ductus, ipsemet Franciscanus est effectus. 6.5

Robertus Flandria Comes subditis infensus, à nemine potuit placari, præterquam verbis S. Arnulphi Episcopi, à Pontifice ad eum destinati. 7.4

Theophylus Imperator Iconoclasta, in vitæ fine, per vxoris preces ad meliorem se frugem recepit. 8.1

Arsenius Abbas hanc cœlitus audiuit vocem, fuge, tace, quiesce. 8.2

Infirmi vocis vsu destituti, absoluendi sunt, si id ante petierunt, prout Leo Papa Theodorum instruxit. 8.10

Ægrotus quidam in confessione luxuriæ peccatum reticens, ac sacram Eucharistiam suscipiens, eandem retinere non potuit: verum postmodum sincerè confessus, probè deglutiuit. 8.10

Diabolus confitenti cuidam in ingenti volumine sua ostendit peccata, quò ad desperationem eum adigeret, verum contrarium accidit. 8.10

Theodosius Imperator iunior excommunicatus à quodam, penes quem ea potestas non erat, haud potuit tamen conquiescere prius quin isto esset resolutus vinculo. 9.15

Eodem modo & Classiriano cuidam accidit, qui indebitè vna cum familia sua excommunicationis erat ictus fulmine. ibid.

Senior verò Theodosius Imperator iustè suum ob meritum ab Ecclesia proscriptus, non faciebat obtestandi finem, priusquam Ambrosius tali eum nodo solueret. ibid.

Duo mercatores assueti iuramentis, cùm toto isto anno ab hoc cessantes peccato, parum suarum distraherent mercium, tandem cùm in bono proposito laudabiliter persisterent, mirum in modum ditati sunt. 10.10

B. Augustinus ad continentiam fuit incitatus, per virtutis huius pulchritudinem. 11.6

Alexander ab Hales cùm tacitus secum statuisset nemini denegare quidquam quod in honorem Diuæ Virginis ab ipso peteretur, tandem hoc interpellatus nomine, vt se Franciscanorum addiceret instituto, paruit. 12.2

S. Potentiana Basilidi militi, à quo ad supplicium ducebatur, promisit, se pro ipso oraturam, qui post eius Martyrium etiam pro fide occubuit. 12.8

Respicius capitaneus videns B. Triphonem horrenda suppliciorum tormenta inuicto animi robore tolerantem, etiam ipse proclamauit, se Christianum fore. 13.6

B. Arsenius videns heremitam quendam scandalizari ob hoc quod paulo

maiori vteretur commoditate, respondit, se quidem in vita seculari omnibus frui commodis solitum, ipsum verò non. 13.8

Iudæus quidam in solitudine ægrotans, dum arena, conspersione baptizaretur, conualuit quidem, verum postea rite fuit salutaris, vnde lauacro expiatus. 15.4

DE HOMINIBVS MISERICORDIAE studio deditis, deq; misericordiæ operibus.

Ioannes Gualbertus obuiam habens quendam qui cognatum eius interfecerat, rogantem se per amorẽ Crucifixi vt vitam ei donaret, libens id fecit: vnde & postea ad Ecclesiam veniens vidit Christi in cruce pendentis caput, tanquam gratias ipsi agenti, ad se inclinari. 1.5

S. Martinus militem adhuc agens, partem chlamydis pauperi est elargitus. 4.7

S. Gregorius duodecim pauperes hospitio excipere solitus, etiam Christum Dominum pro tertiodecimo suscipere meruit. 4.7

Senior quidam anachoreta nihil præter detritam habens tunicellam, vnicumque panem, rogatus à paupere pro eleemosyna vtrumque paratus fuit dare. 4.7

Auarus quidam eleemosynis donandis incumbens, valde fuit ditatus, idq; eò magis, quo plus elargiebatur. 4.7

B. Anthonius Archiepiscopus Florentinus splendide prouidens paupertati filiarum quarundam cùm animaduerteret mundanis eas affici delitijs, parcius eas aluit, sicq; deinceps inculpatius vixere. 4.7

S. Bertulphus seruiens Vvomberto Comiti, libenter subueniebat pauperibus: quorum vni cum ollam vini fortè adferret, obuiam habens iratum Dominum, vinum in aquam est conuersum. 4.16

Tempore annonæ caritatis, cùm Monasterium quoddam cuilibet pauperi singulos daret panes simul ac obsonij paululum, accidit vt panes in furno coctionis tempore incrementum sumerent. 4.17

Cœnobium Hemmenrorde largas donans eleemosynas, tandem à Præposito quodam ducentas argenti libras accepit. ibid.

DE ALIIS VIRTVTIBVS.

Iustinianus Imperator tempore Quadragesimæ non nisi olera ac herbas syluestres, aceto maceratas edebat, ieiunans toto nonnunquam biduo sine vllo cibi alimento. 1.3

Tempore magnæ caritatis annonæ, cum Imperiali edicto concessum foret Bizantij carnes in macello vendi, nullus tamen qui eas emeret, est repertus. 1.3

Oxyringus Ægyptiorum vrbs, plura habebat religiosorum monasteria, quàm

quàm ciuium domicilia, immò tota insuper vrbs Monasterijs vndequaque cincta erat. 1.7

Monachus quidam à Superiore suo quopiam missus, ea lege vt eodem vesperi rediret, cum vehemens decideret imber, daretq; modis omnibus operam, vt præsentem se Superiori sisteret, à Deo per aquam est sublatus. 4.15

Ioannes abbas toto anno ex obedientia aridum irrigabat truncum paratus insuper ingens quoddam prouoluere saxum, quod plurimorum nequibat moueri opera. 4.12

De duobus religiosis, in itinere ex obedientia præcepto defunctis. ibid.

Cartusianus quidam lecto decumbens, cùm de consilio medici assatam esset commesturus perdicem, renuit ipsaq; in aerem mox euolauit. 4.14

S. Hieronymus Virgines Deo sacras hortabatur, vt tempore prandij, pia lectioni incumberent. 4.15

Plato indignatus seruo, aiebat se eum percussurum, nisi foret iratus. 5.8

De religioso quodam cui Diua apparens Virgo, aiebat placere sibi deuotionis suæ studium, modo ita pergeret 6.4

Zeleucus legem promulgans, vt adulter vtroque priuaretur oculo, cùm filius eam primus esset transgressus, illi quidem vnum, sibi verò alterum curauit erui. 6.7

Constantinus suos volens probare ministros, iussit eos exire aula qui idola colere recusarent: verum vice versa, tales potius reseruauit. 9.6

DE TENTATIONE.

Ioannes abbas diaboli parens instinctu, toto abstinebat biduo. 1.1

Abbas Hero annos quinquaginta in magna transigens pœnitentia, tandem diabolico deceptus astu, in puteum se præcipitem dedit. ibid.

Duo iuniores Monachi nihil volentes edere nisi quod diuinitus eis ministraretur, cùm vnus eorum fame interijsset, alter diaboli conatus suspectos habens, mutauit sententiam. ibid.

Presbyter quidam indignabundus, cum famulum vocitaret diabolum, volens sibi ab eo caligas exui, sensit diabolicas admoueri manus. 1.4.

De mulieribus quibusdam quæ ante annos 1300. putabant se cum Diana ac Herodiade choreas agere. 1.7

Origenes amore castitatis se ipsum emasculauit, ferro genitalia demetens, 1.8.

De quodam qui in solitudine sanctam degens vitam, per diaboli fraudem Iudæus est effectus, ac tandem à vermibus consumptus. ibid.

Diabolus in specie Monachi Monachum adiens, eumq; ad orationem incitans, nil nisi hunc & semper, & in secula seculorum *iteratò demurmurabat, cui cum alter inculcaret præmittendum esse,* Gloria Patri, & Filio, *&c. ilico disparuit.* 1.9

Quidam operæ veneficorum superueniens prandentibus, cum cibum nimis insul-

insulsum esse animaduerteret, modicumq; salis identidem expeteret, tandem voti compos, cùm Deo referret gratias, vidit confestim totam hanc euanescere tenebrionum colluuiem. 1.9

De S. Cypriano magicis artibus Iustinæ Virginis consensum expetente. ibid.

De maligno quodam spiritu iactitante, quod non solum homines sanctos iam iam morituros infestet, verum etiam quod Christo Domino in cruce pendenti præsto fuerit. 1,14

Quinquennis puella à patre execrata, vt vna cum pulte diabolum deglutiret, obsessa fuit, quod usque in adultiori ætate Romæ liberari metuit. 3.1

Diabolus seni cuidam heremitæ, grauibus carnis stimulis inquietato, promisit se ei amplius molestum non futurum, si imaginem Deiparæ Virginis missam faciens, non amplius veneraretur. 3.1

Quo pacto diabolus monachum quendam post grauem quindecim annorum luctam, tandem induxit, monialem sibi sociare. 3.3

Dæmon quidam petens sibi à B. Narcisso viuentem adsignari animam, serpentem obtinuit. 3.3

Quo pacto monachi ad diuina se non conferant, nisi, malignis comitati spiritibus. 3.5

De religioso quodam, qui nocturnis horis diabolica secundum quietem sustinens phantasmata, tota insequenti die amentia fuit correptus. 3.10.

Quo pacto Lucifer in inferno vinctus detineatur tribus hisce verbis. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso: quæ energumena quædam in Missali digito cuidam ad oculum ostendit. 3.11

Serapidis idolum proclamauit se obmutescere ob vitæ sanctimoniam B. Apollinaris, discipuli S. Petri. 3.11

Qualiter idola responsa dare recusauerint, ad præsentiam vnctorum, hoc est Christianorum. 3.11

Monialis quædam lactucam in horto morsicans, non prius salutaris signi tessera consignatam, diabolum simul esitauit, 4.14

Quo pacto omnibus sit hæc cura mortalibus, vt & vilius emere, & carius vendere gestiant. 4.17

Qualiter dæmones visi sint indignè communicantibus, carbones ignitos in os inserere. 5.1

Quo pacto ad flatum S. Romualdi Abbatis quidam de vita periclitans, illico conualuerit. 8.9

Dæmones Ægyptiaci prædicebant quanta esset futura Nili inundatio, idq; propter aquarum, quæ in superiori erant Æthiopia, abundantiam. 11 4.

Heremitæ quidam carnis agitatus stimulis, alterius implorabat preces, qui tamen nihil sensit adiumenti, quod ipsemet non simul oraret. 12.2.

DE HAERETICIS, AC S. ECCLESIAE. persecutoribus.

Iulianus Apostata, vt Christianos vehementius affligeret, omnia cibariorum genera praesertim Quadragesimalia Dijs immolabat, verum B. Martyr THEODORVS diuinitus eos edocebat, quibus vitam alimentis conseruarent. 1. 3

Basilius magnus ideo ad B. Equitij sese conferebat monasterium, vt religiosis ibidem degentibus obesset. 1.7

Quo pacto magus quidam haereticus, vt quendam deciperet religiosum, eum ad speluncam quandam subterraneam perduxerit: in qua videbatur tanquam in pulcherrima aula Christus Dominus vna cum matre splendido insidere throno. Quem adorare iussus, extraxit è sinu suo, Venerabile Sacramentum, quod offerens illi, quam Diuam Virginem esse arbitrabatur, vt in eo filium adoraret, mox omnes illae damonum prestigiae disparuere. 1.10

Tertullianus Pontificatui ambitiosè inhians, cùm se sua frustratum spe cerneret, Montani amplexus est haresin. 2. 1

Lutherus audiens Euangelium illud decantari, in quo spiritus immundus iubetur egredi, edita voce proclamabat, non sum, non sum. 3.1

Haereticus quidam sacrilegus frustum panis in contemptum V. Sacramenti in altum eleuans, ilico obrigescens, sceleratum exhalauit spiritum. 3.3

Alius quidam Diui Antonij exsibilans ignem, lingua pestem concepit, qua & interijt. 3.3

Simon Magus simulans se velle suscitare mortuum, atq; in aerem euolare, ne hilum quidem profecit, sed in altum à damone sublatus, confractis cruribus decidit. 3 3

Cirola Arrianorum Episcopus volens suam ostendere fidem miraculis, ex vidente cacum effecit. 3.3

Ita & Caluinus ex viuente mortuum. ibid.

Lutherus VVittenberga energumenam quandam volens à damone liberare, in tantas ab ipso fuit redactus angustias, vt nisi valida securi cancellos perfringi curasset, haud viuus euasisset. 3.7

Circumcelliones haretici se ipsos vario suppliciorum genere interimebant. 3.10

Arriani falsò obiectabant B. Athanasio, quod non solùm foeminam construpasset, sed & Arsenio Diacono brachium amputasset, quo ad maleficia vteretur. 3 10

Gregorius Nazianzenus ex gestibus diiudicauit Iuliani Apostata, tunc temporis adhuc literis operam dantis, hypocrisin. 3.10

Rusticus quidam in Germania, eadem verborum forma suos baptizabat catulos,

tatulos qua hæreticum Ministrum audierat germanicis verbis pueros baptizantem. 6.13

Duo in Austria conuictores quorum vnus catholicus, alter verò hæreticus erat, cùm vterque missæ interesset sacrificio, vidit hic Christum torquentem vultu, ille autem è contra, valdè suaui & amabili. 7.6

In primo Nicæno Concilio Orthodoxi Patres ne syllabam quidem vnam de persona Christi, in gratiam Arrianorum immutare voluerunt. 8. 16.

Theodoricus Arrianorum Rex Diaconum quendam decollari iussit, quod ex Catholico factus esset Arrianus. 9.6

Simon Magus fuit caussa necis B. Petri Apostoli. ibid.

Nouatiani valdè molesti erant Cornelio Papæ, ibid.

Arriani contumeliosè ad Pontificem scribebant. ibid.

Dioscorus hæreticus Leonem Pontificem excommunicare fuit ausus. ibid.

Berengarius Pontifices appellabat Pompifices. ibid.

Arriani ambiebant fauorem Constantij Valentis. a a. ibid.

Donatistæ sacrum chrysma è fenestris proijciebant, & S. Eucharistiam canibus qui tamen aduersus eos præualuerunt. ibid.

B. Anthonius in quiete vidit iumenta aras demoliri, quando Arriani exoriri cœpere. ibid.

In septima Generali Synodo comprobatum est, hæreticos Epiphanij libros adulterasse. ibid.

Palæstini Monachi conquerebantur hæreticos suis libris Catholicorum præfigere nomen. ibid.

Lutherani bellum inferentes castitati, commenti sunt epistolam quandam nomine B. Vdalrici Episcopi Augustani. ibid.

Christus apparuit B Petro Alexandrino, veste à capite ad calcem vsque dilacerata, conquerens Arrianos suam ita laceraſſe Ecclesiam ibid.

Georgius Saxoniæ Dux de Lutheranis dicere erat solitus; scire se quidem quid hoc anno credant, quid vero sequenti sint facturi, incomperium se habere. ibid.

Valentinianos hæreticos multos quidem numero fuisse, verum paucos, qui inter se vnum idemq; saperent. 9.15

Quo pacto Lutherana hæresis paulatim à paucis erroribus ad plures deuenerit, adeo vt iam vix vlli reperiantur qui prioribus inhæreant placitis, aut etiam primæ Augustanæ confessioni. 9.15

Qualiter Paschalis II. in Lateranensi Concilio ab Episcopo quodam tectè hæreseos insimulatus, responderit, Romanam Ecclesiam Christi promissis precibusq; stabilitam, nullo vnquam tempore hæresin docuisse. 9.16.

De duobus Monachis ab Abbate Lucio edoctis, vt sine cessatione semper orarent. 12.2

Qui

Quo pacto Græci anno Domini 777. erroris sui de Spiritu sancto conuicti sint, necnon & anno 1438. 13.3
De fastu Patriarchæ Constantinopolitani, Romano Pontifici in nomine œcumenici sese præferentis. 13.3
Christianorum quidam puerulus videns matrem ignibus adiudicatam, currens per medias flammas, simul cum eadem est exustus. 13.5.
Iulianus Apostata, videns Gentiles aliquot ob inculpatam Christianorum vitam huic sese religioni dedere, hortatus est idolorum Sacerdotes, vt etiam ipsi inculpatè viuerent. 13.7
Polycarpus obuiam habens Marcionem hæreticum, primogenitum Sathanæ eum nuncupauit. 13.9
Quin & Ioannes Euangelista ex balneo sese proripuit, in quo Cerinthus lauabatur. 13.9
Quo pacto Flauianus Patriarcha Constantinopolitanus excommunicauerit omnes illos, qui cum Eutychete hæretico conuersabantur, loquebanturq;. 13.9
Donatistæ facultatem largiebantur suis, interimendi passim Catholicos 13.10
Thaboritæ idem in Bohemia facitabant. *ibid.*
Quin & Caluinistæ idem, cum possunt, vsurpant. *ibid.*
Arrius diuina perurgente vindicta, in cloacam sua egessit viscera. *ibid.*
Valens Arrianorum Imperator viuus est à Gotis exustus. 13.10
Blasphemam Nestorij linguam vermes consumpsere. 13.10
Hunnericus hæreticus Rex viuus ab ijsdem est deuoratus. 13.10
Anastasius Imperator fulmine ictus interijt. 13.10
Nouatus ideo in hæresin incidit, quod confirmationis Sacramento munitus non esset. 14.3. & 11.
Quo pacto idola obmutescant in præsentia Christianorum. 14.11
Quo pacto propter Arrianos in baptismo non nisi in singulari numero dicatur, in nomine. 15.4

DE ALIIS PECCATIS, EORVNDEMque pœnis.

Lacedæmones sua inebriabant mancipia, eaq; postmodum liberis exsibilanda obiectabant, vt ab ebrietatis turpitudine hoc pacto abhorrescerent. 1.4
Maximilianus Imperat. I. quo pacto feram per altissima montium

 iuga

iuga insectatus, in cauernam inciderit, è qua non nisi diuina potuit ope erui. 1.7

B. Lutgerus socio suo horas secum legenti pœnitentiam iniunxit, quod ignem tali tempore flatu succenderet. 2.7

de quodam qui seipsum iuramento detestatus, in cinerem est redactus. 2.9.

Puer quinquennis iuramentis adsuetus, à dæmonibus eripitur parentis sinui. 3.3

Hasseleti rogi omnes in templo exstinguebantur, cum ex oxali crux protraheretur, in ignem conijcienda. 3.3

Plato, ac Socrates ad portum Athenienſium concessere, vt ibidem sculptum Dianæ simulachrum adorarent. 3.11

Anonymus quidam volens, vt mendicantes religiosi potius manuum labore, quam eleemosynis, victitarent, non longè post malè interijt. 3.14.

Caligula Imperator cum lacte nutricis suam imbibit crudelitatem. 3.17.

Titus assiduam suam ægritudinem. 3.17

Tiberius bibacitatem, vnde & biberius dictus. 3.17

Stephanus Abbas stipem ostiatim pro suis emendicando, quidquid panum à Simoniaco quodam sacerdote acceperat, epilionibus distribuit. 4.7.

Nobilis quidam valde ægrotans, 40. solidos ad Carnotensem quendam misit Abbatem, vt pro se Deum deprecaretur, qui eosdem remittens, nunciauit ei, ex omnibus hisce solidis non nisi vnum duntaxat legitimè esse acquisitum. 4.7

Quo pacto Deus auarum quendam Diaconum per coruum admonuerit. 4.8.

S. Sabinus Episcopus accipiens vinum veneno mistum ab Archidiacono suo, eius prælaturam ambiente, quidnam egerit, responderitque. 4.13.

Nobilis quidam volens ouum in parasceue edere, vidit in silicem illud commutari. 4.14

Monasterium quoddam solitum annis singulis certam frumenti mensuram pauperibus erogare, cum quodam tempore id non præstitisset, frumentum omne in granaria germinasse reperit. 4.16.

Alexander Magnus Clytum interimens amicum, paulo pòst grauissimè indoluit. 5.9

Duæ moniales ob detractionis vitium excommunicatæ, etsi cum pœnitudine obijssent, sub ipso tamen sacro è sepulchris suis exire visæ sunt, ac cum catechumenis è templo egredi. 6.4

Aristoteles Cyrenæus cum fœmina promisisset, quod eam in suam esset. ductu-

ducturus patriam, ostendit illi eandem in mappa geographica depictam. 8.10
Caiphas sibi ipsi manus iniecit violentas. 11.4
Idem & Pilatus Viennæ Galliarum fecit. ibid.
Annas cum alijs nonnullis miserabilrter perijt. ibid.
Similiter & Herodes. ibid.
Alexander Magnus intelligens plures esse mundos, vehementer dolebat se ne vnum quidem adhuc expugnasse. ibid.
Coruus quidam annulum asportans, persensit vim excommunicationis in furem latæ. 13.9

DE QVATVOR NOVISSIMIS.

Benedictus VIII. in statu peccati mortuus, apparuit cuidam, dicens se damnatum esse. 2.2
Theodoricus Rex cum innocentem Symmachum Senatorem interemisset, vidit eundem postmodum in capite piscis minitantem sibi, vnde metu consternatus, paulo post obijt. ibid.
Anachoreta quidam vidit huius Theodorici animam deforri ad ollam Vulcaniam. 2.2
Duo malefici Treuiris post mortem, exhibuere se præsentes in congregatione veneficarum, ex ore ac naribus flammas eiaculantes, vnde & ad meliorem sese frugem recepere 2.2
De Rufo quodam apparente auunculo suo Cyrillo. 2.2
De quadam Catharina puella in Peru infœliciter mortua, quod dedita opera in confessione nonnulla subticuisset. 2.2
Anima Paschalis Diaconi visa fuit in thermis Puteolanis pœnitentiam agere; cuius tamen corpus in sepulchro miraculis clarescebat. 2.5
De alia quadam anima, in balneis constituta, quæ Missæ precabatur pro se offerri sacrificium. 2.5
S. Seuerinus purgatorij luit pœnas, quod matutinis temporibus horas præueniret canonicas. 2.5
Rex quidam in extremis confessus, damnatus tamen fuit, quod id sine contritione fecisset. 2.10
Quo pacto Petrus quidam in purgatorio sit visus grauissimas luere pœnas, ob id nimirum, quod cum Superior esset, ex vindicta potius in suos animaduertisset, quam ex charitate. 5.6
Religiosus quidam post obitum suo apparens Abbati, preces eiusdem expetiit. 5.8
Qualiter dæmones ab ægrotorum lectis aqua profligentur lustrali. 5.8

Quo pacto in illa suprema lucta Apostoli iuxta ac Euangelistæ malignos abigant spiritus. 5.8

Quomodo tentationum magnitudo eodem illo tempore homines nonnunquam ad desperationem adigat. 5.8

Qualiter Christus, eiusq; sacratissima mater, nec non & alij Sancti beatorum animas interdum ad cœlestis regni gaudia perducant. 5.8

Quomodo nonnulli hinc emigrantes, etiam alios super hac re certiores efficiant. 5.8

De Stephano quodam viro nobili per errorem è corpore educto, ac postea in illud reuerso, deque illius atq; alterius cuiusdam militis admirabili visione. 7.10

Venerabilis quidam Abbas Ordinis Cisterciensis, cum moriens suum commendasset nepotem, quasi qui dignè sibi in officio posset substitui, tandem graues luit purgatorij pœnas. 8.3

Religiosus quidam videns in extremis virum quendam cum aqua ad se venientem, admonitus per hoc fuit confiteri mortale illud peccatum quod in confessione subticere erat solitus. 8.10

Adolescens ab Angelo de morte sua præmonitus, cum parum id curaret, infœliciter expirauit. 8.10

Domicella quadam subticens mortale quoddam peccatum visa est complures in ore habere bufones, nec non & terribilis magnitudinis serpentem, caput longè exerentem, retrahentemq;, &c. 8.10

Religiosus quidam in mortifero extinctus peccato, cum Missa sacrificium pro eo offerretur, erigens se è tumulo, blasphemabat Deum, sed, &c. 8.10

B. Thomæ Aquinati scire cupienti quo intuitu videretur Deus collega eius Romanus apparuit, dicens, sicut audiuimus, sic vidimus, &c. 8.15

Religiosus quidam rediuiuus admiranda quadã enarrabat de damnatorum pœnis, ac beatorum gloria. 10.6

Heremita quidam instar densæ niuis, vidit animas ad infernum decidere, ad purgatorium verò in modum rarissimæ nubis, ad cœlum autem tres duntaxat tendere. 10.9

Nonnulli eximiæ sanctitatis viri tria in extremis pertimescebant: nempe quando anima hinc esset emigratura, quo itura, & quali sententia excipienda. 10.14

Quo pacto ingens animarum, in purgatorio existentium, multitudo B. apparuerit Nicolao Tollentino, preces eius pro se postulans. Quæ deinde ad æternam translata requiem, gratias egit intercessori suo. 12.2.

Qualiter non liceat post obitum cum ijs conuersari, quibus cum in vita conuersari fuit vetitum. 13.9

Quo

Quo pacto excommunicatus quidam suo apparens post obitum consodali, eundem rogauit, vt cadauer ex sacris eruretur locis, donec ab Episcopo absolutus, ad calum emigraret. 139

Due moniales à D. Benedicto ab excommunicationis vinculo post mortem relaxate, salutem sunt adepte. ibid.

FINIS INDICIS.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Matt. 4.

IN illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cũ ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens Tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriã eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Sathana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Compendioſa Euangelicæ enarrationis explicatio.

POſtquam Dominus à Ioãne baptizatus, plenuſque Spiritu S. (vt deſcribit Lucas) inde regreſſus eſt: ab eodem Spiritu S. *ductus eſt in deſertũ, vt tentaretur à diabolo.* tum vt experientia tentationis vim diſceret, nobiſque cum tentamur compateretur; tum, vt nos exemplo ſuo tentationis ſuperandæ modum doceret. Nos diabolus non pro ſua poteſtate, neque enim id ei Deus permittit, ſed pro noſtra tentat infirmitate, vt Auguſtinus docet. Chriſtus verò in ſe, plenam ei indulſit experiendarum virium ſuarum facultatem, idq; in deſerto in quo quadraginta dies ac noctes exegit (à ſexta nimirum Ianuarij (qua baptiſatus eſt) vſq; ad quintam & decimam Februar.) abſque omni cibo & potu. neque ibi ſemper eodem loco manſit: mutaſſe enim loca phraſis Lucæ ſignificat. Orabat porro, & pœnitentiam pro nobis exercebãt, totũ illud tempus, ſub dio tolerans, nullamq; corporis recreationẽ, hyberna licet tempeſtate admittens. Neſciebat interea diabolus quid de Chriſto cogitaret. Sanctum videbat & ſuſpicabatur Meſſiam, quem ex Scriptura ſciebat Filium Dei fore, ſed multa ei hic dubitatio, an hic *Ieſus* eſſet Filius Dei. Suſpicionẽ roborabat Ioannis Baptiſtæ humilitas, qui indignum ſe ſoluendæ illius corrigiæ dixerat, & teſtimonium Patris. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Tamen cum *Ieſum* cogitabat à Ioãne baptiſatum, quia humilitatis dignitatem ignorabat, ſuſpicio labefactabatur.

Hebr.5.15.

Lib.20. de ciu.c.15.

Luc.4.1.

Diaboli fluctuatio.

Matt.3.11.

ctabatur. Rurſus cum ieiunaſſe vidit quadraginta dies & quadraginta noctes creſcebat illa: ſed cum Moyſen cogitat idipſum feciſſe bis in monte Sina, & Eliam ſemel dum iret ad montem Oreb, qui tamen puri homines erant, fluctuabat. Et licet aliqui diabolum dicant, his quadraginta diebus, tentaſſe frequentius. tamen id ex Euangeliſtis, qui triplicis ſolum tentationis in fine quadraginta dierum meminerunt nō liquet. Volebat enim experiri diabolus, quænam poſt 40. dies futura eſſet Chriſti diſpoſitio, ſi enim vel produxiſſet ieiunium, vel famem non ſenſiſſet, ſuſpicari rurſus de eo aliquid ſupra hominem potuiſſet: quod cum famentem vidit inſtar aliorum, non æque potuit. Atque ita ſe ad tentationem armauit. Auguſtinus Luciferum fuiſſe putat, quia Chriſtum ob nimiam eius perfectionem inferiores diaboli formidabant. Fauet quod dixit Chriſtus: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Duplex erat diabolo ſcopus: prior vt diuinitatem Chriſti exploraret, quam ſi perſpexiſſet, nunquam Iudæos in eius mortem incitaſſet, ſibi metuens. poſterior, vt ſi filius Dei non eſſet, eum ad peccatum impelleret. Impugnationis autē quantum ex Euāgeliſtis colligimus, fuit hic ordo. Acceſſit Chriſtum Lucifer, ſpecie humana, & quaſi cōdolens illi, ait, quorſum hæc ieiunij diuturnitas & fames, quin Filium Dei te oſtende, lapidibus in panes conuerſis, vt comedas. Panem ipſe non adfert, quia eius cibationem nolebat, ſed diuinitatis experimentum: certus eum lapides non conuerſurum, niſi Dei Filius eſſet: tum quia Deus non probat mendacia miraculis, tum quia Chriſtum non ſuſpicabatur magum, qui ope diabolica, vt magi Aegyptia-

Orig. hom. 17. in Luc.

L. 9. de ciu. Dei c. 21.

Ioan. 14. 30.

Diaboli ſcopus in tentatione Chriſti.

Exod.7. Aegyptiaci creaturas commutaret. cum ſciret eum hac in re à dæmonum nullo iuuari. Nō dixit *fac panem:* ſed *dic*, id eſt, Filium Dei te monſtra, qui citra laborem, ſolo imperio creaturas immutes, ſicuti verbo ſolo Deus eas condidit. Neq; dixit, *dic vt hic lapis panis fiat:* ſed, *vt hi lapides panes fiant*, nempe vt cibo abundes, vnde latet hic tentatio gulæ. Noluit Chriſtus diabolo innoteſcere, ne paſſio ſua impediretur: ideoque nec acquieſcit illi, docens vt & nos ei non acquieſcamus. reſpondet ergo per verba Scripturæ. *Scriptum eſt*, &c. quaſi diceret, poteſt Deus

Deut.8.3. hominem alio cibo nutrire, quam pane: quemadmodum Iudæos manna pauit. nihil ergo neceſſaria lapidum in panes conuerſio. Oſtendit hic Chriſtus fiduciam ſuam in Deum, quam & à nobis exigit; ac

Tentatio Secunda. Diuinitatem occulit. Diabolus ſe fruſtratum videns, alia aggreditur via. cumque hactenus hominem ſe finxiſſet, iam Angelum Dei mentitur: tollens enim Chriſtum per aera, in templi Ieroſolymitani pinnaculum, ſpectante populo, ſtatuit; ita ſecum argumentatus. Hic, ſi Filius Dei eſt, ſciet vtique quis ſim ego, neque à me patietur ſe tolli: ſin vero; Angelum Dei me putabit, mihique credet. Hinc noluit eum ſupra proſtibulum ſtatuere, vel arcem alicuius Principis, ſed ſupra domum Dei: &

Pſal.99. vt Chriſto perſuadeat, Scriptura vtitur, dicens, *Si Filius Dei es*, &c. quaſi dicat fac quæ præpono; miſit enim me Deus, vt meis te manibus excipiam. Putabat Diabolus Chriſtum, quia ab omnibus conſpici poterat, ex inani gloria acquieturum, vt populo potentiam ſuam manifeſtaret; atque ab eo honoraretur. Solet enim nos inanis gloria tangere, cum in populo

populo agimus. Allegat Pſalmum, quem ſciebat de iuſtis omnibus ſcriptum, vt reſponderet Chriſtus, verba iſta non de ſe, ſed de alijs hominibus ſcripta: verum Dominus per Scripturam reſpondet: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, id eſt, citra neceſſitatem non quæres miracula. per gradus deſcendere hic licet, fruſtra ergo præcipitium. Ex omnibus his pium quidem, purum tamen, hominem eſſe Chriſtum concludebat diabolus: ideoque, vt hominem, auaritia & ambitione tentat. Subuecto in montem, omnia mundi regna, eorumque gloriam oſtendit, non ſolum verbis dicens ecce tibi Italiam, Galliam &c. ſed, re ipſa illa oculis ſpectanda obijciens. nam, vt diſtantium quæ nec audimus, nec olfacimus, ſonum, & odorem, aer aduehit: ſic & diabolus diſſita oculis poteſt exhibere: applicans eorum ſpecies, ad quem modum Deus Moyſi, in monte terram promiſſionis oſtendit. Fecit hoc diabolus, teſte Luca, *in momento*: nempe: vt potentiam ſuam declararet; ſimulque ait: *Hæc omnia tibi dabo*. Vide regnorum omnium ſplendorem, opes, potentiam; vnum eſt, quod impedit quo minus hæc tua ſint; nempe ſi cadens adores me. Non hic diabolus Chriſti Diuinitatem explorat, ſed peccatum intendit; certus etiã pijſſimos ambitioni ſuccumbere. Adorari vult antequam det promiſſa, vult enim ſpe futuri, peccatum præſens. Chriſtus vero audita hac in Deum blaſphemia, diabolum increpat, & fugat dicens: *Vade Satana*, id eſt, impugnator Dei, & impie *Scriptum eſt*, &c. Tunc ille confuſus, abijt, *ad tempus*, ait Lucas; poſtea enim, frequenter Dominum per Iudæos tentauit. & Angeli boni acceſſerunt, portantes cibum, & potum pro neceſſitate.

Deut. 6. 16

Tentatio Tertia.

Deut. 34.

Documenta primæ Concionis.

I. *DVctus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu.* Dominica hæc quartam mundi ætatem ſignificat, quæ à Moyſe incipit, & Iudæorum ex Ægypto liberatione, qua Pharaonem cum ſuis Deus ſubmerſit; & Iudæos per deſertum, & prælia multa in terram promiſſam induxit; ibique eos non ſine bellis per annos 820. vſq; ad captiuitatem Babylonicam conſeruauit. Ætas hæc in homine eſt, quando iam vires habet, & robur ad labores, & pugnam. Cepit hac ætate lex, eiuſque ceremoniæ; quæ quia Chriſtum obſcure figurabant, ideo hodie imagines velantur & in choro cortina longa ſuſpenditur, quæ de in feria 6. tolluntur, quia tunc morte ſua Chriſtus figuras impleuit, & velum templi ſciſſum eſt, deſiitq; lex, & aperti ſunt cœli.

Imagines cur veneretur.

Euangelium hoc de Chriſti agit ieiunio, & tentationibus, proponiturque initio quadrageſimæ. *Primo*, quia circa quadrageſimæ noſtræ initium, tentationes contigerunt: 40. nimirum dies poſt Epiphaniæ. *Secundo*, Vt armemur cõtra tentationes, quæ hominem dum boni aliquid aggreditur, impugnant: iuxta illud Sapientis: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore & præpara ad tentationem animam tuam.* Habemus in nobis ipſis rebellionem aduerſus bonum, quam experimur dum bonum inchoamus: vtitur enim tunc illa diabolus. Cãdelæ recens extinctæ ſimiles ſumus, quam ſi adfles, ſtatim flammam concipit. afflat nos diabolus concupiſcentijs, & cogitationib⁹ noxijs: quamdiu aliquid ſupereſt in carne noſtra inclinationis prauæ, quæ virtute tolli debet. Egemus itaque, initio ieiunij, auxilio, quod nobis hodie Eccleſia proponit in Chriſto, qui ad ieiunia, orationes, & tentationes nos præceſſit. non tentabatur ille initio ieiunij, quia rebellione carebat; ſed in fine; occaſione famis. Diſce hic in omni tentatione CHRISTVM reſpicere, vt Apoſtolus monet, qui citra culpam ſuam, plura quam nos aduerſa tulit. Atque hæc cauſa eſt cur non eoſdem dies ieiunemus, quos Chriſtus: non quia id illicitum, cum Sanctus Franciſcus benedictos

Cur Euangelium hoc hodie legatur.

1.

2.

Eccl. 2. 1.

Naturæ corruptio *Simile.*

Chriſtus non tentatus initio ieiunij *Heb.* 12. 2.

c. 3. *Regulæ* minorũ.

ctos dicat à Deo, qui diebus Chriſti ieiunio conſecratis ieiunant; ſed vt Chriſtum intueamur Ducem, & formam ieiunij eius conſideremus. ieiunauit enim quã nos multo ſtrictius. *Primo.* Totis 40. diebus nihil comedit, vel bibit: nobis quotidie prandium conceditur, & certis tantum cibis, qui nimium nutriunt, vt carne, & lacticinijs, interdicitur. *Secundo*, ieiunabat Chriſtus media hyeme, quando, ob frigoris antiperiſtaſin, maior eſt ventriculi calor, & cibi indigentia: nos vero, ieiunamus aptiſſimo totius anni tempore. Æſtate dies ſunt lõgi, piſces noxij, morbi frequentes. hyeme piſces ſimiliter, ob frigus aqueum, noxij, & herbæ necdum natæ. autumno, tẽpus eſt inſalubre, & labor grauis in agricultura: at in fine hyemis, & initio veris, corpora firma, & vegeta ex hyberno frigore, piſces cõmodi, herbæ germinant, labor minor, ſanguis, & humores corporis alterantur: atque vt bruta, ſic & homines ad coitum diſponuntur. quod abſtinentia temperatur. Dicunt Medici corporibus humanis neceſſariam eo tempore purgationem, atqui nulla purgatio ieiunio commodior: hinc recte Hieronymus Catholicos dixit ſeruare quadrageſimam tempore congruo, & Eccleſia ieiunium. *animabus corporibuſque purgandis ſalubriter inſtitutum dicit.* *Tertio*, Chriſtus quadraginta hos dies, & noctes, ſub dio egit in orationibus, citra humanam conſolationem, inter beſtias, vt ait Marcus; nobis in quadrageſima recreatione honeſta non interdicitur; quæ tamen rara ſit, nam, vt Leo, quadrageſima inſtituitur vt aliorum temporum culpas ieiunia decoquant. vnde ſolent olim pij ſe ad ſolitudines, vel monaſteria recipere, & Eccleſia nuptias tunc vetat. Scripſit anno 858. Nicolaus Papa, vt Chriſtiani in quadrageſima venatione, nuptijs, & vanitatibus abſtineant, & coniuges non coitu ſolum, ſed & toto ob incontinentiæ periculum: vt iuxta Apoſtolum *melius vacent orationi.* notandum quoque; quod ieiunium noſtrum medium ſit, inter ieiunium, & mortem Chriſti: vt paſſionem eius, ait Auguſtinus, vita noſtra exprimat, & ex ea meritum, & gratiam accipiat.

Chriſti ieiunium rigidum.

Tempus aptum ieiunio.

Hier. epiſt. ad Marcel. cõt. Mont. *In oratione Sabbathi poſt cineres. 1. cap.* *Leo ſer. 4. 6 & 9. in Quadrag.* *Conc. Trident. ſeſſ. 24. ca. 10.* *Ad conſulta Bulgarorum c. 7. 44. & aliquot ſeq. 69.*

1. *Cor. 7. 5.* Ieiunium noſtrum mediat inter mortem & ieiunium Chriſti. *Epiſt. 119. cap 13.*

Prẽcedit nos Chriſtus nõ ſolum exemplo, ſed & auxilio: iuxta illud Dauidis, *miſericordia eius præueniet me, & præueniſti eũ*

gratia prẽueniens. *Pſal. 58. & Pſal 20. 4.*

benedictionibus dulcedinis, niſi enim Chriſtus ſua gratia nos excitet, ſequi eum non poſſumus: quia *ſine ipſo* non ſolum *nihil facere*; ſed *neque ſufficientes ſumus aliquid cogitare.* Sequitur nos Chriſtus, vt promoueat, & impellat: iuxta illud: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Naui ſimiles ſumus, quam equi antecedentes trahunt, ventus ſequens impellit, & interni remiges promouent. Ieiunia noſtra Chriſti ieiunium antecedit, paſſio ſequitur, Epiſtolæ Euangelia & Conciones quaſi interni remiges ſunt, vti & aliorum exempla. Matthæus cum hoc Euangelium ſcribit ſic habet: *Tunc ductus eſt*, vbi τὸ *Tunc* emphaſin habet vt notat Chryſoſtomus ſignificat enim, initium ieiunij, & diſciplinam vitę Chriſti, adfuerat ille matri in Nazareth triginta annis, eique poſt obitum Ioſeph victum labore fabrili quæſierat, poſtea à Ioanne baptiſatus, in deſertum per 40. dies ſeceſſit, demum in Capharnaum migrat, & Euangelium paulo amplius tribus annis docet.

Ioan. 15. 5. 1. *Cor.* 3. 5. Subſequens. *Pſal.* 22. 6. *Matt.* 4. 1. *Hom.* 13. *in Matth* TVNC quid ſignificet. Documẽtum 1.

Chriſtianiſmus in quo.

Oſtendens *Primo*, Chriſtianæ vitæ profeſſionem, magis rebus cõſtare, quam verbis: tacuit enim ipſe per triginta annos. Duo brachia dedit nobis Deus, quæ ſi extendas, adæquant totius corporis longitudinem. at vero linguam vnicam conceſſit, eius paruitatis, vt dentibus & ore cuſtodiatur: vt ſignificaret, nobis operis multum, ſermonis parum conuenire, monſtra ſunt qui ſecus faciunt, quia linguam habent brachijs longiorem. Apoſtolus ex Iſaia Euangelium vocat *verbum abbreuiatum*: quia paucis multu cõtinet, & explicatius, pietate, quam ſtudio diſcitur. non docuit Apoſtolos Chriſtus concionandi, ſed viuendi formam. qui pie viuit, nec materia, nec modo dicendi carebit. non quaſi non debeat modus concionandi addiſci, ſed quia non debet in hoc poni præcipuum ſtudium. pietas facit vt & aliorum dicta melius ſentiamus, & noſtra fortius inculcemus. in horologio ſi index primam monſtret, & campana ſonet duodecimam vitium eſt, ſic qui multa ſonat, & pauca exemplo monſtrat.

Humanæ figuræ allegoria. *Rom.* 9. *Iſa.* 10. 20. Verbum abbreuiatum quid. *Simile.*

Secundo, diſce modum inchoandi ieiunij. Chriſtus ante ieiunium baptiſatus eſt, multi peccata confitentur, certi corporis afflictionem Deo non gratam, niſi à vitijs ſimul ieiunemus

Documẽtum 2. *Matt.* 3. 16

mus. Rogantibus per Iſaiam Iudæis, *Quare ieiunamus & non aſpexiſti?* reſpondet Dominus, tres cauſſas. *Prima* eſt: quia *tempore ieiunij inuenitur voluntas veſtra*, nec facitis voluntatem Domini: quia enim ieiunium inſtituitur, vt omiſſa voluntate noſtra faciamus quod placet Deo, oportet initio ieiunij cogitare, quomodo toto ieiunij tempore voluntatem Dei faciemus. *Secunda.* Quia debitores qui non erant ſoluendo repoſcebant. docet ergo, ieiunia eleemoſynis ornanda, vt & debita pauperibus remittamus, & nobis ad debitorum ſolutionem cibum ſubtrahamus. *Tertia.* Quia cum proximis litigabant, qui à Deo vult pacem, debet eandem præſtare hominibus. Diſcis *Tertio.* Dari nobis à Deo gratiam, non otij, ſed prælij cauſa, Chriſtus cum cœlos vidiſſet apertos, audiſſetq; *Filius Dei*, & Spiritus S. in eum deſcendiſſet in ſpecie colũbæ, diabolũ aggreditur. Diuitias dat Chriſtus, & pauperes; vt per eleemoſynas de auaritiæ diabolo triumphes. monet vitandam iram, dein exercitium, & materiam offert: vt vincas: dat proſpera, vt armeris contra aduerſa: iuxta illud, *in die bonorum ne immemor ſis malorum*, viſitat enim hominem Deus *diluculo, & ſubito probat illum.* Gratia inſtrumentum pugnæ eſt, ideoq; nihil mirum vbi plus gratię, ibidem eſſe plus pugnæ. vt factũ in Iob, Abraham, Apoſtolis, ibi enim plus armorum, vbi maior vis hoſtium.

Iſa. 58. 3. Tres cauſſæ ob quas ieiunia ingrata Deo. 1. 2. 3. Documentũ 3. *Mat.* 3. 16. *Eccl.* 11. 27. *Iob* 7. 18.

Tria in primis Euangelij verbis notanda ſunt. *Primo. A ſpiritu*, nempe Sancto; quo Chriſtus plenus, ab eodem ductus eſt in deſertum, vt doceret nos. *Primo*, inchoatum à ſe redemptionis noſtræ opus ex charitate, quæ Spiritus S. opus eſt. *Secundo.* Nunc grata Deo noſtra opera, cum à Spiritu S. ad ea agimur. Dixit Ioannes, *Omnes qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed ſemen Dei manet in eo*: ſemen hoc, gratia eſt Spiritus S. quæ opera noſtra purgat, & Deo probat. *Tertio.* Ieiunium nõ eſſe malum, ſed opus Diuinum, (quia ad illud Chriſtus actus eſt à Spiritu Sancto,) & vtile, quia per Chriſtum ad nos deriuatũ; quemadmodum aqua, ſi per amygdala comminuta coletur ab eis, & dulcorem trahit, & ſanitatem. *Quarto.* Non debere nos in ieiunio duci à ſpiritu proprio, ſed diuino nempe vt ſequamur Eccleſiæ inſtitutionem, quam ſcimus à Spiritu S.

Documẽta tria. Primum. Chriſtus cur in deſertum. 1. 2. *1. Ioan.* 3. 9 3. 4.

duci. dixit enim Chriſtus. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui maneat vobiſcum in æternum.* Peccat ergo qui ſpretis Eccleſiæ ieiunijs, noua ſibi cũ Iudęis Simone Mago, Encratitis, Marcioniſtis, Manichæis, &c. cudunt; qui à cibis quibuſdam abſtinent, tanquam ſi immundi eſſent, & à diabolo conditi, quos Apoſtolus redarguit, & cũ Montaniſtis qui vt eſt apud Ieron. plures Quadrageſimas induxerunt Armenij, & Chazinzarij apud Nicephorum, ex mandato Sergij hæreſiarchæ, ieiunant ob Arziburum canem à lupis occiſum. Euſtachiani, contra Eccleſiæ ritum, ieiunabant diebus Dominicis, quos Caluiniſtæ nonnunquam imitantur: qui vt ab Eccleſiæ ieiunijs, & tempore diſcrepent, & ritu ſuos diebus dominicis in templo ad Solis occaſum vſq; detinent, ac dein omnes cibos permittunt. Agit hos ſuperbiæ diabolus; vti & Catholicos illos, qui imprudenter, inuitis, vel inſciis Superioribus ieiunant, vt de Ioanne Abbate prodit Caſſianus, qui poſtquam duos dies ſine omni cibo ieiunaſſet, vidit diabolum ſibi ad genua accidentem, & cum riſu dicentem, ignoſce mihi, quod te ſic fatigarim, & de Abbate Herone, qui poſt quinquaginta annorum pœnitentiã, ſe ipſum in puteum præcipitauit; & de duobus monachis neophytis qui cum ſtatuiſſent ſe non comeſturos, niſi quod mitteret Deus, alter fame obijt, alter vero mutato propoſito, obuia comedit. Periculoſum eſt in afflictionibus corporalibus ſe ipſo niti, ſæpe admiſcet ſe diabolus, vt corpus reddat Diuino cultui inidoneum. *Quinto*, diſcis eos, qui, vt Apoſtolus ait, ſpiritu Dei aguntur, eſſe filios Dei. Beati qui nihil ductu proprio faciunt, ſed in omnibus ſequuntur motum Dei, quemadmodum de ſe ait Chriſtus; *A me ipſo facio nihil, & Verba quæ ego loquor, à me ipſo non loquor; ſed Pater in me manens, ipſe facit opera.* Iuſtos *Spiritu Sancto inſpiratos* loqui fatetur Petrus, & de ſe ait Apoſtolus, *puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam*, & alibi, *habentes eundem ſpiritum credimus & loquimur. Vt iumentum*, ait Dauid, *ſum apud te*; id eſt, non ego, vt alij, me rego; ſed iumenti inſtar à te regor. Inter homines & bruta hoc ponunt docti, quod hæc, quia ratione carent ab hominibus regi debeant, illi vero à ſeipſis. Beſtias agit paſſio &

Ioan.14.16 Ieiunia mala.

Rom.14.16 *Coloſſ.2.16* *1.Tim.4.3.* *Ier. Epiſt. ad Marcellam contr. Montam.*

Collat.1. c.21.

Colla.2.c.5 *Ibid.c.6.*

5. *Rom.8.14.* *Ioan.5.30.* & 14.10.

2.Pet.1.21. *1.Cor.7.40* *2.Cor.4.13* *Pſal.72.23*

Hominũ à brutis diſcrimẽ.

ſio & phantaſia, nec reluctari poſſunt. Iuſti beſtijs ſimiles ſe optant, non in paſſionum vi, ſed vt ab alijs regantur & à Spiritu Dei. quorum prius ſubditis, poſterius Superioribus conuenit; qui & ſibi, & alijs gratiam à Deo accipiunt, ſicut vnguentum olim in caput ſummi Pontificis effundebatur, vt non in barbam ſolum, ſed & in oram veſtimenti deſcenderet, id eſt, Eccleſiaſticos, & ſæculares ſubiectos. *Pſal.* 132. 2

Secundum eſt *Ductus*. non manu, ſed indicio Spiritus ſancti, Variant in verbo hoc Euangeliſtæ omnes: Marcus habet, *& ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum.* Matthæus: *Ductus eſt à Spiritu.* Lucas: *Agebatur à Spiritu* vt diſcamus. *Primo*, opus hoc totius fuiſſe Trinitatis, Patris ſcilicet, in efficaci expulſione: Filij, in ſapienti deductione: Spiritus Sancti, in amoris vi & raptu. Ora Trinitatem, vt in omnis actus initio, tibi adſit ſapientia ad diſcernendum; & amore, ne alterius vllius gloriam quæras. *Secundo*, Quomodo Deus nos iuuet; ipſe enim inchoat, educens ex malo, ſiue pœnæ, ſiue alterius rei, intuitu: dein deducit nos, & iuuat ſicuti Simonem iuuabat. Chriſtus in crucis baiulatione: quam ſimus ad bonum impotentes ſatis luculentè oſtendit Apoſtolus Romanis: vnde Petrus, *qui cœpit in vobis*, ait; *ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque*, & ab Apoſtolo Chriſtus, *conſummator* dicitur: ipſe enim opus noſtrum perficit gratia, & lauat à ſordibus. *Tertio*, Quid ſit Deus, & quid in nobis faciat, quidue à nobis requirat, cum eum ſequimur. Verbum *expulit* ſignificat, non peccata ſolum, ſed & conſuetudines malas deſerendas; quod quia durum, ora cum Eccleſia, vt Deus ad ſe etiam *rebellem voluntatem* tuam conuertat. quomodo Angeli Loth è Sodomis *manu* apprehenſum *eduxerunt*. neque de auxilio diffidas, aderit enim Deus. Verbum *ductus* Chriſtianæ vitæ ſignificat, *Primo* facilitatem. via ſalutis aſpera non eſt, ſed plana: neque vt de via inferni queruntur mali, *difficilis* eſt vbi montes ſuperbiæ, lapides iræ, lutum impudicitiæ, foueæ deſperationis, arena auaritiæ, inæqualitas turbatæ conſcientiæ. *Secundo*, Modum ſapientiæ, quem in hac via ſeruare debemus. etſi enim fortiter ſimus è malo educti, tamen nimia feſtinatio cauenda eſt, ne præci-

Documentum ſecundũ. *Marc.* 1. 12 *Matt.* 4. 1. Chriſtus quomodo ductus *Luc* 4. 1. *Rom* 7. 1. *Pet.* 5. 10. *Heb.* 12. 2. Expulit quid? *Dom.* 4. *poſt Pentecoſt. in Secreta.* *Gen.* 19. 16. *Ductus* quid? 1. *Sap.* 5. 7. 2.

præcipitemus : non est exiguum tantam fossam transiuisse, nempe ab inimicis Dei ad filios. Ducem sequere, ne erres : donec viæ sis peritior. *Tertio :* Dei erga nos suauitatem, non trudit, nec verberat sequentes, sed ducit: imo in locis asperis, vt Isaias, Ieremias, Ezechiel & Michæas dicunt, *portat* neque nos tantum, sed & *languores nostros,* & quicquid vexat vt læti sequamur. verbum Agebatur non significat externam vim sed internam qualis est in pyrobolis : qui enim Deũ sequuntur, interiorem flammam alunt, quæ lucet, calet, leuis, & agilis est, ac semper agit. Vnde & illi *Primo*, sentiunt internos motus, siue aliquid audiant cum discipulis euntibus in Emaus, quorum *cor ardebat*: siue orent cum Dauide, cui *in meditatione exardescebat ignis* : siue proximum iuuent, quemadmodum ignem chalybs ex silice elicit. *Secundo,* Leues sunt excusso onere peccati, quod Zacharias *plumbo* comparat. tanta est animarum agilitas, vt cum Apostolo in cœlos rapiamur, & corpora nonnunquam subleuent, vt de Sancto Francisco testatur Sanctus Bonauentura, & Cantipratanus de Christina mirabili, quæ ante 400. annos vixit, & auis instar arborum ramis insidebat. hinc illa eorum supra naturam opera, in ieiunijs, vigilijs, orationibus. *Tertio,* Splendent per Dei gratiam sole clarius, & in corpora nonnunquam splendorem hunc diffundunt. Scribit de Sancto Antonio B. Athanasius, quod postquam in spelunca diu delituit, & cum diabolo conflixit, serenior multo & nitidior prodierit. B. Pater noster Ignatius, sæpe fulgore suo cubiculum illustrauit. *Quarto,* Agiles sunt; B. Virginis instar, quæ *cum festinatione abijt, nescit,* authore Ambrosio, *tarda molimina Spiritus Sancti gratia,* neque differt bonum, aut protelat. *Quinto,* Non quiescunt à bono, sed ad omnem oportunitatem aduolant. Apostoli totum orbem peragrarunt, vt malos, sicuti B. Petro ostensum erat, *manducarent*; & in se conuerterent. Bonauentura quatuor distinguit bonorum genera. *Primi.* Nullum lædunt, neque peculiariter bene faciunt. *Secundi.* Ad bonum sunt diligentes; sed sistunt in consuetis, nec proficiunt. *Tertij.* Proficiũt. *Quarti.* Non sibi solis, sed & alijs laborant. atqui hi Christo simillimi sunt, & in deserto agunt cum feris, quia vt homines fe-

5. *Isa.* 40. 46. 63. *Ier.* 32. 39. *Eze.* 12. 12. *Mich.* 11. *Agebatur* quid? Deum sequentium conditiones.

1. *Luc.* 24. 32 *Psal.* 38. 4.

2. *Zach.* 5. 7. 2. *Cor.* 12. 4 *In vita eius. c.* 10.

3. *In vita Antonii.*

4. *Luc.* 1. 39. *Ambr. l.* 2. *in Luc.*

5. *Act.* 10. 13 *Bonau de* 6. *alis. c* 3. Boni quotuplices.

ris &

ris & iumentis comparatos à peccatis conuertant, nulli laborí parcunt.

Tertium verbum eſt *in deſertum*. Chriſtus ſtatim à baptiſmo in deſertum ſeceſſit, vbi nullæ domus, horti, eſcæ, aut humana ſolatia: nihil præter aerem, feras, & ſterilitatem. *Primo*, vt pro peccatis noſtris pœniteret, famem, pro gula, ſitim, pro ebrietate, pauperratem, pro luxu; & incommodum omne, pro noſtra pateretur voluptate. adimplens veteris Teſtamenti figuram, vbi Aaroni mandatum, vt manus hirco imponeret, & peccata populi confiteretur, ſicque eum in deſertum dimitteret. Hircus iſte Chriſtum repræſentauit, in quo, vt ait Iſaias, *poſuit Deus iniquitates omnium noſtrum*, atque pro eis ſatisfacturum, dimiſit in deſertum. *Secundo*, Vt gratiam in baptiſmo datam diſceremus; nempe mundi fugam, & pomparum abrenuntiationem, ac requiem in Chriſto: de qua iàm olim Dauid. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam?* hinc fit vt multi Chriſtianorum ante delibatas mundi voluptates, Deo feruentius inhæreant, quam poſtquam eas deguſtarint. *Tertio*, Vt humilitatem, doceret ſalutis viam. Luciferum, & Adamum ſuperbia deiecit: Sodomitas *ſaturitas panis*, non eſt ad ſalutem via melior, quam ſolatij humani ſubtractio, vt in Deum ſe homo conuertat exemplo filij prodigi. *Quarto*. Vt ſtatum religioſum cõſecraret quem ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem homines amplexi ſunt, habentes omnia communia, vel ad eremum exemplo Eliæ, Eliſei, filiorum Prophetarum, & Ioannis Baptiſtæ ſe recipientes; vel mundum, vt peccatores conuerterent, pererrantes. Cœnobitas iam inde ab Apoſtolorũ temporibus floruiſſe, teſtis Areopagita. Monaſticen quoque Patrum multi vt Paulus, Antonius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus coluerunt, vel laudarunt. etſi eam hæretici noſtri, antiquorum hæreſiarcharum filij, inſectentur. *Quinto*, Vt regni cœleſtis oſtenderet dignitatem, pro cuius aſſecutione, omnia relinquenda ſint. vt exemplo negotiatoris oſtendit Chriſtus, qui *inuenta vna pretioſa margarita vendidit omnia ſua, & comparauit eam*. Pictores artificij ſpecimen facturi, & qui libros componunt, ſilentium amant, ne diſtrahantur: ſi ni-

Documentũ 3. Chriſtus cur in deſertum? 1.

Allegoriæ. Leu. 16. 21.

Iſa. 53. 6. 2.

Pſal. 54. 7.

3.

Eze. 16. 43. Luc. 15.

4.

Eremitæ.

Monachi. *Dionyſ. c. 6 Ec. Hier. Caſſ. l. 2. de inſt. c. 4. 5.*

5.

Matt. 13. 46.

Gen. 24. 62. ſimiliter, his qui cœlum quærunt, nihil vtilius; quam vt cum Iſaac egrediantur in agrum meditaturi, ſeque operibus pijs,

6. quaſi picturis exornent. *Sexto.* Vt modum doceret renuntiandi mundo, neq; enim hoc fit corporali ſeceſſione (vt Religioſorum faciunt nonnulli, quorum omnis affectus adhuc parentibus, amicis, & curis temporalibus inhæret (ſed ſi exulis ſæcularibus omnibus, cum CHRISTO in deſertum penetremus, inſtar illius Apollo qui vt ex Bernardo alias memini, dixit fratri ſuo, ſe iam per viginti annos mundo fuiſſe mortuum. de quo vide Caſſianum & inſtar magni Arſenij, qui vt refert Metaphraſtes, Arcadio Imperatori offerenti illi omnia Ægypti vectigalia, in vſus pauperum ſe mundo mortuum reſpondit. quod idem alias cum ad teſtamenti cuiuſdam executionem, à conſanguineo requireretur, reddidit, neque iſta immiſericordia eſt, vt ſæculares iudicant (quibus nihil præter corporalem miſericordiam notũ) ſed miſericordia in animam propriam, vt à macula & periculo præſeruetur.

Religioſi perfecti. *Caſſ. coll. 24. cap. 9. Dom. 2. poſt Epiph. §. 6.*

Sur. 19. Iulii c. 9. Ibid. ca. 25.

II. Chriſtus cur in deſertum? *Chryſ. hom. 13. in Matth.* *Vt tentaretur à diabolo.* Septima ratio hic ponitur cur deſertum Chriſtus fuerit ingreſſus, nempe vt cum diabolo confligeret, docens. *Primo*, Secundum Chryſoſtomum ne tentationibus nos temere obijciamus, niſi ex peculiari Spiritus S. inſtinctu, vt fecerunt nonnulli martyres. *Secundo*, Non poſſe tentationes diaboli, à quoquam citra Spiritus S. virtutem ſuperari. *Tertio*, Non fuiſſe ſe tentatum fortuito, vt nos; ſed præſcium. Ait Hilarius, datam hic diabolo facultatem tentandi Chriſtum, ſine qua, nec in Chriſtum, nec in minimas quoq; creaturas quicquam poteſt. petijt enim facultatem intrandi in porcos, & occidendi pecora S. Iob. vt ſic modo Deum ames, nihil ab illo timeas. Adeo enim omnes capilli capitis tui numerati ſunt, & ſine ipſo nullus eorum cadit in terram.

Hilar. can. 2. in Matt. Matt. 8. 33. Iob. 1. 11.

Diabol. quid. Matt. 25. 41. Explicanda hic ſunt duo verba. Prius eſt *diabolus* quod græcum eſt & calumniatorem ſignificat: attribuiturque, vt ex Scriptura patet, Lucifero: hinc illa Chriſti ſententia. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis eius,*

Apo. 12. 7. *&, Draco pugnabat & Angeli eius.* Item, *Draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus & Sathanas, proiectus eſt in terram.*

terram, & Angeli eius cum illo miſsi ſunt. Iterum. *Angelus apprehendit draconem ſerpentem antiquum qui eſt diabolus & Sathanas & ligauit eum per annos mille.* *Apo.20.2.*

Dicitur vero ille, diabolus, ſeu calumniator. *Primo,* Quia in primo cum Eua colloquio Deum calumniatus eſt cum dixit. *Scit Deus quod in quocunque die comederitis aperientur oculi veſtri & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* quaſi dicat inuidet vobis Deus perfectionem hanc & dignitatem. Diabolus cur Lucifer. 1. *Gen.3.5.*

Secundo, Quia calumniatur homines apud Deum; vt cum de Iob dixit; *nunquid Iob timet Deum gratis.* hinc & *accuſator fratrum* vocatur. In loco Apocalypſis citato appellatur etiam *Sathanas,* id eſt, aduerſarius; vel, vt Irenæus explicat, Apoſtata: quia derelicto in quo erat ſtatu, contra Deum pugnat. dicitur *Draco*; à crudelitate, & deformitate. *Serpens antiquus,* tum quia Euam, vt ſerpens, tentauit, tum ab aſtutia. Contra hunc dæmonum & mundi Principem pugnauit Chriſtus, vt vinceret eum, qui cauda (.i. aſtu quo conſilium turpe tegat, vt bruta tegunt caudis inhoneſta) traxit *tertiam partem ſtellarum,* & humanum genus, à parata gloria, ſub tyrannidem ſuam, amplius quam per quatuor annorum millia, detinuit, factus *vt neminem timeret*, inſtar Goliath, quem tamen Dauid ſolus ſtrauit, eoque victo Philiſtæos omnes Iſraeli ſubiecit: ſic prouocauit CHRISTVS malorum principem, vt hoc deuicto, de illis quoque triumpharet, ac iuſtis ſubijceret. 2. *Iob 1.7.* *Apoc.12.* *ſupr.* *Iren.l.3.* *Apo.12.4.* *Iob 41.24.* *1.Reg.17.*

Poſterius verbum eſt *tentaretur.* Quod in Scriptura tribus fere modis accipitur. *Primo,* pro tentatione ad peccatum: & ſic diabolo, eiuſque miniſtris conuenit, hoc ſenſu dixit Ananiæ Petrus, *quid tentauit diabolus cor tuum?* & Deus, vt Iacobus ait, *intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat.* Etſi Caluiniſtæ, Deo blaſphemè & tentationem tribuant, & impulſum ad malum quæ ſunt diaboli attributa. *Secundo;* Pro examine, vt cum præceptores tentant diſcipulos; & diabolus vtroque modo tentauit Sanctum Iob, nam & peccatum intendebat, & virtutem explorabat. ſimiliter hic Lucifer Chriſtum tentat, peccati, & examinis cauſa. Deus neminem tentat vt ipſe diſcat; ſed, tum vt hominem experia- Tentare tria ſignificar. 1. *Act.5.3.* *Iac.1.13.* 2. *Iob 1.* Deus quomodo tentet,

Gen.22.1. experiatur, alijſque oſtendat; tum, ait Auguſtinus, vt homo ſe ipſum cognoſcat. ſic magiſter cui de diſcipuli eruditione conſtat, nihilominus eum examinat; tum vt alijs exemplum, tum vt ipſi animum addat. & Deus *tentauit Abraham*, vt filium immolaret, quem promiſſum hæreditatis ſemen acceperat. Voluit enim Deus fidei, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum ab eo experimentum, vt redderet incrementum. *Rom.4.3.* fit etiam, vt diſcipulo ignorantia propria non conſtet, & tũc *Exod.15. & 16.* examinatur, vt diſcat: ſic Iſraelitas tentauit Deus, cum ſibi in Dei cultu viderentur firmati, nam ad famis, ſitis, vel alterius mali occurſum, contra Moyſen, & Deum murmurabant. eadem de cauſſa pſeudoprophetas permittit, & hæreticos, vt *Vide Deu. 13.* *qui electi ſunt probati fiant*, & in quadrageſima nos tentat, vt experiatur. *Primo*, An ipſum plus, quam nos ipſos diligamus cum Abraham, Iob, Tobia, & martyribus: quibus nihil pro ipſo arduum; explorat ergo, an pro ipſo corpus ieiunijs affligas. *Secundo*, An animam plus quam corpus diligamus. ieiunia anima nutritur, purgatur, illuminatur; cibo deprimitur, & obſcuratur: vt nebula ſol, non reddit ſonum clauichorda niſi ſubſit concauitas. *Tertio*, An corpus vere diligas: ſicut enim qui ardet febri, ſi bibat vinum calidum, quia id appetit non amat ſe, ſed perdit: ſic, qui in quadrageſima ieiunium non ſeruat, ſanitatem lædit, & cibum gehennæ parat. *Quarto*, An matrem, id eſt, Eccleſiam, vere diligas: mandat illa ieiunium, non ex nupero, vel humano inuento (vt hæretici ſomniant, quibus Quadrageſima Montani an. 181. vel Teleſphori ann. 153. eſt inſtitutum) ſed ex Apoſtolica traditione, ſine ſcripto, ait Auguſtinus, ad nos tranſmiſſa: &, vt Ignatius ait, ſeruari præcepta, vt Chriſtum imitemur. præcepto dico; nó niſi ab Apoſtolis, vt Clemens, Epiphanius, Hieronymus, Theophilus, Leo, alijq; teſtantur. Taceo Apoſtolorum canonem, qui quadrageſimã Epiſcopis, & Clericis, ſub pœna deiectionis, laicis vero, ſub excõmunicatione præcipit. Fecerunt idem poſteriora Concilia. Gangrenſe an. 324. præuaricatores excommunicat. Toletanum 8. anno 670. eos, proximo paſchate communione abſtinet, & toto anno carnis eſu prohibet. Quantum ſemper fuerit violaſſe quadrageſimam

In quadrageſima tentamur.
1.
2.
3.
4.
Quadrageſimæ antiquitas
Aug.ep.26 ad Caſul.
Igna.ep.5.
Clem.5. conſt.c.12.
Epiph. ſ.75
Hier.epiſt. ad Marc.
Theop. l.3. Paſchali.
Leo ſer. 6. & 9.
Quadrageſimæ obligatio.
Can.68. apoſt.
Cõc.Gang. can.19.
Tol.can.9.

gesimam testis est Augustinus. *Alijs diebus ieiunare*, inquit, *remedium est aut præmiũ: in quadragesima non ieiunare peccatũ est. Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiã: in quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.* & ante eum Ambrosius: *Quadragesimam in totum nõ obseruare sacrilegium est: ex parte violare peccatum est.* Item, *Quisquis Christianus consecratam ieiunando non impleuerit quadragesimam præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur*, & alibi, *Non leue peccatum est indictum violare ieiunium, loquitur autem de quadragesima.* Item *qui sciens indictum à Christo soluit ieiunium quid meretur?*

Aug. s. 61. de temp. Eadẽ habet Cæsar. Arel. ho. 2 Ambr. ser. 37.

Serm. 34. Serm. 25. Ibidem.

Patet ex his ab Apostolis quadragesimæ initia sumẽda, q̃ iam inde p̃ sexdecim sæcula, in Ecclesiæ obseruantia viguit: vnde Bernard. *Hactenus vsq; ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsq; ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter vniuersi: Reges, & Principes: populus, & clerus: nobiles, & ignobiles: simul in vnum diues, & pauper.*

Bern. ser. 3 de Quadr.

Errant ergo hæretici, dũ Montano quadragesimæ institutionem tribuũt, vel Telesphoro. Mõtanus tres induxit quadragesimas; in quibus nihil præter panẽ, & salẽ, & aquam, ex volũtate (vt dicebat) Spiritus S. p̃misit, sed ab Ecclesia eiect9 est. S. Telesphorus tantũ voluit, vt quadragesimã Clerici inchoarent, ante Laicos, ieiunarẽtque 7. septimanas: decet .n. vt qui vitæ, eidem & abstinentiæ gradu alios antecedant. q̃ decretũ etiã hodie Religiosi, & Sacerdotes multi obseruant.

Montani hæresis. S. Telesphori decretum. *epi. ad omnes fideles.*

Tertio Tentare, idem est q̃ offendere. sic homines dicũtur tentare Deũ, & de Israëlitis ait Deus, *quadraginta annis tẽtauerũt me.* & Saphirę dixit Petrus: Vt *quid cõuenit vobis tẽtare Spiritũ S.* qui Deũ offendit, quasi tentat, & explorat eius potentiã.

Tertia significatio vocis Tẽtare. *Psal. 94. 9. & 10. Act. 5. 9.* Christus cur tentatus.

Multas tẽtationis Christi caussas allegãt DD. *Primo*, Vt ad maiorem pugnã pararetur, quia totus vitæ eius cursus, vnus fuit, & cõtinuus conflictus. *Secundo*, Vt omnia tentationũ genera expertus, nobis tentatis cõpateretur. *Tertio*, Vt exemplo suo, quasi magister, ait Chrysost. nos doceret. *Quarto*, Vt diaboli vires attereret, nostras augeret, ait Dama. *Quinto*, Vt diabolũ cõfunderet. *Sexto*, Vt nos roboraret cũ dixit, *Cõfidite ego vici mundũ. Septimo*, Ne nos in tentationib. iracamur: nam & Christ9 nostri caussa tẽtatus est. *Octauo*, Vt suũ in nos amorẽ ostẽderet, dũ ab hoste suo cõuenitur, & patienter multa tolerat, donec ille prupit in blasphemias. *Nono*, Vt eorũ doceat gra-

1. 2. 3. *Chrys. ho. 13. in Mat.* 4. 5. *Damasc. l. 3. cap. 20.* 6. 7. *Ioan 16. 33* 8. 9.

Leo. ser. 1. de Quadr. 10. grauiorem tentationē, ait Leo, quorū maior est pietas, & salutis amor. *Decimo*, Vt de cętero nobis pugnantibus adsit, maiorem ostendens eum qui pro nobis est, quam qui cōtra nos.

III. *Et cū ieunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus postea esurijt.* Græca apud Lucam sic habent. Ἰησοῦς ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου: vbi incertum an illa ἡμέρας τεσσαράκοντα, pertineāt ad priora; vt significetur Dominus fuisse in deserto 40. dies; an vero ad posteriora, vt significetur tētatus per 40. dies, quo modo legit post Origenem, Euthymius. Mihi vtraque lectio placet: fuit enim Dominus 40. dies in deserto, illud perambulans, & futurę Eremitarum habitationi cōsecrans, & probabile est eum interea grauiter, vt ait Origenes, tentatū; quo per omnia nostri, *absque peccato*, similis, tentatis cōpateretur. Etsi enim in Christo nō fuerint tentationes ab intra, ita vt pars inferior rationem prævenirent, quod in nobis fit, fuerunt tamen diabolicæ inspirationes. vt discamus has, citra volūtatis cōsensum, peccata nō esse; sed potius signa, quod simus filij Dei. Canis domesticos nō vexat, sed peregrinos. nec fures pauperum prædantur casas, sed gaza diuitum. sic diabolus suos gratia pauperes, non vexat; sed à se peregrinos, id est, Dei filios.

Luc. 4. 1.

Christus an tentatus ante finem 40. dierum.

Tentationes porro quas intra hos 40. dies Christus pertulit scriptæ non sunt, fors quia scribi non possunt. quod enim de operibus Christi ait Ioannes, *nec totum mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* idem de his quæ passus est Dominus, dici potest, non tantum in morte, sed & his 40. diebus. nihil de Christo minus, quam de B. Antonio, vel alijs cogita; præsertim cum nec diaboli vires essent fractę, nec desertum à dæmonib. purgatum. quæ fuit Christus diabolum loco proprio, sciens eum regione arida, & magnosa delectari. Vide hic ducem tuum, inter feras, & diaboli oppugnationes; & erubesce de propria mollitie. Cum Vriam Dauid ablegaret domum noluit ille eo ire, sed dixit: *Arca Dei & Iuda & Israel habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, &c. & ego ingrediar domum meam, vt comedā & bibā?* Nos neglecta Christi vita, & proprio discrimine, nihil nisi quietem quærimus; quasi nec hostes, nec pericula habeamus; vt proin nihil mirum sit, si ab his frequenter superemur.

Ioan. 21. 25

2. Reg. 11. 11

Tria

Tria in superioribus Euãgelij verbis notanda sunt. *Primo*, numeri quadragenarij mysteria à PP. omnibus obseruata, ab hæreticis derisa. *Primo*, Deus in diluuio 40. dies pluit. *Secundo*, Cadauera 40. dies inungebantur. *Tertio*, Israelitæ per 40. annos fuerunt in itinere ad terram promissam. *Quarto*, Exploratores à Moyse missi 40. dies abfuerunt. *Quinto*, Goliath typus diaboli 40. dies exprobrauit Israeli. *Sexto*, Ezechiel 40. dies decubuit in latere dextero portãs peccata domus Iuda. *Septimo*, Moyses bis ieiunauit 40. dies. *Octauo*, Helias 40. dies ieiunauit ambulans in solitudine. *Nono* Niniuitæ 40. dies pœnituerunt. *Decimo*, Christus post resurrectionem mansit 40. dies in terris, &c. Gregor. quadragenarium exponit, vt denarius decalogum significet; quaternarius vero hominem, qui ex 4. elementis constat: vt significetur, vitã omnem decalogo conformandam. Bernardus 4. modos intelligit recogitandi decalogum, quod datus sit à Deo, Creatore, Benefactore, Redemptore, & Remuneratore.

Tria notanda.

1. Mysteriũ numeri 40.

Gen.7.& 53.3. Nũ.32.13. Nu.13.26. 1.Re.17.16. Ezech.4.6 Exod.24. & 34.28. 3 Reg.19.8 Ion.3.4. Act.1.3. Greg.ho. 16.in Euang. Bern.ser. in Psal.90

Voluit Christus ieiuniũ suum extendere ad 40. dies, nec vltra. *Primo*, Ne videretur puro homine maior. Helias enim, & Moses 40. dies, nec amplius, ieiunarant. *Secundo*, Vt vitam nostram Deo per pœnitentiam sacraret, instar Iob qui p filijs suis Deo sacrificabat: quadraginta .n. vitæ humanæ typũ docuit supra Gregorius. *Tertio*, Vt veteris Testamenti figuras impleret, sicut enim 40. dierum pluuia mundum purgauit, & vnctio cadaueribus adhibebatur: sic Christus 40. dierum ieiunio peccata nostra lauit, & animas mortuas vnxit. *Quarto*, Vt ad eius exemplum à peccatis abstineamus, & pœnitentiam sectemur. Optime ergo Apostoli omnibus ieiuniũ hoc annuum præscripserunt, iustisque ex causis, quas SS. PP. prosequuntur. *Primo*, Vt Christum pro nostra imbecillitate imitemur. ita post Ignatium, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, & alij. datus enim nobis est Christus, non solum vt eum veneremur, sed & vt sequamur; siue in mansuetudine, de qua ipse. *Discite à me quia mitis sum.* siue in patientia, de qua B. Petrus ait, *Christus pro nobis passus est; vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* & licet ille quotannis nõ ieiunarit quadragesimã, erat enim vita eius continuũ

Cur tantũ 40. dies ieiunet.

1.

2. *Iob.1.5.*

3. 4.

Quadragesima cur præcepta.

1. *Igna. ep.5. Ambr.ser. 37. Hier.15.58 Chryſ.ho. 1.in Gen. Aug.epiſt. 119. Matth.11. 1.Pet.2.21.*

ieiunium; nos tamen quotannis eam repetimus, sicut & alia Christi mysteria, vt Eucharistiæ institutionē, mortē, sepulturam, & resurrectionem, quæ etiā singulis septimanis feria 5. & 6. Sabbatho & Dnica recolimus. *Secundo*, Vt Deo anni decimas offeramus: ita Cassian. & S. Gregor. habet. n. annus 365. dies, porro 36. sunt decima pars 365. adijcimus autem ad 36. alios 4. vt fiant 40. tum ne Deo offeramus aliquid minus decima: nam decies 36. non faciunt integros 365. sed 360. tantum: tum vt 4. dies suppleant, q̄ alijs 36. deest. *Tertio*, Vt sit quotannis publica, & cōmunis pœnitentia, Deique placatio. quadragenarium vero numerū Scriptura pœnitentiæ sacrauit. ita Leo & Gregor. ieiunamus ait 40. dies vt quater decies carnē quæ ex 4. elementis cōponitur castigemus, q̄ 10. Dei præcepta violauerit. *Quarto*, Vt impleatur q̄ dixit Christus. *Cum ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in diebus illis*. ablatus est autem à nobis Christus, vltimo quadragesimæ tempore, per passionem & mortem: ad cuius dignam venerationem, priori ieiunio paramur, vt patiendo, passionē disamus. *Quinto*, Vt ad Pascha paremur, sicut enim Christus, antequā resurgeret fuit mortuus: sic & nos ante resurrectionem spiritualem, peccato mori debemus, vt ait Leo. *Sexto*, Vt ad dignā Eucharistiæ sumptionem paremur. sicut 40. dierum ieiunio purgatus est Elias, vt veniret ad montē Dei, ita Chrysost. Solent 10. primis Ecclesiæ temporibus Christiani circa Pascha Eucharistiam tanquam verum Pascha suscipere.

2. *Cass. col.* 21. c. 27. *Greg. ho.* 16 *in Euang.*

3.

Leo ser. 4. *de Quadr.* *Greg. ser.*

4. *Mar* 2. 20

5. *Leo ser.* 12. *de Quadr.*

6. *Chrys ho.* 1. *in Gen.* 3. *Reg* 19.

Secundū notandū.

Alterū est: *ieiunium Christi*. neque. n. vt Iudæi solent, post solis occasum, comedit, sed ieiunauit 40. dies, & 40. noctes, & vt Lucas ait, *nihil manducauit*, Ecclesia à nobis tantū ieiunij rigorē non requirit, sed naturę infirmitati, ait Nazianzenus, cōdescendit. vnde fit vt aliqui plus, alij minus à Christi ieiunio absint. nemo tamē illud superat. Olim cum maior arderet charitas, quisque laborabat vt Christo esset q̄ proximus, fueruntque qui citra omnē cibum & potū 40. dies integros exigerēt; ita quotannis fecisse Simeonem Stilitem, in sua 36. cubitorū columna, testis est Theodoretus. A Simeone Salo semel id factū scribit Leontius. vti & de Mamāte Metaphrastes. Maranā & Cyram ter 40. dies. ter 21. dies & bis 20. dies

Luc. 4. 2.

Rigidi ieiunatores.

ieiu-

ieiunaſſe, ſine omni cibo, & potu narrat Theodoret. qui addit eas, primis 20. dieb⁹, iuiſſe Hieroſolymã; ſecũdis rediſſe. De Macario ſcribit Palladius, ꝙ totos 40. dies erectus ſteterit ſine cibo, niſi ꝙ Dominicis diebus, non tam vt ederet, q̃ vt edere videretur, aliquot folia braſſicæ ſumpſerit, S. Geraſimum totos 40. dies ſola Euchariſtia vixiſſe, teſtis ei coætaneus eſt S. Cyrillus Monachus, circa annum 470. Alij pro vt poterant 5. alij 3. alij 2. dies ieiunarunt, vt narrat Palladius. In quibuſdam cœnobijs, Monachi omnes in quadrageſima, p deſerta dimittebãtur; vt vel herbis viuerent, vel exiguo cibo, quem ſecũ ex cœnobio tulerãt. De Laicis quibuſdã Irenæus teſtatur, & Epiphanius, ꝙ alij 40. horas, alij 2. alij 3. alij 7. dies integros ieiunarint: præcipuè ſub finẽ Quadrageſimæ: hebdomada maiore, qua etiam ab alijs cibis abſtinebãt, prę- terquam à pane, ſale, & aqua. Quod autẽ ad cibi qualitatem ſpectat, abſtinebãt tũc nõ ſolum à carne, ouis, & lacticinijs; ſed etiam à vino, & multi à piſcibus quoque, vt ex *a* Epiphanio, *b* Baſilio, *c* Theophilo Alexandrò, & *d* Hieronymo patet. habebant .n. Apoſtolos prę oculis, quorum quanta ſemper fuerit abſtinentia, *e* alibi à nobis dictum.

Atque hinc eſt ꝙ Gregorius ait, Chriſtianis in Quadrageſima à lautiori cibo abſtinendũ, quia Deus ꝑ peccatis tũc placari potiſſimũ debet: & de Iuſtinian. Imperatore reſtatur Procopius, biduo in quadrageſima abſtinere ſolitũ, & ſolis crudis herbis, oleribuſq; aceto, & ſale aliquãdiu maceratis, contentum. Hic priſcæ ætatis Chriſtianorum erat feruor, ac laudabilis zelus, à quo nimium (prô dolor) deſciuimus: V tinam non nimium ab illorum præmio abfuturi. Nempe ſciebant illi plurimas ieiunij virtutes nobis parũ cognitas. *Primo* ꝙ caro, carniſque prauæ affectiones ieiunio edomentur, vt Apoſtolus inſinuat: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo.* & Ambroſius: *carnis* inquit, *terat ſuperbiam potus cibiq; parcitas. Secundo*, quod animus orationi meditationiq; magis reddatur idoneus: ſic Moyſes dierum quadraginta ieiunio, ſe, vt cum Deo loqueretur, præparabat: ſic Daniel trium hebdomadarum inedia, diuinarũ reuelationum factus eſt compos. Ideo in ſanctorum vigilijs, ieiunamus, vt ſequentem diem maio-

a *In compendio.*
b *62. de ieiunio.*
c *Lib. 3. Paſchali.*
d *epiſt. ad Euſtoch.*
e *Dom. 3. Adu §. 10.*

Iuſtiniani Impe. ieiunium.
Proc l 1. de ædif. Iuſti.

Ieiunij virtutes.

1. *1. Cor. 9. 27* In hymno ad primã.

2. *Exo. 34. 28* *Dan. 10. 2.* *Bern. initio Ser. de vig. SS. Petr & Paul.*

3. ri deuotione tranſigamus. *Tertio*, quod ieiunium pro peccatis ſatisfaciat, Deumque, vt in Niniuitis patet; & apud Ioëlē Prophetam, qui populū ad ieiunia hortatur, placet. *Quarto*, ꝙ ſit opus Deo acceptiſſimum, quo Chriſtiani ſe macerantes, Deumque honorantes, gratiā cōſequuntur, ac gloriam; non minus quam alijs virtutum exercitijs. De Anna Prophetiſſa ſacris proditum eſt, ꝙ *ieiunijs obſecrationibuſq; die ac noctu* Deo ſeruierit. Et Chriſtus, quoddam dæmoniorum genus affirmat non niſi per ieiunium & orationem profligari. Porrò ſicuti ieiunio ſpiritualium à Deo chariſmatum dona obtinemus, ita temporalium quoque reddimur donorum participes: quemadmodum Anna Elcanæ vxor, prole eſt aucta, filio ſcilicet primogenito, ac verè magno Samuele. Chriſtus quoque generatim ait. *Tu cum ieiunas, vngecaput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Sunt verò & aliæ ieiuniorum in ſanctis Patribus virtutes, & encomia, quibus ad frequentanda ieiunia excitent ſubditos. Eccleſia porro, quæ nobis à Deo non nouerca, ſed benigna mater eſt aſſignata, habens à ſponſo ſuo Chriſto authoritatem præfinitum ieiunij tempus modumque inſtituendi (ipſe enim de ieiunio nihil ſanciuit aliud, quam ꝙ diſcipuli, hoc eſt Chriſtiani poſt paſſionem ſuam ieiunaturi eſſent) non niſi ad tria nos voluit conſtringere. Quorum *primum* eſt, vt à carnium eſu abſtineamus; & ouis, alijſque lacticiniis: oua enim quaſi caro liquida ſunt; & lac, candidus ſanguis. Quæ ideo in Quadrageſima magis euitanda, quam cæteris ieiuniorum diebus, quia illa à Chriſtianis multo ſtrictius obſeruatur. Apud Græcos etiam vinum cenſebatur in quadrageſima prohibitum, quod tamen Latinis, quia in frigidioribus degunt prouincijs, quæ nutrimenta calorem naturalem fouentia requirunt, eſt conceſſum. De quo ieiunij præcepto ita in quadam Homilia Chryſoſtomus: Aduenientе ieiunio, & ſi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non conceſſum guſtare: omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum. Quod quidem Conſtantinopolitani

Iona 3.2. *Ioel* 2.15. & 4.

Luc. 2.37.

Matth. 17. 21.

1. *Reg.* 1.20

Matt. 6.17

Matt 9.15

Tria in ieiunio ſeruanda. 1.

Græci vino abſtinent in Quadrageſima.

Chryſ. ho. 6. *ad pop. Antioch.*

ciues

eiues tum antea, tum poſt re ipſa demonſtrarunt. Cum enim Iulianus Apoſtata, Quadrageſimali tempore, panem & aquam paſſim in officinis venui expoſita, idolis immolari curaſſet, vt hac ratione Chriſtianos ad vetitum cibum, ieiunijque violationem compelleret; vel vt ijs quę dæmonum oblata erant, cultui, veſcerentur, ſicque ſacrilegij ſcelere conſtringerentur, nemo ex omni numero repertus eſt, qui aut iſta emerit, aut interdicti cibi ſumptione ſeſe contaminarit. Apparuit verò Sanctiſſimus THEODORVS martyr Conſtantinopolitano Epiſcopo, reuelans eidem, quo cibi genere Chriſtianis eſſet ſuccurrendum, nimirum elixo aut decocto frumento. Quod cum ditiores quique intelligerent, liberaliter pauperibus ſua elargiti ſunt frumenta, ne quiſquam ieiunij ab Eccleſia præſcripti legem infringeret. Inſuper Iuſtiniani Imperatoris tempore, circa annum Domini quingenteſimum quinquageſimum nonum, cum Byzantij increbuiſſet, rerum neceſſariarum inopia, Imperator ſecunda ſtatim quadrageſimalis ieiunij hebdomadæ, carnes in foro venum proponendas promulgauit. Populus autem qui pietatem ſibi ſectandam ſtatuiſſet, neque eas emebat, neque edebat; mortem præeligens, quam vt quidquam de patrijs moribus, & Traditionibus immutaret. Porro cibos iſtos Eccleſiã non prohibet, quaſi natura noxios, aut immundos, vel à dæmone procreatos, vti olim fingebant hæretici (extra Quadrageſimam enim eis veſcimur, imo ex medicorum præſcripto etiam in ipſa Quadrageſima veſcuntur infirmi) ſed vt aliquo ſaltem abſtinentiæ genere Chriſti ſectemur exemplum, qui ab omnibus abſtinere nequimus. Magis autem carnium quam piſcium prohibetur vſus: quia vehementius iſtæ nutriunt, carnique noſtræ ſimiliores, auidius appetuntur, & libidinem, immundaſque cogitationes magis inflammant. Hinc Bernardus: *Ego*, inquit, *interdum abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccatis, non ſuperſtitio pro pietate: Abſtineo à carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.* Idem quoque Auguſtinus, & alij nonnulli

Iuliani impietas. *Nicetius orat. de S. Theodoro.*

Chriſtianorũ Cõſtantinopolitanorum religio.

Niceph. l. 17. cap. 33.

Cibi non ſunt in ſe mali.

Carnes cur in quadrageſima vitãdę *Bern ſer. 66. in Cãt. Aug. 2. de mor. Manich. c. 14.*

Iouiniani hæreſis.

Eccleſiæ Doctores fatentur: Iouinianum priſcæ ætatis hæreſiarcham deteſtantes, quod carnis abſtinentiam in Chriſtianis reprehenderet, quem & noſtri æui hæretici omnes in eo imitantur. Lacticiniorum autem vſus, hoc eſt, eorum quę ex lacte gignuntur, vti caſei, butyri, ſeri, &c. etſi in Quadrageſima ſit prohibitus; noſtris tamen in partibus, vbi vinum, oleum, aliæquæ efficaciores herbæ non creſcunt; Superiorum diſpenſatione facilè permittitur. Eccleſia namque quę matris loco eſt, ſuis potius opitulari, quam vel in minimo obeſſe ſtudet.

Secundū quod in ieiunio ſeruandū. *S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 6. & 7.*

SECVNDVM quod in Quadrageſimali ieiunio Eccleſia præcipit eſt, vt ſemel duntaxat in die reficiamur. Inſtituta eſt namque, vt Diuus Thomas ait, Quadrageſima, non vt enecemus corpus, ſed vt domemus mortificemuſque. quod fit cum qui alias bis, terue refici ſolemus, ſemel duntaxat cibum ſumimus. Periculo autē mortis, aut grauis ægritudinis exponeretur corpus, ſi totius diei decurſu, nulla cibi alimonia corroboraretur; maximè in his qui debilioris ſunt complexionis: contra verò domari haud poſſet, ſi non aliquali afficeretur inedia. Quamobrem prudenter admodum cauit Eccleſia, vt vnico liceret indulgere prandio. Nec enim vllis literarum monumentis, alius apud Chriſtianos vel Iudæos modus ieiunij inuenitur. Imo ne quis grauari poſſit, conceditur adhuc. *Primo* extra cibi tempus, ſitis extinguendæ cauſa potus. *Secundo*, veſpertinæ collationis (vti vocant) loco, fruſtum panis, aut quid ſimile: non ſolum ne officiat potus, verum etiam vt natura nonnihil ſuſtentetur, quæ alias læderetur. Quod tamen parcè admodum ſumi debet nempe potius antidotum, quam nutrimentum. *Tertio*, vt appropinquante refectionis hora, liceat prandium inchoare; & inchoatum antè occupationis cauſa etiam interrumpere: quod famulis ac famulabus vſu venit, qui Dominorum prandia non ſolum vt medicinam poſſunt delibare, verum vt inchoantes prandium, illud peracto opere, conſumment. Medicinarum autem, quæ corporis conſeruandi gratia ſumuntur, vſus, haud quaquam eſt prohibitus.

Eccleſiæ circa ieiunia prudentia.

ieiunij laxationes.
1.
2.
3.

TER-

TERTIVM eſt, quod vnicum hoc prandium prouecta iam die, & non ientaculi tempore, aut ſolita refectionis hora, ſed aliquanto ſerius ſumi debeat. Ieiunabant olim Iudæi in ſerã veſperam: quod & Chriſtianis Bernardi tempore, vt ſuperi[9] à nobis commemoratum ante annos quadringẽtos, & ſexaginta, Quadrageſimali ieiunio vſitatum erat. Alia vero ieiunia, ad horam circiter nonam poſt ſolis exortum, hoc eſt vſque ad tertiam pomeridianam protrahebantur. Atq: etiamnum illa Eccleſiæ perſeuerat conſuetudo, vt in Quadrageſima, veſperas ante ſumptum cibum cantemus, videlicet vt pateat olim non niſi ſero poſt veſperarum tempus, prædeceſſores noſtros prandere ſolitos. Quia tamen ieiunandi tẽpus, moduſque, Eccleſiæ decreto ad nos peruenit, illius ordinationi ac præſcripto morem libenter gerimus. Annis ab hinc trecentis, ante tertiam pomeridianam raro prandebãt; quia tunc Chriſtus in crucis ligno paſſioni ſuæ finem imponens, Patri animam commendarit, exantlatis nimirum omnibus doloribus, ac tormentorum cruciatibus. Per ieiunium corpus cum Chriſto crucifigitur affligiturque, cibi autem ſumptione reficitur, confortaturque. Noſtra verò ætate quia hominum vires magis ſint ingraueſcente mundi ſenio debilitatç, circa diei medium, aut vna hora citius, prandium licet ſumere; quę conſuetudo nullatenus eſt reprehendenda, licet melius interim faciant, qui pro virium ſuarum facultate, ſerotinum priſcæ ætatis ieiunium ſectantur.

Tertiũ in ieiunio ſeruandũ.

Iud. 20. 26

Cur in quadrageſima legantur Veſperæ ante prãdium.

OSTENDIT quoq; in eo benignitatis ſuæ prouidentiſſimã indulgentiam Eccleſia, ꝙ nemini ſupra vires ieiunia imponat. Vnde & tria hominũ genera à rigidioris ieiunij lege eximit. Primo impotentes, vt ſunt pueri qui necdum vigeſimum primum attigerunt annum, item ſexagenarij: quanquã & his pro viribus tantum ſit ieiunandum, quãtum corporis robur ſinit: conſiderantibus nimirum, quod Niniuitæ etiam lactentes, ad placãdum Dei iram ieiunare voluerint, fœminas grauidas lactantesq; quibus tam pro ſe quam pro fœtu cibo largiori eſt opus. Similiter pauperes ac mendici, nõ valentes tantũ cibi emendicare, quantũ vni refectioni ſatis ſit. Quibus quinto loco addimus infirmos ac valetudinarios,

Ieiunia quos non obligent. I.

Nemo se decipiat.

quibus interdiu confortationis aliquid est sumendum. Deniq; qui tam infirma sunt complexione, vt vacuo stomacho valetudinis offensam incurrerent. Verum hic magna opus est cautela, ne quis dum nimium sibi ipsi indulget, impingat. Sæpe nos ipsos decipimus, & opinione plus præstare valemus. Sed neque Medicis semper habenda fides, qui in mitiorem sæpe sententiam inclinant, vt placeant.

2. SECVNDVM genus est eorum quos à meliori opere ieiunium impediret. quales sunt Doctores, Concionatores, Catechistæ, Confessarij, infirmorum visitatores, &c. Cũ enim abstinentia minoris sit meriti, q̃ misericordia: ieiuniũ, quod

Prudẽtia adsit.

species est abstinentiæ, quando nimirum vtraq; concurrunt cedit misericordiæ, si vtrunque præstari non possit, Cauendus tamen est hic palpus: interdum enim misericordiæ opera, tam sunt exigua & vires sufficientes, vtrique virtuti.

3. TERTIVM, quibus graue aliquod corporalis exercitij munus opusq; incumbit siue ad promerendum victum, siue ad conseruandã famã, infamiamq; propulsandã. Hinc à ieiunij lege excusantur agricolæ, qui durum exercẽt laborem: Item opifices quorum difficilis est labor, nempe fabri ferrarij, lignorũ sectores, serrarij, tignarij, cereuisiarij, Vascularij, murarij, & id genus alij, & itinerantes persertim pedites. Porro quãquam hi oẽs ieiunio obligati non sunt, monendi tamen, & instruendi, vt quibus facultates suppetunt, eleemosynis,

Sozom. l. 1. c. 11. in fine

ieiunij suppleant defectum. Sozomenus pulchram & cõsolatoriam admodum in prędictorum confirmationem refert

S. Spiridionis factum.

historiam, de Spiridione, Trimmythuntis in Cypro Episcopo, qui anno Domini trecentesimo vigesimo quinto in magna illa ac celebri Nicæna Synodo, vitæ suæ sanctimonia, quendã præstantis eruditionis Philosophum, ad Christianã religionem conuertit. *Cum iam*, ait, *instaret quadragesima, ex itinere quidam ad Spiridionem diuertit, illis ipsis diebus, in quibus vna cum suis ieiunia peragere, consueuerat, & ad statutum diem cibum degustare, cum diebus interpositis sine cibo omnino remansisset*: *Cumque Spiridion vidisset hospitem de via fessum, age inquit O filia*: (fuerat enim ante Episcopatum coniugatus:) *primum viri huius pedes laua, deinde cibum ei appone. Vbi vero intellexit in ædibus neque panem*

nem eſſe, neque polentam: (ſuperuacanea namq; fuiſſet iſtarum rerum apparatio propter ieiunium:) |*Spiridion cum precib. Deũ inuocaſſet, veniamq; petiuiſſet, dedit mandatum vt carnes ſuillæ, quas forte in ædib. habebat ſale conditas, coquerentur. Quibus coctis, hoſpitẽ ſecum facit accumbere: deq; carnibus appoſitis comedere cœpit; hortatur hoſpitẽ vt ipſum imitetur. Qui cum illud facere detrectaret, diceretq; ſe Chriſtianũ eſſe, hanc ob cauſam* (inquit Spiridion) *minus recuſare deberes, nam a omnia munda mundis, ſacræ literæ pronũciant.* Diſcis hic *primo*, Chriſtianos olim ſtrictiſſimè Quadrageſimã obſeruaſſe, atq; in plures dies, ſine vllo cibo ieiunium produxiſſe, adeo vt nonnulli eorum etiam panem (veluti hic Spiridion) in ædibus ſuis non habuerint: contenti exiguis herbarum fructibus, quibus bis terue in ſeptimana reficiebantur. *Secũdo*, etiam olim vſitatã à carnib. abſtinentiam, neq; id ob pietatem ſolum, ſed & propter Eccleſiæ præceptũ: id .n. homo iſte ſignificat dicens ſe Chriſtianum, quaſi dicat illicitũ ſibi carnis eſum pro illo tempore. *Tertio*, non ideo illos ab eſu carnium abſtinuiſſe, quaſi immũdas eas iudicauerint quibus contaminari polluique poſſent (prout veteres docuere hæretici) ſed amore abſtinentiæ: quæ quia moderata eſſe debet citra corporis læſionem, hinc Epiſcop. aiebat, quia Chriſtianus es, minus recuſare debes, quaſi dicat: Nõ ideo Chriſtiani à carnibus ſeſe cohibent, quod immundæ ſint, vt ideo terreare; naturæ namq; tuæ neceſſitas, earum iã nunc vſum flagitat, cũ ad manum nihil aliud alimenti ſit. *Quarto*, hunc itinerantẽ, prout ſuperius à nobis dictum non fuiſſe ad ieiunium obligatum. *Quinto*, Epiſcopũ non male egiſſe, carnib. veſcendo; vt hac humanitatis ſignificatione hominem ad idem hoſpitaliter inuitaret, quia alias id recuſaſſet: erat .n. miſericordiæ opus, eſurientẽ paſcere, ieiunum alioquin abiturũ. *Sexto*, non facile Quadrageſimalis ieiunij violandũ præceptum, idq; exemplo Spiridionis, qui ante omnia orationibus vacabat, rogãs vt hanc ei Deus noxã condonaret, ne vel ipſe ieiunij merito, per charitatis huius exhibitionem priuaretur; vel etiam is quem hoſpitio ſuſceperat, qui nullo alioquin modo Quadrageſimam violaſſet, ſi non & verbis eum Epiſc. monuiſſet, & exemplo induxiſſet: penes quem, vtpote Eccle-

Comedit carnes in Quadrag.

a *Ad Tit. 1 15.*

Documẽta ex hac hiſtoria.

1.

2. *Olim abſtinentum à carnib.*

3. carnes cur vetitæ.

4.

5. Spiridion non peccauit.

6. Quadrageſima nõ facile violanda.

Ecclesiæ Antistitem, sciebat dispensandi esse potestatem, quemque pro eximiæ sanctitatis viro habebat: qui nec eum vellent decipere, nec per carnis comestionem, Dei in se irã prouocare, neq; Ecclesiæ præceptum violare. Quando igitur vel ingruerit necessitas vel à legitimo superiore dispensationis beneficium consequutus fueris, noli in ieiunij legem cibique sumptione, difficultatem facere.

Tertium principale notandum.

TERTIVM quod occurrit, est, Christum cũ quadraginta diebus totidemq; noctibus ieiunasset, esurijsse. Vnde videtur colligi, quod sub isto dierum quadraginta interuallo, famem nõ senserit, nisi cum elapsi iã essent: quod tamen existimandum nõ est quasi ex præcedẽtis cibi acciderit superfluitate, sicuti nos præscriptos ieiunij dies largiori potu ciboq; anteuertere solemus, quo ieiunij difficultatẽ vel ex toto, vel ex parte non sentiamus: sed diuinitatis suæ potentia; qua q̃-diu volebat, famẽ arcebat. Nolebat ergo tunc cruciari fame.

Christus cur ante non esurierit.

Primo, vt diabolo palã ostenderet, se non minoris esse virtutis, q̃ vel Moysem, vel Heliam, qui & ipsi sine medio idẽ tẽpus transegissent. *Secundo*, vt nos suo doceret exemplo, ieiunij perfectionem non consistere in famis insensibilitate sed in cibi potusq; abstinentia: qua spirituales efficimur, & Angelis quorum nulla fames nulluſq; est cibus similes. Ieiunium mẽtem eleuat, eamq; spiritualium rerum contemplationi idoneã efficit, contra largior refectio spiritum grauat deprimitque: vnde Hiero. *Pinguis venter non gignit sensum tenuẽ*. *Tertio*, ꝑ peccati labe careret, quæ ieiunij pœnitentia foret castigãda, quæ ꝑ nostris solet satisfacere peccatis. *Quarto*, vt nobis ieiunij normã, modumq; præscriberet & maioris meriti: nẽpe vt isto tempore plus rerum diuinarum contemplationi, orationiq; animum applicemus; q̃ negotiorum sæcularium distractioni. Hominum nãq; contemplatiuorum, quib. mens ad Deum semper eleuata videtur, ita meditatione occupatur animus, vt parciori cibo indigeant. Sic de Bernardo litteris ꝑditum, quod pœnæ loco cibum duxerit. Et Dauid, *fuerunt*, ait, *mihi lachrymæ meæ panes die & nocte*: quia peccata deflens, minus alimoniæ esset appetens. Ideoq; nihil mirum in heremo Patres parcioris fuisse cibi: cũ Spiritus diutina rerũ diui-

1.
2.

Hie. Epist. ad Nepoti.

3.
4.

Contemplatiuorũ eleuatio mentis.

Ps. 41.4.

diuinarum meditatione, corpori appetitum subtraheret. Ac pinde Christiani qui olim Quadragesimali tempore in Ecclesijs diu diuinis vacabãt mysterijs, Deiq; verbo cũ feruore audiendo, non tã vehementem sentiebãt famem, q̃ sæculares, quorum corpora, mens & anima humum versus tendũt; vnde diuinæ suauitatis dulcedinẽ qua recreentur, haud quaquã degustãt sentiuntque. Post quadraginta aũt dierum decursum permisit Christus vt humanæ naturæ naturaliter famem ingentem post diutinum ieiunium sentiret. Quã quidẽ ideo sustinere *inprimis* noluit, Vt diabolũ deciperet. Vnde rectis armis hoc est cœlata diuinæ naturæ potentia humanã præ se tulit imbecillitatem, fami obnoxiã; ne diabolus eũ tãquam Deum reuereretur, sed potius vt inedia cruciatum, aperto Marte aggrederetur. Hinc est quod Ambr. ait, Domini ieiunium fuisse stratagema quo dæmon ꝓuocatus tanquã hominem eum aggrederetur. *Secundo*, vt suã nobis declararet humanitatem & humanarum imbecillitatum, quas tamen habuit multo secius q̃ nos cum nihil ab ea passus sit inuitus, communionem. Esuriebat ergo sitiebatque cum volebat, & sic etiã in cæteris. Nos autem nolentes volentes famẽ sitimq; toleramus, inuiti ac reluctante natura ad iracundiam, superbiam, luxuriã, aliasq; passiones permouemur. *Tertio*, vt ob inediam q̃ pertimescimus, à ieiunio non abstineamus: quanq̃ enim Christus diebus istis quadraginta non esuriret, eã tamẽ ideo noluit assumere, vt suo nobis potius exemplo quam excusatione consuleret. Nos etenim pro viribus adnitimur, vt quã minimum famis sustineamus, atque ideo pridianis cœnis ventrem cibo quasi saburra oneratum ad sequentis diei ieiunium præmunimus: & prandio aduersus cœnã, qua priuari oportet. *Quarto*, vt nos doceret naturales hominum inclinationes per se peccata non esse, q̃ diu eis nõ consentim⁹. Vnde primus iracundiæ motus, quem subinde sentimus, cũ displicet, peccatum non est, quod Paulus ait, *nihil esse dãnationis his, qui sunt in Christo Iesu.* Interim in nobis Christianis plurimæ sint inordinatæ vitiosæque passiones; quæ Christo Domino subiectę tamen erant, eiq; morem ad nutum gerebãt. *Quinto*, vt nemo nimium fidat carni. Vt enim felis quanquam

Christus cur esurierit.

I. Ratio.

2.

3.

4.

Rom. 8. 1.

5.

quam mansueta videatur, heræq; chara, tamen ex eius sinu è vestigio ꝓsiliet, si murē videat: sic natura humana quantumcunq; mortificata videatur, oblata tamen occasione naturalem exercet inclinationem: caro.n. manet id quod est, neque in silicē commutatur aut saxum. In vitis Sanctorum Patrum cōmemorat Euagrius, quēdam fuisse monachum, qui annis admodū quinquaginta, seuera conflictatus pœnitentia, gloriabatur se vitiosarum omnium passionū ꝓcellas superasse, ac ꝓcul à se profligasse. Quod B. Abrahamus Abbas intelligens, eū conueniens: Si duo te forte, rogat, inuisant, quorum vn⁹ amore, alter odio te prosequatur, multaq; in te effutiat, illumne plus diliges, q̄ hunc? Ad quod ille; ita sane: Verū cōprimo me, atque vtrique æquè benè facio. Cui rursus Abrahamus: non ergo omnino adhuc, ait, affectionum passionibus cares, sed quasi cōpedib. vinctæ sunt, & non penitus ablatæ emortuæque. Refert etiam B. Greg. re ac nomine Magnus, de S. Vrsino, Nursię Presbytero, qui annos quadraginta Sacerdos fuerat, dimissa à se prius legitima vxore, quæ cū ægrotanti iam adesset, & admota propius ad nares aure, an adhuc spiraret, studiose exploraret, inquit ad eam Vrsinus: Recede mulier, nondum penitus extinctus est ignis, tolle paleam. Semper itaque super custodiam tuam stabis, habens te ipsum potius suspectum quam vt nimium tibi fidas.

Euag. par. 2. l. de vir. pati. & humil.

Apopht.

Greg. 4. dial. c. 11. B. Vrsini castimonia.

IV. Diaboli malitia 1. *Thes. 3. 5.*

Et accedens tētator dixit ei. Diabolus hic ab officio suo *tētator* nominatur, veluti pictor, coctor cereuisiæ, tōsor, sartor, miles, seu alius quispiā mechanicus, ab opere quotidiano nomen sortitur. Sic Apostolus, *ne forte*, inquit, *tentauerit vos, is qui tentat*: hoc est cuius officium & munus in eo consistit, vt hominem in tentationem inducat. Quicquid.n. tentationum diabolus homini infert, ideo facit, vt ad æternā damnationem præcipitet. Quod cū non succedit aliud adhibet. Olim in veteri Testamento ante confractas à Christo vires maiori vtebatur in nos potentia, excitans inclinationes, q̄ per Christi pretiosum sanguinē necdū cōsolidatæ erāt. Ast vbi Christus eum, prout in Apocal. testatur Ioannes, vinculis cōstrinxit, imminuta fractaque est hæc potentia. Quam nec tam efficaciter potest exercere erga pios, cœlesti præsidio fultos atque

Diaboli potentia.

Apo. 20. 2.

atque erga peccatores gratiæ contẽptores. Hos etenim proprijs passionibus quasi captiuos *ad voluntatem detinet*. Festiuis diebus opifices habent suas ferias, habent & milites; diabol⁹ vero quietem nescit, sed festis dieb. tanto est tentatio intensior, quanto homo otiosior: vt eum vel ad tabernam, vel ad ludum saltatorium, aleatorumue scholam, aut alium quempiam inhonestum locum pertrahat. Insuper semper nos in oculis habet, qui eius aspectu subtrahere nos non valemus: cum ex aere, quid agamus, accuratè despiciat. (vt post Chrysostomum Gennadius testatur.) Non ex dæmonis sed Dei beneficio est quod aliquando non tentet vt de B. Iob patet. Aliquãdo autem id spe melioris opportunitatis omittit. Aliquando *à propria concupiscentia*, vt Iacob. ait, *illecti*, tentamur: proinde non est cur semper in dęmonem peccata ac tẽtationes, vt Basil. monet, conijciamus, neue per eum nos excusemus) *de corde enim*, testãte Christo, *exeunt cogitationes malæ*:) neque in extremo iudicij die excusationi locus erit, considerãtibus vitam nostram, vt ait B. Iob, continuam quasi militiã, neq; deesse sufficiens præsidium quo aduersus hostium insultus muniamur. Et quanquam Christianos nouissimis his temporibus multo acrius oppugnet, quam olim vt Abbas Siesis aiebat; tum quod minores nunc habeat vires, tum quod iudicij dies paulatim appropinquet, post quem perpetuo gehenna constrictas tenebitur cum damnatis omnibus à quo supra modum abhorret, nihilominus officere nobis non potest, ob superabundantem gratiã, qua nos Deus corroborat: Chrysostom. quinque adfert rationes cur Deus nos tentari permittat. *Primo*, vt experientia disceremus quod Christi baptisma, multo nos fortiores fecit aduersus dæmonum insultus. *Deinde*, vt in animi mediocritate perseueraremus, neque donorum magnitudine elati, neque tentationum mole depressi: Apostoli cum in vltima cœna, sacratissimo Christi corpore & sanguine recreati fuissent, admodum sedati pacatique erant; verum postmodum omnes scandalizati. *Tertio*, vt malignus, cum de nostra à se discessione dubitat, ex tribulationum tolerantia discat, quod perfecte ei renunciauerimus. Neque enim hoc tam vitæ nostræ

Plus potest in peccatores *1. Tim. 2. 26.*

Chrys. ho. 54. in Acta Apost. Gen. de Eccl. dogm. c. 28.

Diabolus cur aliquando nõ tentet. *Iob. 1. 12. Iac 1. 14. Basil. regula 75. breu. Mat 15. 18.*

In vitis PP. par. 2. li. de virt. patien.

Chrys. ho. 13. Matth.

Cur tentemur.

1. Ratio.

Luc. 21.

2.

3.

Luc.8.13. noſtræ cõmutatio loquitur, q̃ tentationum ſuſtinentia, *Multi*, Chriſto teſtante, *ad tẽpus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt. Quarto*, vt fortiores efficiamur. Inſtar arborum q̃ à vento, vt ait Gregor. magis conſolidantur: ſeu vt ſtomachus, qui hyberno tempore ob externum frigus maiori abundat calore. *Poſtremo* vt Dei in nos diſcamus beneficia, neque.n. tentat ille niſi à Deo euectos. Noli ergo triſtari quia tẽtaris ſed gaude: Signum quippe eſt, quod cum multo accuratius ſingula quæq; rimetur quam tu, diuini in te muneris chariſmata cõſideret. Nam vt boues fortiores aratro iungimus, infirmos paſcimus, ſic Deus pijs immittit prælium, impijs permittit libertatem, prout apud ſapientem ipſi fatentur: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Atque ideo in ſcripturis ſacris, *vaccæ pingues, & tauri pingues* rectiſſimè nominantur.

4. *Greg.2. Mor.c.26.*

5. Nemo triſtetur quia tentatur.

Sap.2.8. Amos 4 1. Pſ.21.13.

Chriſtus aliter tentatus quã nos

In verbo *accedens* nota *primo*, diſcrimen inter tentationes Chriſti & noſtras. Ad nos namq; non ſolum accedit, ſed etiã accurrit, ſicuti ad putidum cadauer aduolant corui. Itaque neceſſe non eſt, vt eum aduocemus, quippe qui vltro ſeſe ingerit. Scribit Gregor. de Presbytero quodam Stephano, qui aduocans ſeruum; adeſto inquit dæmon, & meas mihi caligas detrahe: dictum factum; ſenſit enim mox, à diabolo eas ſibi exui nominatus, illo præſentem ſe exhibet. Chriſtum timebat; nos etſi aliquatenus gratia & amore Dei incaluerimus quia calor tepidus eſt contemnit. Vnde ſicut muſcæ non horrent, quin potius quærunt calidas carnes, vt ſuccum exugant, feruentes tamen ollas deuitant: ſic dæmon ad imperfectos aduolat, fugit illos quos amore Dei feruere cõſpicit: tantum Antonium fugiebat, vt teſte Athanaſio, ad nominis eius inuocationem, ex obſeſſis migraret.

Gre.3.dial. cap.20.

Apud Surĩ 17.Ian.

Dæmon tentat ſolitarios.

Chryſoſt. hom.13. in Matth. 3 Reg.12. Eccl.4.10.

Nota *ſecundo*, cum Chryſoſtomo, dæmonẽ illos inuadere, quos ſolos reperit. Quantumcunque .n. quis ſapiẽtiæ dono excellat, aliorum tamen indiget: (Salomon qui omnem poſteritatis memoriã ſingularis ſapientiæ opinione ſuperauit:) vſus eſt conſiliarijs eorũq; inſtructione ac conſilio. Vnde & Eccleſiaſtes: *Væ ſoli, quia cũ ceciderit, nõ habet ſubleuantẽ ſe.* Antonius, Hilarion, alijq; celeberrimi nominis Heremitæ, antequã ſe ſolitudinibus abderent, monaſteria ingrediebantur, in qui-

in quibus perfectionis acquirendæ ſtudio incumbebãt. Nota *tertio*, q̃ ſibi viã adeundi Chriſtum dæmõ patefecerit. Cõmunis Doctorum eſt ſentẽtia, quod humana acceſſerit ſpecie. Quemadmodum. n. boni Angeli hac ratione ſolẽt ſe exhibere; veluti *a* Raphael Tobiæ: Gabriel *b* Virgini, alij alijs paſſim; vt *c* Abrahæ, *d* Loth, *e* Iacob, *f* Ioſue, *g* Manue Sãpſonis parenti, *h* Petro Apoſtolo, &c. ita & dæmones viſibilia poſſunt aſſumere corpora animalium; ſicuti ſerpentis Euam decipientis, vel aeris, quẽ in quaslibet formas condenſare ac configurare queunt, vt hominib. imponant. Ita Antonius alijq; S. Patres ſæpe eos conſpexere: & præcipuè incantatores ac incantatrices, qui ſingulari dæmonum familiaritate gaudent. Notandum *quarto*, quod ad Chriſtum in principio acceſſerit in terra, nõ in monte, aut domo, quia craſſa & hominis mentẽ deprimente, beſtijſq; ſimilẽ efficiente tentatione eũ aggrediebatur. Ebrius. n. ſi ad hominem comparetur, ſus immunda: vel vt Aug. ait, putida lacuna eſt ſordibus referta. Hæc tentatio non eſt honeſtiorũ, ſed infimæ ſortis hominũ, quibus pudor nullus eſt. Etſi nobiles huic, hoc tẽpore proh dolor, ſuccumbãt; indigni nobilium familia, ſed greges mãcipiorũ: à Lacedæmonijs famuli vino abundantiori iniurgitabãtur, vt filij eorum conſpicati mores, cautiores redderẽtur. *Quinto*, nota cum D. Bernardo, quod diabolus antequã tentationem ſuã auſpicetur, omni ſtudio hominum indaget propenſiones, vt ijs armorum vtatur loco: veluti Chriſtũ hic aggreditur ſumptione cibi, quẽ famentem ſciebat; ſi ambitione videat te torqueri, ſuggeret, quicquid aliquã ſuperbiẽdi materiã ſuppeditat. Si ad iracundiã es præceps, ad eam te ꝓuocabit. Nota *ſexto*, neminẽ à tentatione eſſe liberũ: cum diabolus B. Iob atteſtante, tantæ ſit poteſtatis, vt *neminem timeat*. Qui ſi Chriſtũ fuit auſus aggredi, Deum ſc. ac Regẽ cęlorum, multò minus nobis parcet. Virtus eius magna eſt, cupiditas nocendi non minor, multitudo innumerabilis, non eſt ergo vnde ſecurì ſimus, Salomõ infernum, inter quatuor illa quæ nunq̃ ſaturantur, enumerat; & Iob diabolum inquit habere fiduciam, *quod Iordanis influet in os eius*, ſcilic. Chriſtiani oẽs, vt exponit Grego. globo ſumus, aquis innatanti ſimiles:

Diabolus quomodo acceſſerit.

a *Tob.* 5.
b *Luc.* 1.
c *Gen.* 18.
d *Gen.* 19.
e *Gen.* 32.
f *Ioſue* 5.
g *Iudic.* 13.
h *Act.* 12.
Athan. in vit. Anto.

Vbi Chriſtum diabolus primo acceſſerit.

Aug. ſ. 231. *de temp.*

Tentatio gulæ quibus conueniat.

Ber. ſer. 67 *ad ſororẽ.*

Diaboli aſtus.

Tentatio omnibus: cõmunis.

Iob 41. 24.

Prou. 30. 15

Iob. 40. 18.

Greg. 33. *Mor. ca.* 8.

omni studio videndum, ne diabolus fissuram aliquã in nobis conspiciat. In politicis distinctæ sunt hominum functiones, verũ in spiritualibus militũ vices obire quotquot sumus, debemus: non. n. oẽs in genere oppugnat dæmon, sed in particulari vnumquemq; nostrum. *Septimo*, nota quod Christum forinsecus non vero intrinsecus sit allocutus: neq; .n. illi praua ingerebat cogitationes sicut nobis; quorum affectiones, per peccatum solutę sunt, ante per originalis iustitiæ integritatem subiectæ, veluti in Christo, & sanctissima Deipara virgine: quorũ neuter peccato originali subiacebat. Considera *octauo*, Christũ nos non reiecturum cũ ei necessitates aperimus, qui dæmonem admisit. Itaq; magna cum animi fiducia ipsum adito, neq; vereare repulsam. *Nono*, Deum quidẽ permittere, vt diabolus hominẽ impugnet siue inuisibili suggestione siue visibili apparitione, sed nõ in forma ꝓpria, q̃ adeo est horribilis vt eã homo nõ ferat. Quẽ etsi B. Iob aliquatenus describat, & Ioannes qui in sua Apocal. septicipitẽ eũ draconem nominat, tamen nullis sufficientib. potest depingi coloribus. Hinc à Simeone Metaphraste ꝓditum est, Sãctissimã Margaretã Virginem, in Carcere Deum obsecrasse, vt humani generis hostem à quo tot sustinebat tormentorũ cruciatus, oculis posset contueri: vnde repente facto terræ motu, terribilis ei apparuit draco, colore quidem varius & multiplex, multis serpentib. totum corpus circundatus, intolerabili fœtore, vastoq; oris hiatu ei exitium intentans, ad cuius aspectum expaueſcens Margareta, Deum precatur, vt eum abigat, quod & illicò factum. Eodem schemate Maria Magdalena in spelunca, sibi à Deo cœlitus assignata, delitescens (vt Syluester Prieras ex Heliæ Monachi enarratione recenset) dæmonem est intuita; tanto cum horrore, vt mox spiritum exhalatura putaretur. Apud inferos damnati dæmonem videbunt sicuti est, cuius crudelissimæ tyrannidi subiecti permanebunt. Ne in hunc tormentorum locum deuenias: dæmonis intuitus ineffabile tormentum est.

Christo quomodo loquutus diabolus.

Christus afflictos nõ reijcit.

Diabolus nemini apparet vt est.

Iob 40. & 41.

Apoc. 12. 3.

Apud Surium 20. *Iulij c.* 8.

Apud Sur. 22. *Iul.* *Sylu. ser.* 5. *Paschæ.*

V.

Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Hisce auspicatur dæmon tentationes: Si filius Dei es. Audierat inquit Chrys. venientẽ de cœlo Patris vocẽ, ac dicentẽ: *hic est filius meus dilect⁹*.

Chrys. ho. 13. *in Mat.* *Matt.* 3. 17.

Vnde

Vnde explorat, an Christus verus & naturalis Dei esset filius eius quasi misertus, qui quadraginta dierũ spatio à cibo abstinens, fame torquebatur, volens honore & infamia veritatis confessionem elicere, sensus. n. verborũ eius est: Nõ congruit dignitati filij Dei, vt inedia occumbat: qui vel ex lapidibus potest creare panes. Quod nisi nõ præstiteris, in hac tam graui inedia talis nõ reputaberis: quin potius Deus pater imposuit tibi dicẽs de te; *hic est filius meus dilectus.* Re ipsa ostẽde, si potes; Sic Christũ vel ad superbiã conabatur inducere qua miraculũ ederet, declarãs se Dei filium; vel ad blasphemiam in Deum, qui eum famis tẽpore desereret. Sic olim Euæ sinistrã de Deo opinionem infuderat, quasi boni ac mali cognitionem inuideret. Vnde in primis dæmonis verbis, quib. & in secundæ tentationis congressũ vtitur. *Primo*, nota: *si filius Dei es*, quod dubitationis sit plena: q̃ & ijs intelligi queũt, qui aliquatenus in fide fluctuãt, veluti de Iudæis, alijsq; illusoribus, qui sub cruce vociferabãtur: Si Christus, si *Dei filius*, si *Rex Iudæorũ es, descende de cruce, liberans te ipsum & nos.* Hisce vtuntur verbis, qui in suis necessitatib. ambigunt, an Deus mundum gubernet, de ipsis cogitet, rerum habeat cognitionem, prout in ipsorum persona loquebatur Psaltes regius, dicens: *quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis?* Mali prosperantur, & bonis aduersa eueniunt, quomodo ergo hæc sinit Deus, si est omniscius? Hæc cum in animum tuum illabuntur, vt diabolica detestare, quæ à te recto fidei tramite, ad desperationis conãtur pertrahere abyssum. Considera *secundo*, Christũ diuinitatem suã non ostendere ad petitionem diaboli, vt videas illum esse Deum, etiamsi ea quæ tu consideras non perficit. Recusat omnino vel à te, vel ab alio quopiam, ad instar subditi, examinari. Cum Bethulienſis populi princeps Ozias coram omnibus testatus fuisset, se Bethuliam traditurũ Assyrijs, nisi intra dies quinque adueniſſet subsidium, increpans eum Iudith, sanctissima Heroina, *quinam*, inquit, *estis vos, qui tentatis Dominum*; Vosne pro arbitratu vestro diem constituitis ei? Deus cum volet, præsto erit, & cum eius auxilium humili supplicatione popoſcerimus. fatui sunt qui ad susurronũ verba cõmouentur ad mala, quasi in sua possint dignitate ea per-

Gen. 3. 5.

In verbis tẽtationis quid lateat. 1.

Matt. 27. 40.

Luc. 23. 19.

Qui eis vtantur.

Psal. 72. 11.

2. Christus nõ acquiescit diabolo.

Iudit. 8. 10

Susurrones reijciendi.

ea perficere; & inſtigantium illos, quaſi titulo nobilitatis, ac opū poſſunt ab hoſtib. vindictā capere, veſtium ſplēdore nimio excellere, ſubditos exactionib. exhaurire, &c. Hoc inci-

3. Reg. 21.7 tamēti genere Ieſabel impijſſima regina vtebatur, cū Achab maritū, ad innocētis Naboth hauriendū ſanguinē, inflāma-

2. Re. 13.5. ret, & Ionadab Dauidis cognatus, cū Amnon eiuſdem natu ſeniorem filium, vt inceſtuoſo ſororis ſuæ Thamar cōcubitu frueretur; incitaret vt vi nimirū virginē opprimeret. Cū igitur huiuſmodi ſuſurrones talia tibi inſuſurrāt, noli ijs accōmodare aurē, cogitans non omnia licita q̄ libita. Nā etſi ab

Col. 4.1. hominib. non punireris, Deus tamē id inultū nō ſinet. Vnde

B. Ioannis Gualberti miſericordia. B. Paul. Dominis præcipit dicens: *Quod iuſtum & æquū eſt, ſeruis præſtate: ſciētes quod & vos Dominum habeatis in cœlo.* D. Ioann. Gualbert. qui ann. Dom. 1040. vitæ ſanctimonia floruit, ob-

Apud Surīū 11. Iulij ca. 1. uiā habuit quendā capitalem hoſtem, qui cognatū ei⁹ fraude doloq; peremerat, de eo vltionem vt expeteret, hortabātur ſui. Verum is humi cū ſe ꝓſterneret, iunctis ad pectus canelatis manibus, ꝓ Crucifixi amore veniam vitamq; deprecabatur. Qua cōceſſa, cum haud multò poſt ad Eccleſiā deflecteret flexis corā Crucifixi imagine genibus, vidit Chriſti in Cruce pendentis caput ad ſe inclinare, inſinuātis ſe petitioni eius annuere, q̄ homicidā non ꝓ oportunitate mulctaſſet, ſed ſui amore noxā ei benigne remiſiſſet. Noli cogitare q̄ vel quāta prętare poſſitis, ſed quid Chriſtianū, qui de omnibus, ac ſingulis factis, cogitationibuſq; redditurus eſt rationē, deceat: quidue factu, effatu, cogitatione vtile ſit, aut ex-

Diabolus à ſpiritualibus auocat ad corporalia. pediens. In ſequentib. verbis ac poſtulatis dæmonis, dicentis; *dic vt lapides iſti panes fiant*, conſidera *imprimis*, hoc illi eſſe in more, vt à ſpiritualib. ad corporalia procedat. Chriſtus in-

Deus per corporalia eleuat nos ad ſpiritualia cumbebat precibus, ille cibum ingerebat. Idē & tecū facit, orationis tempore, domeſticarum rerum occupationes tibi ob oculos ſtatuit. Deus, vt à temporalib. ad ſpiritualia ꝓgrediamur, intendit. *Primo*, cibū dat, vt cōcioni, vel alijs vtilibus negotijs occupemur: diabolus contrà, ait prædicemus, alijſque officijs intendamus, ꝓpter cibum, ac ſpiritualia ad tem-

Prima tētatio gulæ. poralia conuertamus. Conſidera *ſecundo*, primam dæmonis tentationem in cibo & potu, qua & parentes primos olim

Gen. 3. ſupera-

ſuperauerat: eſt .n. inter cæteras, maxima, quæ cor deorſum cibi potuſq; pondere deprimit, & hominem ad alia vitia ꝓuocat. Hac tentatione dæmon in ſupplãtandis Germanis vtitur, quos ad commeſſationes, ebrietates, aliaq; corporalia videt propenſos. Immittit hæreſes q̃ ieiunia exſibilent, ſolẽnia caſtitatis vota cõtemnant, corpori omnia permittãt, &c. quibus introductis, tendit ad diuinæ maieſtatis blaſphemiã, vti liquet in Mennoniſtis, Chriſti humanitatem negantibus; in nouis Arrianis, ex Caluiniſtarum ſchola prodeuntibus: & in domo, vt vocant, amoris, qui cum diſcipulis; Politicis nimirum, & Machiauellitis omni ſunt fide deſtituti. *Tertio*, cõſidera, dæmonis ad hominẽ ingreſſum, cõmuniter ꝓ corporales fieri neceſſitates. Vt.n. victum ſibi quærant inhoneſtæ fœminæ, ſe ꝓſtituunt; alij ad furta, rapinaſq; manus mittunt; nõnulli fraudib. intendunt; multi, vſuris, alijſq; iniquis cõmercijs, ac negotiationibus occupantur; quidã res Eccleſiaſticas emũt, venduntque. Hinc eſt quod Ieremias deplorans, ait: *Dederunt pretioſa quæq; pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, & conſidera.* Hoc eſt, vt Gregor. exponit, virtutes pretioſas reliquerunt, vt temporalib. potirentur, ideoq; cõtemptibiles facti ſunt. Imò rem pretioſiſſimam q̃ habent, ſc. animã: (hanc regius Pſaltes *gloriam noſtram* vocat, quod pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redempta, ablutaq; ſit:) pro victu dæmoni offerunt. Aſpice ergo hæc ô Domine, & rei indignitatẽ conſidera. Nota *quarto*, quod apud diabolũ eiuſq; aſſeclas, ſignum filij Dei ſit, nulla neceſſitate premi. Hinc ſæculares opibus, honoribus, alijſq; commoditatibus incumbunt; eoſq; felices, ac beatos prædicant, Dauide aſtipulante, quibus nihil deeſt: nõ conſiderantes, quid Lazaro, & Epuloni hic & in altero ſęculo euenerit. Pauperes, eſurientes, ſitiẽtes, Beatos Chriſtus nominat; Chriſto ſimillimi ſunt; qui hic rerum omnium illius cauſa, ſunt egẽtiſſimi abiectiſſimique: non habuit ille, vbi *caput ſuum* reclinaret, nudus in crucis ſtipite pendens, proprio ſuo ſanguine, ac virulentis Iudæorum phlegmatibus coopertus. B. Franciſc. hyberno quodam tẽpore, Peruſio verſus S. Mariam de Angelis iter cũ ſocio ſuo Leone habens, diſſerens in quo perfecta conſiſteret lætitia,

Germanorum tentatio.

Diabolus quomodo nos primo aggrediatur.

Thre. 1. 11. *Greg* 23. *Mor.* c. 26.

Pſal. 107. 1.

Diaboli error.

Pſ. 143. 15. *Luc.* 16. 25

Mat. 8. 20.

Ingeſtis S. Franciſci.

Lætitia vera in quo

dicebat eā nō in eo ſitā, ſi præclarum honeſtatis, ſanctitatis, ac ſpiritalis ædificationis ꝓximo exemplum præberes, miraculorum gloria excelleres, aut totius mundi ſapientiā poſſideres, diuerſarū linguarum cognitione, aut eloquentiæ laude excelleres, vt infidelium animos ad verā Chriſti fidē conuerteres: ſed ſi ad monaſterij portā venientes, ianitor cōtumelijs, inſtar viliſſimorū nebulonū, nos excipiat, abigatque: ꝓbroſis afficiens cognominibus, ac verberibus, aerisque inclementiæ tota nocte ſub dio exponens: hæc inq̄ patienti animo ſi tolerauimus, putātes ꝓmeruiſſe omnia, in hoc lętitię ꝓfectionem eſſe dixero. Verum his fidem mundus nō habet, licet Martyres, ſuis in tormentis, lōge grauioribus, hui⁹ participes fuerint, dicentes cum Propheta: *ſecundū multitudinē dolorum meorū in corde meo conſolationes tuæ lætificauerūt animā meā.* Cōſidera *quinto*, in verbo *dic*, cognitionē dæmonis, ſciētis fatentisq; Deum ſolo verbo creaturas poſſe immutare: quod Caluiniſtę noſtri planè eunt inficias, quorū fides minor eſt q̄ dæmonis. Vnde B. Ambr. de virtute diuinorum verborum: *Si tanta*, inquit, *vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe, quæ nō erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in illud cōmutentur?* Loquitur aūt de verbis illis, quib. in Miſſæ ſacrificio, panis in Chriſti corpus, ac vinum in eiuſdē ſanguinē trā-ſubſtātiatur. Nota *ſexto*, in eadem dictione, q̄ leuiter diabol⁹ ęſtimet, id ad quod nos conatur inducere, quaſi diceret: hęc res vno ſolum verbo cōſtabit, parui eſt momenti, &c. Verū, vbi morem ei geſſimus, eiuſq; conſilijs acquieuimus, pl⁹ negotij cōſpicimus, q̄ arbitrabamur: quia vnū peccatum, ad aliud ꝓtrahit, adeo vt nullū tandē inueniamus exitum. Imitatur n. architectum, qui de erigenda fabrica cōſultus, tē putat leuē, exiguorumq; ſumptuum: ſed cū ad opus peruentū, excreſcunt ſumptus in immēſum, quia plura multo q̄ ꝓuideramus, fabrica poſtulat. Et caupones imitatur, qui aduētantes hoſpites, blādè alliciunt, ſub cœnam comiter, ac genialiter eos excipiunt: at inſequenti die, cum ſolutio facienda, longe alium induunt vultum, caperata frōte plus extorquent, q̄ primo ingreſſu opinabare. Ita dæmō ꝓſuadet leui momento te poſſe familiaritatē cum fęmina, in q̄ fortè oculos cōieceras, con-

Pſ. 93. 19.

Caluiniſtarū fides minor eſt quam diaboli. *Amb. 4. de Sacra. c. 4.*

Diabolus cū tentat peccata extenuat.

cõtrahere: at vbi eã cõueneris statim difficultas exoritur: iubet.n.te alias redire, aut munera donaue exposcit, differês te in tẽpus aliud, dęmone interim libidinis face animum tuum inflãmante. Qui vbi iam cupitis fruitus es amplexibus, mox vel ꝑples, vel Gallica lues subsequitur, & vtrimq; perpetua infamia. Cõsidera *septimo*, primã dæmonis suggestionem ꝑ lapides factã, vt discamus tentationem q̃ in cibo potuq; nobis obijcit, lapideos nos, aut planè saxeos efficere: vti scriptura de Nabal qui secundum nomẽ suum stultus erat. (Nabal nãque delirũ denotat) testatur: qui cũ genio suo largiter indulsisset, induratus est corde instar lapidis. Idẽ potatorib. cõtingit, quia nulla super vxoris, liberorumq; paupertate cõmiseratione mouẽtur, modo suo satisfaciãt ventri, nullius emolliti sermonibus, sed potius ad diabolicã suggestionẽ obcœcati. Cõsidera *octauo*, cum Theophylacto, dæmonẽ nõ iussisse vnum panẽ qui fami sufficeret creari, sed multos. Christũ ergo ꝑuocat ad superfluitatem. Vult nãque, vt per rerũ abũdantiam delinquamus, semper de futuris solliciti, doctrinã Christi vt panẽ solũ *quotidianũ* poscamus: ꝓtextu necessitatis, auaritia sese palliat, cuius nimis anxia sollicitudo, à Deo nos auocat abstrahitq;. *Nono*, cõsidera cõplures nobis esse quotidianas tentationes, q̃ magnã cum hac Christi tẽtatione similitudinẽ habent: nempe *prima* est ex carnis fragilitate, cum nimium illi indulgemus. *Secunda*, est nimia de corporaliũ rerum necessitate sollicitudo, vti B. Bern. notat. *Tertia*, gulæ luxuriæq; tentatio, pugnãs ex diametro cum sobrieratis castitatisq; virtute, adeo vt his cõparatę lapides esse videãtur, obseruatuq́; impossibiles. Hinc hæreses militãt aduersus castitatis votũ, aduersus Quadragesimæ obseruationem, aliasq; passim virtutes: idq́; ꝓtextu libertatis filiorũ Dei; ad huiuscemodi minimè obligatorũ, q̃ reuera insigne est dæmonis cõmentum, ac periculosa impostura: qui non vult vt sciamus Christianã libertatẽ nõ consistere in eo, vt quis peccet: (alias sancti cum Christo iam in cœlis regnantes, cum peccare nequeant, Christiana libertate carerent) sed in voluntaria virtutis actione, citra passionum aut diabolicarum tentationũ Dominium. *Quarto*, qui Deo seruire incipiunt, mundanæ

Cur lapidib. vsus diabolus. 1. *Re.* 25. 25

Diabolus suader fieri multos panes. *Matt.* 6. 11

Tẽtationes nostrę *Ber. ser.* 14 *in Ps.* 90.

Libertas Christiana.

conuersationi renuntiantes, sine diuini amoris flamma, qua omnia cõdulcorantur, his omnia saxea videntur, ob dæmonis, qui eorum inuidet perfectioni, tentationem. Considera *decimo*, diabolum non panem sed lapides proferre: de quib. ipse quidẽ panem non procreat, sed vult vt nos id faciamus. Quicquid apponit, non ad consolationem facit, sed vt lapideos nos efficiat, morosos, atq; instabiles. Ideo nonnunquã contingit vt sagæ in conuenticulis, pane in mensa careant, cuius nutrimenti beneficium, à Deo iustius expectatur. Adfert quidem illis subinde varia ferculorum obsonia, ac vinũ prænobile; vt carnis illecebris irretitæ, exstimulatæque, prægrauentur, verũ nihil panis, quo nutriantur, præstat. Diabolo similes sunt oẽs, qui proximum eleemosynã, consolationemue petentem asperis verbis sine iuuamine, aut spe cõsolationis reijciunt. *Vndecimo*, cõsidera, quo pacto lapidum immutatio, dæmoni fuisset experimentum, Christũ verum esse Dei filiũ: nõ solũ ideo quia nemo præter Deũ creaturas immutat; sed quod indubitanter verum est, id quod miraculo Deus probat, qui nullatenus miraculorum signis mendacio suffragatur. Si itaq; Christus miraculum hoc edidisset, vt se Dei filium demonstraret, nihil de eo amplius dæmon dubitasset. *Duodecimo*, notãdum, non dixisse illum: fac ex lapidib. his *carnes* aut *capones*, &c. sed *panes*, hoc est pauperum alimentum: cum nihil boni nobis faueat, si vnico asse posset hominem pellicere, non daret duos. Misero illi acolasto, porcorũ obiectabat siliquas, ealq; tam sordidè vt saturari nõ posset.

Diabolus non tulit panes.

Mutatio lapidum quomodo signũ filii Dei.

Luc. 15. 16.

Qui respondẽs, dixit, scriptum est: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Testatur D. Epiphani⁹, Christum nõ voluisse dęmonis suggestioni morẽ gerere, ne in aliquo videretur ab illo doctus: nec nos quicq̃ attentemus aut acceptemus, à dęmone oblatũ: cuius intentio alia nõ est, quã vt nos decipiat, atq; à Deo abstrahat. Ab illo autem quidquã acceptare dicimur, cũ per peccatum opulentiores reddimur v.g. furto vel p vsurã, aut fraudẽ: cum beneficia Ecclesiastica simoniace acquirimus: ab infidelib. alijsq; Dei hostibus, vt sũt Turcæ, ac hæretici, subsidiũ petimus. Abrahã Patriarcha ne festucã quidem ab impio Sodomorũ rege, vltro oblatã, acce-

VI. Epip. hær. 66. Christus diabolo non acquiescit.

Gen. 14. 23

acceptare voluit, diuinæ vltionis vindicta in Aſam, Regem Iudæ, deſæuijt, quod ab infideli Syriæ rege aduerſus hoſtes, auxilium imploraſſet. Non permittit Deus, vt cum diabolo eiuſque ſodalibus amicitię fœdere iungamur, ſed vult vt à ſua paterna manu benignè omnia ſuſcipiamus, eiuſque conlio ac præcepto cuncta agamus. 2. Par. 16.

Obſerua Chriſtum diabolo non male reſpondiſſe, aut ſua authoritate reieciſſe, ſed rationibus ex ſcriptura petitis & ſedatè. Non quod bona verba mereatur, quem ilicò execrari, & à nobis abigere debemus, mox vbi eius præſentiam perſentiſcimus; ſed *Inprimis*, vt diabolum deſpiciens videretur neſcire quiſnam eſſet: *Secundo*, vt nos doceret proximum etiã inimicum, potius iuſtis rationibus quam clamore & iniurijs conuincendum. Phariſæi cum non poſſunt reſpõdere Chriſto, ignominiosè, *Samaritanum* eum nominant, & vini potatorem, atque à dæmone obſeſſum. quot noſtri temporis æmulantur hæretici, cum non habent quod Catholicis reſpõdeant, aut eorum eruditioni, ignominioſis eos compellant nominibus *hypocritas* vel *Iebuſæos*, aut *Ieſu-vvyt*, hoc eſt, à Ieſu remotos, &c. grauia comminiſcentes facinora, quæ eis obiectent; nempè quod incontinenter viuant, Principum ſint trucidatores, auari, ſceleſti, & id genus alia. Quemadmodũ olim Arriani B. Athanaſium culpabant, de adulterio, homicidio, veneficio, furto, &c. cum rationibus ſuperare eum nõ poſſent. Eodem modo fœminæ rixoſæ agunt ſuis cum aduerſarijs, ſi ratione deſtituantur. Chriſtus Scripturarum teſtimonia in medium profert, deſumpta ex quinto Moyſis libro, vbi Deus ita populũ Iudaicum alloquitur: *Dominus Deus dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui*, vt *oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini*: hoc eſt, Deus pane quo hominem cibet, non indiget, cum poſſit nos quocunque modo ſuſtentare. His itaque verbis diabolo reſpondet, ac ſi diceret: Nullatenus opus eſt panis præſentia, quo famem depellam: poteſt enim alijs me Deus alere medijs; veluti herbarum ſucco, aut quocunque alio modo: immò ſolo verbo, ſine vllo temporalis cibi ſubſidio: qui omnia quęcunque vult poteſt in cibũ conuerte-

Chriſtus quomodo reſpõdeat diabolo.

Ita ſcribẽdum ob alluſionẽ belgicam.

B. Athanaſius ab Arrianis vexatur.

Deut. 8. 3.

Chriſtus diabolum eludit.

uertere. Nota *primo*, Chriſtum non reſpõdiſſe ad diaboli intentionem, qui exploratum venerat, num Dei eſſet filius, putans ſibi ad hoc reſpondendum, verum Chriſtus eius eluſit verſutias, docés quo pacto cum exploratoribus agere debeamus, qui quaſi conſilium daturi omnia expiſcatum veniunt. Hos eodem modo à nobis dimittere debemus, quo acceſſerunt; non reſpondendo eorum, quod tacitè occultant, deſiderio; ſed potius ad ipſorũ verba. Sæpenumero hoc vſu venit inter Catholicos ac hæreticos, religioſos & ſæculares interq; altercantes cùm aliorum ſtudet elicere ſecreta. Nota

Gregor. in hod. Hom.

ſecundo, cum B. Gregorio Chriſtum in ſua tentatione vti præſidio ſcripturarũ: vt ex tentationum vexatione ac moleſtia, doctrinam potius ſalutarem hauriremus, quam ad vindictæ cupiditatem murmurationemve incitaremur. Nulla eſt tam magna vel exigua tribulatio, quin p eam poſſis in cognitionem venire eorum, quę Chriſtus tam in vita, quam ſanctiſſima paſſione noſtri cauſa tolerarit, vt hac ratione in eius amorẽ inflammeris: aut illorũ; quæ poſtmodum in igne purgatorio aut infernali ſuſtinenda ſunt, vt ea euitare nunc ſtudeas, hortãdo te ipſum in rebus aduerſis ad patientiam. Diſce *tertio*, vt in omni tentationum incurſu ad manum habeas ſcripturam, qua te ipſum conſoleris, & diabolum profliges, ait enim Apoſtolus verbum Dei *gladium* eſſe *ſpiritus* quo omnibus in rebus vti oporteat. Aduerſus ſuperbiã, hęc Chriſti cõducit admonitio: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Aduerſus auaritiam: *quid prodeſt homini, ſi mundũ vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimẽtum patiatur?* pro paupertate: *filius hominis non habet, vbi caput reclinet.* Contra luxuriam: *omnis immundus non habet hæreditatem in regno Dei.* Contra alia peccata: *nolite errare, neq; fornicarij, neque adulterj, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* Cum ergo Dei verbum legimus vel audimus contra quarumcunque tentationum incurſus nobis imprimere ſententias debemus, quibus dæmonem fugiemus. Diſce *quarto* ex his Chriſti verbis & exemplo ne vllo tempore ob paupertatis metum, ad vllum declines peccatum, ſed fiduciam in Deum conijcias, infinitis medijs iuuare te valentem:

Scripturæ vſus.

Eph. 6. 17.

Matth. 11. 19.

Matth. 16. 26.

Matt. 8. 20

Eph. 5. 5.

1. Cor. 6. 9.

Galat. 5. 21

Paupertas nemini ſit occaſio peccati.

cui

cui omnes in bonorum obſequium famulantur creaturæ. Cibauit filios Iſrael in ſolitudine annos quadraginta; pane Cœleſti, atque ex ſaxoſa aridaque rupe vbertim ſcaturiēte aqua. Heliam, & Paulum, primum heremi incolam, miniſterio corui ſuſtentauit: alios nonnullos ita roborauit, vt plurimos ſine cibo tranſigerent dies. Enitere ſolum vt inter filios eius cenſeare, ac diligare, cuius oculi à te haudquaquam auerſi erunt quin impenſam tui gerit curam.

VII.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. Diabolus, videns ſe validiſſima Chriſti ſuperatum reſponſione, nihil regerit: vno enim ictu proſtratus, non iterat eadem, ſed alias inſidias tendit: ſimilis mulieribus, quę maritos nonnunquam intentiori ſtrepitu terribiliter adoriuntur, vt minis eos territent, quos vbi comperiunt magis reluctari ac pugnis ferociā retundere, mox cōticeſcunt. Hæretici eundem à ſuo præceptore diabolo in diſputatione didicere modum: truculenter namque aduerſus orthodoxæ fidei dogma argumentum intorquent; veluti contra ſacrarum imaginum cultum, aut ſanctorum inuocationem. Quod vbi à Catholicis confutatum vident, neque ſe amplius poſſe progredi, ad aliud, ne omnino tacuiſſe videantur confeſtim prolabuntur, ab imaginum cultu, ad purgatorium proſiliunt, inde ad Pontificem, paulò poſt ad Miſſam, ſicque vlterius: quemadmodum dæmon hic ex ſolitudine ad pinnaculum templi, inde ad montem excelſum confugit. Verum quotquot eruditi Catholici hanc eorum vacillantem inſcitiam probe cognitam habent, ita eos conſtringunt, donec prauitatis ſuæ errorem fateantur.

Diabolus victus manſueſcit.

Hæreticorū diſputationes vagæ.

Chriſtus quomodo à diabolo vectus?

Quærunt hic doctores quomodo Chriſtus à diabolo ſuper pinnaculū tēpli Hieroſolymitani ſit translatus. Nōnulli volūt id in imaginaria mētis viſione cōtigiſſe, inſtar Ezechielis Prophetę, qui in ſpiritu, ex Babylonia Hieroſolymam fuit raptus. Verum videtur hoc *primo* cōmentitium, quod Euangeliſtæ nullam viſionis mentionem faciant, Vt vſitatum eſt Prophetis, de imaginarijs translationibus ſcribentibus. *Secundo*, quod in tali translatione nullum ſit lapſus periculū, ad

1. *Sentētia. Cypr. ſer. de tent. & iei un. Ezec 40. 2*

Refutatur. 1. 2.

ad quem præcauendum Angelico opus sit præsidio. Neque dæmon imaginariæ visionis meminit, qui per corporalem Christi lapsum explorare volebat, an verus esset Dei filius.

1. Sententia. Orig. & Euthym. *Luc.* 4. 5. Refutatur.

Alij asserunt hæc verè quidem accidisse, sed dæmonem pedestri itinere Christum ex heremo Hierosolymam supra tẽpli pinnaculũ, & in montem deduxisse: idque ideo, ꝙ Lucas vtatur verbo, *duxit*. Verũ, neque hoc ad rei veritatem videtur congruere, cum Christus qui post quadraginta dies esurijt, debuisset & alios deinde dies cum fatigatione magna ieiunasse; conferens se ex solitudine Hierosolymã longè distantẽ, ac deinde in eminentioris montis verticem. Ecclesia autẽ nõ nisi quadraginta dierum; Christi (vt Ignatius ait) edocta exemplo, seruat ieiuniũ: certũ, Christum non vltra dies quadraginta, totidemq; noctes ieiunasse, ac tandem post trium diabolicarũ tentationũ cõflictum, ab Angelis cibo refectũ.

Ign. ep. 5. ad Philip.

3. Sententia. *Hieron. Matth.* 4. *Greg. ho.* 16. *in Euang.*

Vnde alij Hieronymum, Gregoriumque secuti Christum à dæmone per aëra dicunt sublatum, modo supra templi pinnaculum, modo in excelsum montẽ. Quemadmodũ namq; humi in solitudine latitantem, in forma viri pij est aggressus, quasi motus miseratione; ita se & nunc in Angelũ lucis trãsfigurans, in tertia tentatione, ad diuinitatis gloriam aditum sibi parat, volens ꝓ Deo honorari ac adorari; iuxta id Dauidis, *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*. Neque .n. verbũ *duxit*. eos iuisse significat, sed ꝙ simul eò venerint, diabolo duce. Templi pinnaculũ, erat eius fastigium, non acuminatim nostrarum Ecclesiarum more consurgens. erant enim Palęsthinorum domicilia superius plana, ita vt in illorũ summitate stari ac inambulari posset; ad latus murus erat nõnihil eleuatus ac diuino iussu erectus quò nemo in terram, cũ mortis periculo decideret. Templum hoc summæ erat altitudinis in editiori vrbis loco constitutũ, ita vt in imas valliũ ꝓfunditates inde pateret ꝓspectus: in hoc assumpsit diabol⁹ Christum, vt secũda tentatione eum aggrederetur. Vocatur autem & hic & alibi passim Hierosolyma, *ciuitas sancta*; prout Diuus notat Hieronymus ꝙ Iudęorum arc ana illic essent recondita: nempe templum, Arca testamenti, summorum habitatio Sacerdotum, diuinorum sacrificiorum ritus, & quod

P∫al. 73. 24

Pinnaculum. Domus Palęstinę. *Deut.* 22. 8

Dan. 9. 24 *Matth.* 24. 53. *Hier. Mat.* 27. *& q.* 8. *ad Hedib.*

caput

caput rei eſt, diuinæ maieſtatis præſentia, promittẽtis ſe inibi futurum, ac ſupplicantiũ preces exauditurum, dicentis: *Sanctificaui domum hanc, vt ponerem nomẽ meum ibi in ſempiternum: & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Eſaias, prędicit Meſſiæ tempore eam vocandam ciuitatem *Sancti*: & Zacharias, vocabitur inquit HIERVSALEM *ciuitas veritatis, mons Domini exercituum, mons ſanctificatus*; Quia Chriſtus in illa prædicauit ac pretioſi ſanguinis ſui effuſione & S. Spiritus miſſione, eam nobilitauit. 3. *Reg.* 9. 3. 2. *Par.* 7. 12 *Iſai.* 52. & 60. *Zach.* 8. 3.

NOTA *primo*, ingentẽ Chriſti amoris vim, qui ſe tractari ac prouehi permiſit à capitali ſuo inimico idque latenter: ſi enim agnitus à dęmone fuiſſet, potuiſſet forſitan eius mortẽ paſſionemq; prohibuiſſe. Eandẽ prorſus charitatẽ in paſſione ſua Dñs exhibuit, cum ab improbis hominibus excarnificaretur crucique figeretur: qui vt Gregorius ait, nihil aliud quam diaboli erant membra. Neque pro minori habendum eſt charitate, ꝙ in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, ſceleratis ſeſe offerat hominibus; à quibus, veluti à Iuda proditore, ſumitur: quodq; per flagitioſæ vitæ ſacerdotes, hæc atque alia huius generis ſacramenta cõtrectari conficique patitur, & cæteris diſtribui facit. Hoc noſtri amoris cauſa facit, noſtræque certitudinis; nam ſi ad ſolos, vel per ſolos bonos, ad nos diuerteret, ſemper hæreremus dubij an verè eũ ſuſcepiſſemus: cùm nemini de ſe ipſo an bonus ſit, cõſtet (*neſcit* enim *homo*, ait Eccleſiaſtes, *vtrum amore an odio dignus ſit*) multò minus de alijs, maximè Presbyteris, quorum opera cœleſtia illa myſteria nobis communicantur. *Secundo*, quod dæmon qui Chriſtum in aëra ſuſtulit, etiam homines vt ſæpe contingit poſſit ſubuehere præcipuè ſagas & magos. Nonnulli, qui tamen Catholici cenſeri volunt, cum Luthero, Melanchtone, VVierio alijſque hæreticis, non ſine dæmonis aſtu, ſagarum punitionem impedire volentis, mundumque blaſphemijs, atque id genus abominabilibus facinoribus implere conantis, negare id audet. Nec mirum hæreticos diaboli miniſtros talium ſeſe exhibere fautores. At verò quod Catholici, & præcipue Iudices legumlatores, iuſtitiæ executores, eorum ſuſcipiant patrocinium, id magnoperè eſt deplorandum; tum

Amor Chriſti.

Greg. homil. 16. *in Euang.*

Eccl. 9. 1.

Magos diabolus vere trãsfert localiter.

tum à ſubditis, qui in anima, corpore ac fortunæ bonis ingens ab ijs patiuntur nocumentum, tum ab ipſis horum defenſoribus, qui voluntaria ſua inſcitia, omnium quæ per illos contingunt ſcelerum, ſe participes efficiunt. Notent hi diabolum per peccatum nullam in naturalibus feciſſe iacturam; quemadmodum nec mali homines propter peccata in naturalibus infeliciores. hinc ſequitur, idem diabolũ poſſe, quod bonos angelos per naturam: ita vt beatus Iob aſſerat, non eſſe ſuper terram poteſtatem, quæ ei comparari valeat. Legimus Angelos Prophetam Abacuc, & Philippũ è ſeptẽ Diaconis vnum, de loco in locum trãſtuliſſe; hunc quidem in *a* Azotum, illum verò in *b* Babylonem. Non ergo dæmonibus id impoſſibile: & licet in ſcriptura accidiſſe non legamus (Deo id forſitan in veteri lege ideo non permittente, ne filijs Iſrael ad idololatriæ cultum propendentibus, peccati eſſet occaſio) experientia tamen compertum poſt Chriſti aduentum, à dæmone, plurimos de loco in locum corporaliter translatos. Hinc illi priſcæ ætatis Doctores, *c* Clemens Papa, *d* Egeſippus, *e* Arnobius, *f* Cyrillus Hieroſolymitanus, *g* Epiphanius, *h* Ambroſius, *i* Maximus, alijque complures, teſtantur, Simonem Magum, hæreticorum primum, ac veneficorum peſſimum, à dæmonibus per aëra, quaſi cœlum miraculoſo volatu conſcendentem, fuiſſe ſublatum: quem ad beati Petri vota preceſque, in terram demittere coacti fuere; non ſine confractione crurum, vt poſtmodum humi repere vix poſſet, qui ad cœlum volare fuerat conatus. Inſignis Cluniacenſium Abbas Petrus, cognomento *venerabilis*, florens ante annos plus minus quingentos, tam vitæ ſanctimonia, quam eximia eruditionis laude, refert de quodam Matiſconenſi Comite, crudeli admodum tyranno, atque Eccleſiaſticorum, maximè vero religioſorum perſecutore nequiſſimo: qui cùm ſolenne die Matiſcone in proprio palatio conſediſſet, eumq; multitudo tam militũ quam diuerſi ordinis circumſtaret, repente ignotus quis equo inſidens per palatij oſtium ingreſſus, apparuit. Dicens ſe cum Comite velle colloqui quem dein vt ſurgeret, ac ſe ſequeretur, non tam monuit quam iuſſit. ille inuiſibili potentia con-

Iob 41. 24.

a Dan. 14. 35.
b Act. 8. 29

c Clem. 6. *conſt* c. 9.
d Egeſ. l. 3. *hi.*
e Arno. l. 2
f Cyril. catech.
g Eph. har. 21.
h Ambr. ſer. 66. *& Rom* 8.
i Maxi. ho. 5. *de Apoſt. Petrus* l. 2. *mirac.* c. 1.

constrictus; nec iam resistere valēs, surrexit, atque ad ostium vsque domus ꝓcessit. Vbi equum paratum inueniens, eumque conscendere iussus ascendit. Cuius statim ille habenas arripiens, velocissimo cursu per aëra ferri, cunctis spectantibus est visus, dæmonum factus socius, à quibus cum corpore & anima ad inferni barathrum est prȩcipitatus. Cęterum portam hāc, seu palatij ostium ciues ob tantæ rei horrorem, simul ac memoriam posteris commendandam, lapidibus obstruxerunt. Quam aliquanto post Ogerius, Gulielmi Comitis Præpositus renouare & propter quædam vel priuato vel publico vsui necessaria aperire cupiens, iussit lapides ab ostio seu porta amoueri. Erat autem & ipse acer Ecclesiarū persecutor. Dum igitur operi iam dicto instaret, ecce inuisibiliter à diabolo raptus, ac videntibus qui aderant longo in aëra tractu subleuatus, confestim dimissus, corruit, corpore grauiter collisо, brachium subita ruina confregit. quod videntes socij, rursus foramen ostij quod aperire cæperant, lapidibus obturarunt, & ad perennem vtriusq; prodigij memoriam, clausura perpetua damnarunt. Alia innumerabilia harum rerum exempla in medium proferre liceret, quæ in Catholicorum monumentis passim reperiuntur qui de venificis veneficorumque maleficijs ex professo tractant. Non affirmo dæmones semper corporaliter homines transferre. Varijs enim, vt miseros decipiant, vtuntur dolis. Nonnunquam secundum quietem, diuersorum ingerunt phantasmata somniorum; ita vt alibi, etiam in lecto quiescentes, fuisse videantur. Ita olim ante annos circiter mille ter centos quibusdam imposuit mulieribus, putātibus se cum Diana ac Herodiade choreas agitasse: de quibus Cōcilium Ancyranum, in Galatia; prohibens, ne quis credat Dianam vnà cum Herodiade saltatricula, quarum vtraque dubio procul iam apud inferos perpetuis detinetur cruciatibus, inde ad nos remeare, vt cum sagis magisque choreas instituant. Hæc omnia obiectu phantasmatum contingebant, non minus quam illud quod de Veneris monte olim multi somniarunt. Verum quod nullo vnquam tempore corporalis hæc translatio fiat, quotidianæ repugnat experientiæ;

Stupēda.

Vide Delrij disquisit. & Spręgeri malleum.

Diabolus non semper verè transfert.

Conc. Ancyr. can 24

qua

Magi ſtatis temporibus coeunt.

qua conſtat certiſſimè quod ſtatis quibuſdam temporibus, ad præfinita transferantur loca, vt ſimul epulentur, potitent, ſaltitent, dæmonem adorent, Venereis fruantur amplexibus: conſilium ineuntes, quibus medijs hominibus queant incommodare, fruges terræ corrumpendo, animalium ſtragem edendo, pueros innocentes intoxicando, caſeum butyrumque furtim ſubtrahendo, &c. Neque ſolum officiunt hominibus, ſed & Deo ſacrilegam inferunt blaſphemiam, rem nefariam ſacris in locis, immo in ipſis altaribus ſuis cum incubis ac ſuccubis perpetrantes, ac ſanctiſſimum Chriſti corpus ſuſcipientes, quod minutatim confringunt, pedibus (prô ſcelus) conculcant, alijſque indignis ac nullatenus referendis iniurijs contaminant: ſunt enim conuenientiſſima Diaboli organa: ad Dei blaſphemiam hominumque iniuriam ſtudio ſelecta. Atque ideo nullatenus mirum, quod diabolus Catholicos nonnullos Iudices de harum rerum veritate dubios efficiat, vt ita liberius ſuis incumbat artibus.

Diabolus cur ſupra pinnaculũ tulerit Chriſtũ.

Conſidera *tertiò*, Chriſtum non fuiſſe à dæmone in ipſum templum translatum, ſed ſupra pinnaculi faſtigium: non enim cupit quemquam ſacras ingredi ædes, niſi ad malum. Vult vt tam ſæculares quam Eccleſiaſtici, elati ſint animo atque eccleſiæ ſanctæ obſtreperi, imperare quàm obtemperare malint, prout liquet non in hæreticis ſolum, ſed & Catholicorum pleriſq; , qui Eccleſiæ præceptis, parum aliquando tribuunt. Superbi inſuper diuinę maieſtati exiguam deferunt reuerentiam, qui ſi Deum nonnunquam timent aut reuerentur, id proprij comodi honoriſque cauſa faciunt; inſtar Saulis, qui ad orationem ſeſe conferens, Samueli aiebat: *Honora me coram ſenioribus populi.* Gradibus quidem in templum aſcenditur, verum in editiorem templi partem, ſine ſcalarum aſcenſu homo aſſumitur, cum altiorem dignitatem ſine merito appetit. *Suſtulit* autem illum *Diabolus* duxitque, ne forte prolaberetur, ſicuti tegulam in altum cõijcimus, vt grauiori lapſu fruſtatim confringatur. Vnde nemo rigidiorem ſuſtinebit ſupremi Iudicis ſententiam, quam ambitioſi, qui non legitime ad dignitatis gradum prouehuntur. Maximi-

1. Reg. 15. 30.

Qui ſine gradibus aſcendãt.

lianus,

lianus, primus huius nominis Romanorum Imperator, iuxta Cirellum pagum Auguſtana via, trium fere horarum itinere ab Oeniponte, rupicaprarum venationi intentus, cum harum vnã in ſcabroſam montis partem altius conſcendentem ſummo arboris ſtudio pedes inſequeretur, nunquã deorſum reſpectans, ſi fortè ex locis inuijs ac præruptis tutus pateret regreſſus; tandem in tam abditam deuenit ſpeluncam, vt nec referre pedem, nec vlterius progredi poſſet, niſi in præcipitium. Nec enim funes aliaue inſtrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipſum alicunde protendi poterant. In quo vitæ diſcrimine conſtitutus cum eſſet, deſperantibus omnibus, vnus tandem conſilium reperit, vt iaculo glomus fili ad ipſum conijceretur, quo funes aliaque inſtrumenta ad ſe pertraheret, quibus ſeſe ſenſim ex voragine demitteret. Ita omnino ambitioſis contingit, qui ſemper ad altiora intenti de deſcenſu, ac mortis hora, in qua relinquenda ſunt omnia, non cogitant: Atque ideo ſæpe numero ex editiori dignitatis loco ad inferni barathrum præcipites ruunt, iuxta illud Dauidis: *deieciſti eos, dum alleuarentur.* Et alibi, *Eleuans, allifiſti me.* Diuus Bernardus notat, Eccleſiaſticos ſuperiores ex pinnaculo templi deorſum ruere, ſi vtilitatem propriam magis quam gloriam Dei ſectentur. Imperfectus, ait, ſuperbos pinnaculum templi occupare, qui in ſuo perſeuerantes faſtu, ſæpe in præceps dantur, cum à Deo humiliantur, vt Chriſtus teſtatur: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.*

Max. Imper. periculum. *Refert Stephan. Pighius in Hercule Prodici. edit. Plãt. p. 244.*

Pſal. 72. 18

Pſal. 101. 11.

Bern ſer. 14. in Pſal. 90.

Qui ex pinnaculo cadunt.

Nota *Quarto*, & ſi omnia loca à Deo condita, eiuſdem ſint ſanctitatis, poſſe tamen dici hunc vel illum alijs ſanctiorem. *Primo*, propter diuinam, quæ eum ſanctificat, præſentiam. Hinc ex ardenti rubo Moyſen hiſce verbis compellat Dominus: *ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.*

Imperfect. hom. 5. Luc. 14. 11.

Loca quomodo ſancta.

1. *Exod. 3. 5.*

Deinde per beatorum ſpirituum præſentiam: quemadmodum & Ioſue ab Angelo præcipiebatur, vt ob loci ſanctitatem calceamenta deponeret. *Tertio*, ob loci conſecrationem: ſic & Salomonis templum, & tabernaculum ſanctificatum erat, in quo victimæ comedebantur. Similiter &

2. *Ioſ. 5. 15.*

3. *Leu. 6. & 7*

Loca ſancta noui Teſtamenti.

in noua lege, loca reperiuntur ſancta, veluti tota Palæſthina, Seruatoris noſtri preſſa veſtigijs, & loca illa quæ vel miraculorum gloria, vel alijs rebus illuſtrauit. E quibus cum primis ſunt Nazareth, in quo conceptus; Bethlehem in quo natus; Thabor mons, in quo transfiguratus fuit: quem & ideo Diuus Petrus *montem ſanctum* nominat. Præ cæteris vero ſanctitatis nomine maximè pollet Hieroſolyma, & Caluariæ mons, vbi pretioſi ſanguinis effuſione, cruci affigi voluit, mortemq; obire.

1.

1. Pet. 1. 18.

2. *Secundo*, Vrbes illæ quas inuictiſſimi Chriſti martyres, ſuo vbertim cruore irrigarunt: veluti ROMA, innumerabilium martyrum interemptrix, quæ Ethnicorum ſedes Imperatorum, horrendam Chriſtianorum ſtragem edidit. Similiter & *Treuirorum* vrbs, vti Thomas Cantipratenſis teſtatur, ſancta olim appellabatur Treuiris, quod ter martyrum ſanguine cruentata, ac prope exhauſta ſit, paucis ſolum demptis; qui fuga ſibi conſulentes, in abditis montium cauernis deliteſcebant: quorum prima perſecutio ſub Diocletiano pridiè nonarum Octobris deſæuijt, cuius anniuerſarius dies etiamnum ibidem ſub titulo innumerabilium martyrum recolitur. quin & Vbiorum *Colonia* ſanctitatis nomine condecoratur, tum ob Thebæorum Maurorumque & Gereonis, Gregorij, ducum ſcilicet exercitus ibidem effuſum ſanguinem, tum quod Diua Vrſula cum vndenis virginum millibus, quæ iſtic in Rheni ripa à barbaris trucidatæ ſunt, vna cum innumeris alijs, qui cũ Etherio ſponſo ex Britannia, Siciliaque, cuius Regina, B. Vrſulæ cognata, præſens quoq; fuit, vſq; ad triginta, (ſic namq; Colonienſium habet traditio:) millia, quæ huic ſeſe ſanctiſſimæ Societati diuerſis in locis coniunxerant.

2.

Cantipr. l. 2. de apib. c. 53.

3. *Tertio*, templa & loca, in quibus Sanctorum ſeruantur reliquiæ: quarum patrocinio ciuium conſeruatur proſperitas, quarum contactu, Chryſoſtomo teſte, ſanctimonia acquiritur, quarum auxilio precumque ſubſidio, mortuorum illic ſepulta, vt ait Auguſtinus, corpora conſolationem percipiunt.

3.

Chryſ. ho. 15. in Gen. Aug. li. de cura pro mort. c 4.

4. *Quarto*, Eccleſiæ, & loca ſolemni benedictione ab Epiſcopis

4.

pis consecrata. Si enim Iudaicum templum per Salomonis preces Iudaicasque initiationes Deus benedixit, multo magis id ab Episcopis consecratæ Ecclesiæ consequentur. Beatus Papa Siluester recte admodum dedicandarum Ecclesiarum ritum instituit, vsurpatum tamen etiam Apostolorum tempore; quando cum SS. reliquijs ac salutiferæ crucis signo, vnde & Tituli obtinuere nomen, initiabantur, dedicabanturque. Quorum Titulorum curam Presbyteris Euaristus Pontifex committebat. Sophronius docet cuique altari, postquam ab Episcopo consecratum est, proprium à Deo assignari Angelum, qui illi intendat, ac Christianorum preces promoueat.

Dedicatio Ecclesiæ.

Author vitæ Pont. in Euaristo.

Sophr. c. 4. & 10. præti.

Quinto, constat nonnullas Ecclesias citra Episcoporum operam, ab Angelis sacratas: veluti de Gargano monte, vbi Archangelorum Primicerius Sanctus Michael se conspiciendum exhibuit: & de loco, qui Beati Clementis Papæ iuxta ac martyris corpus in mare submersum excepit. 5.

Apud Sur. 29. Sept.

Apud eund. 23. Nou.

Sexto, possunt & regiones & ciuitates illæ, pro locis sanctis coli & haberi, quarum incolæ sanctam inculpatamque ducunt vitam: sic namque Israelitarum castra exercitusque *sanctus* in scripturis nonnunquam nominatur. *a* Euagrius, & post illum *b* Theodoretus scribunt quandam Ægypti fuisse Vrbem Oxirinchum nomine, quæ hac ratione merito vocari poterat sancta. Quippe, in qua plura visebantur monachorum, quam ciuium domicilia, forinsecus religiosorũ habitaculis cincta, continens duodecim Parochiales Ecclesias. Portæ ac mœnia ciuitatis monachis erant infesta, vt vix angulus reperiretur vllus qui non monachorum, nocte dieque Deum laudantiũ, frequentia stipatus esset, sic vt tota ciuitas instar vnius Ecclesiæ reputari posset, in qua nec gentiliũ nec hæreticorum quisquam conspiciebatur. Iussu magistratus ad portas singulas constituti erant, qui peregre aduentantes benigne exciperẽt, eosq; ad hospitia, in quibus quisq; pro dignitatis suę ratione gratis humanissimè tractabatur, deducerẽt. 6.

Deut. 21. 7 & 14.

a *Euag. li. 1. vitæ PP.*

b *Theo. 4. hist. ca. 15.*

Oxirinchus vrbs.

Si noſtris in regionibus talis reperiretur vrbs, meritò poſſet ſanctitatis nomine gloriari.

Non omnes ſancti quiloca ſancta habitant.

Nota *Quinto*, non omnes ſanctos, qui ſancta habitant loca: ſicuti enim dæmon nonnunquam talia inuadit loca, vt bonis moleſtiam pariat, eoſque à recta pietatis ſemita abſtrahat; ita ſæpè malos illuc mittit qui monaſteriorum quietem interturbent. Ita conſtat de BASILIO Pſeudomonacho, qui teſtante Gregorio: ad S. Æquitij cœnobium ſeſe contulerat, vt religioſis iſtic commorantibus incommodaret, vtpote magus ſacrilegus, ac incantator peſſimus. Noli putare omnia ſalua cum in monaſterio, aut alio Deo dicato loco commoraris: cum iſtinc plures apoſtatæ ac hæretici prodierint, quorum deploranda peruerſitas ingens Eccleſiæ Catholicæ nocumentum intulit: atque etiamnum infert.

Greg. 1. dial. c. 4.

VIII. *Et dixit ei: ſi filius Dei es, mitte te deorſum.* Perſuadebat ſibi diabolus, quod ſeruatorem noſtrum inuitum ſuper templi pinnaculum tranſtuliſſet, vnde præſumens ait, vt ſi Dei eſſet filius, ſine ſcalarum adminiculo deſcenderet, declarans ſe dæmone maiorem. Hanc autem tentationem priori ſubiunxit, quod videret CHRISTVM omne præſidium, in ſpem diuini auxilij collocaſſe, confidentem ſe à Deo Patre non derelictum iri, etiamſi alimonia deſtitutus eſſet.

Occaſio 2 tentationis.

Vnde arrepta occaſione, ad hanc deſcendit tentationem quaſi Chriſtum in iſta ſpe roburaturus diceret: Probè admodum facis, diuino confidens auxilio, atqui re ipſa declares te firma niti ſpe. Vnde deorſum præcipitare ſi filius Dei es; ſciens DEVM tibi in tuo lapſu, prout ſe facturum in Scripturis promiſit, certiſſime adfuturum.

Diabolus etiam ex virtutibus homines tentat.

Nota *Primo*, diaboli conditionem, qui non ſolùm naturales hominum inclinationes rimatur, vt in prima tentatione eum feciſſe diximus, verum etiam ex virtutibus, quibus homo incumbit, occaſionem arripit eum impugnandi, vt à virtute in peccatum prolabatur. Virtus inter duo conſiſtit media, vt nec minus, nec nimis agamus: liberalitas

Virtus in medio.

ralitas inter auaritiam, & prodigalitatem. Si itaque animaduertit te ab auaritia ad liberalitatem propendere, pertrahere ſtudet, in prodigalitatem, hoc eſt ab vno extremo ad aliud. Videbat Iudam dolere ob admiſſum proditionis ſcelus, vnde ea re abuſus ad deſperationis laqueum eum adegit. *Matt. 27. 5*

Origenes mirus caſtitatis adamator, dæmone inſtigante, ſeipſum caſtrauit, quod & alij nonnulli Baſilio teſtante, fecêre. Ante perpetratum peccatum, nimiam veniæ conſequendæ ſpem ingerit; opere iam peracto, deſperationis nectit laqueos. *Euſeb. 6. hiſt. c. 7. Baſil. li. de virg.*

Conſiderans ergo, CHRISTVM omnem in Deum ſpem coniecisſe, voluit hanc ſpem in præſumptionem conuertere: hancque deceptionis muſcipulam virtutibus ſtruit, vt ſine diſcretione: (quæ virtutum eſt norma:) opereris. In confitendo plus æquo ſcrupuloſum te efficit, in pœnitentia rigidum, in proſperis effuſum, in admonitionibus difficilem &c. Qui diſcretione caret, neque dæmonis verſutias diſcernit, huic prudentis viri conſilio eſt opus. Diua Brigitta eximiæ ſanctitatis vidua, quæ Anno Domini, milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio diem clauſit extremum, pro quodam Roberto Bernardinæ familiæ monacho Deum orabat, qui indiſcretioris ieiunij zelo amens erat effectus, cui ſeruator in viſu apparens, hac reſpondit ſimilitudine. Homo quidam conductus fuit, vt vineam coleret: cumque multorum haberet dierum negotium, ductus pecuniæ cupiditate, vt totam mercedem vnius diei curriculo lucraretur, vſque adeo ſe confecit labore, vt in grauem incideret ægritudinem. Tum vero magna ex parte vinea manſit inculta, cum ille laborem ferre non poſſet; opere ceſſante, merces ei perſoluta non eſt. Ita accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: qui à dæmone circumuentus, nimiæ pœnitentiæ indiſcretus incubuit. Diſcretionis laus. *Apud Sur. 23. Iulii. cap. 28.*

Secundo, tentantis ſtupiditatem, volentis Chriſto perſuadere, vt ſeſe præcipitem det, quod humana refugit natura: vt vel hinc edoceare, quam grauem dæmoni infligas ictum, Diaboli ſtupiditas.

Diabolo ſtatim reſiſtendũ.

cum diuinæ gratiæ, & ſcripturæ munitus præſidio, in principio ei reſiſtis. Canis grauiter frontem percuſſus hinc inde in incertum curſitat. Ita diabolus in prima tentatione, aliqua ſaltem videtur vti ratione: hic vero delirat rem adeo abſurdam Chriſto proponens; in vltima autem tentatione omnino deſipit, volens pro Deo adorari. Itaque principijs obſta; ſic fiet, vt in tentationis progreſſu, eius ſtupiditatem accuratius animaduertas, vbi vires illius confractas reperies, tuas validiores.

Diabolus inuitos nõ cogit.

Tertio, diabolum neminem inuitum præcipitare, ſed conſilium ſuggerere, manet vnùſquiſque in manibus conſilij ſui, ac liberi arbitrij ne de potentia eius conqueraris, aut de ignorantia tua. Cum præcipitium ſuadet inſinuat, quæ ſint peccati pericula; nempe quod te ipſum à iuſtitia ad malum præcipites. *Diabolus*, inquit Hieron. *conſulere ac ſuadere poteſt, ſed præcipitare non poteſt.*

Hieron. Matth. 4.

Præcipitiũ quibus propriũ.

Quarto, Proprium dæmonis eſſe vt ſe ipſum deijciat: at verò filiorum Dei, non proſterni ad ipſius voluntatem. Declinant quidem ſe in terram ex humilitate, non deorſum ſed ſurſum, ne lædantur, cum ſemper humiles humi permaneant. Diabolus ſemel ex cœlo præcipitatus, plures ſui ſocios quærit: Chriſtus in cœlum aſcendens, iubet nos eo ſequi, monente id ipſum Paulo; *quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram.* Filiorum Dei eſt, virtutibus aſcendere, &, vt ait Chryſoſtomus, alios à lapſu prohibere, & qui iam ceciderunt, erigere.

Aſcendũt filij Dei.

Galat. 3. 2.

Chryſ. ho. 13. in Mat

Nemo peccat impunè.

Exod. 7. 1.

Pſal. 81. 6.

Nota hodie homines, quò in altiori ſunt dignitatis gradu, ſiue ſeculares ſint, ſiue Eccleſiaſtici, ac Chriſti vices ſupplentes, (vnde & *Dij* nuncupantur,) nempe Principes, Iudices, nobiles, diuites ac potentes, &c. eò magis perſuadere ſibi quod innocuè labi, hoc eſt impunè peccare queant. Quod enim culpatur in ſubditis, ſuperioribus indulgetur, pueri ob mendacium flagellantur, magnates verò mentiuntur, ac iurant aduerſus veritatem.

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Si pau-

Si pauper quis, debitum non ſoluit, in ius citatur, apprehenditur: ſed ſi magnus aliquis grauiter obæratus, nihil ſoluat, ſilentio res tranſigitur. Homicida minuitur capite, verum qui iniuſtum fouet bellum, innumerabilium hominum è medio tollit multitudinem, honore afficitur &c. mundus eos pro filijs Dei ac valdè ſublimibus habet, qui carnis ſectantur prudentiam, hoc eſt qui profundiſſimè corruunt. Sed reuera, non poſſunt inter filios reputari Dei, quanquam in dignitate conſtituti, per officium quod exercent, eius poſſint eſſe ac dici vicarij, eiuſque repreſentare perſonam, veluti lignea aut lapidea ſtatua, hominem repreſentat.

Secundæ tentationis fraus.

Quinto, latitare in hac tentatione etiam vanam gloriam, cum diabolus Chriſto perſuadere conatur, vt ſe deorſum præcipitet, quatenus vt ab hominibus cõſpiceretur, honorareturque, Angelorum ſuſtentatus manibus. Hæc illius eſt intentio, cum quempiam in ſublime attollit, vt ſcilicet ad ſuperbiæ faſtum prouehat. Factus es Prælatus opulentus, Præſes, Conſiliarius, Chiliarchus, Capitaneus, aut ſimile quid, mox omnia immutantur; ſuppellex fit argentea, cõclauia tapetibus ornantur, familia augetur, rheda, aut equis generoſis per vrbem veheris, & ſic cum nouo dignitatis titulo, elatiorem aſſumis animum.

Verum recordare ſuperbum *a* Aman in crucem ex improuiſo actum, & *b* Antiochum cum arrogantiſſimo *c* Herode à vermibus conſumptum, Deus *d deponit potentes de ſede & exaltat humiles*, vt in cantico humillima Dei genitrix cecinit. Qui in edito conſiſtit, vertigine cerebri agitatur, periculoſiuſque labitur: ſuperbia prudentiam tollit, & præſumptionem parit.

a *Eſth.7.9*
b *Mac.9.9*
c *Act.12.23.*
d *Luc.1.52*

Præſumptiones quæ?

Sexto, quod ad hanc ſecundam diaboli tentationem referri in primis queant omnia præſumptionis genera: nempe cum ſine neceſſitate in aliquod corporis animæue periculum te ipſum præcipitas. 1.

Secundo, cum ideo delinquis, quia cogitas, te poſtea confeſſurum. *Tertio*, cum aliquid tẽtas vnde nulla vtilitas, ſed potius nocumentum temporiſq; iactura. Nam vt rectè Imperfectus 2. 3. *Imp. ho.5.*

non decet filios Dei, ſine vllo animi profectu quicquam conari. *Quarto*, huc referri debent omnia peccata, quæ virtutem prætexunt, vt à bono quod concepimus propoſito abſtrahamur, de quo pulchrè admodum mellifluus Bernardus. *Quinto*, tentationes hæreſis, quæ fraudes ſuas fictæ humilitatis pallio, aut diuini verbi, honoriſque prætextu nequiter tegunt. Quemadmodum noſtræ tempeſtatis hæretici docent nos peccatis plenos, ſine interiori gratia & iuſtitia, bona opera regnũ cœlorum non mereri, liberum arbitrium titulum eſſe ſine re, SS. auxilium non implorandum, ne Chriſto ſuum eripiamus honorem, ſacris imaginibus nullum exhibendum cultum, ne idololatræ efficiamur. *Sexto*, omnes ignorantiæ tentationes: volebat enim diabolus Chriſtum circumuenire, putans illum ſcripturarum genuinum ſenſum non intelligere, & quod hac de cauſa ignoranter ſe deorſum præcipitaret. Antiochus Sinaita, qui anno Domini ſexcenteſimo decimo quinto ſanctitatis opinione floruit, miſerabilem cuiuſdam monachi deſcribit caſum: qui annis aliquot in magna vitæ degens ſanctimonia, multas à dæmone ſibi obiectas habuit in ſolitudine apparitiones: reuelabat enim illi multa quæ alibi paſſim contingebant arcana, quorum veritati res ipſa fidem poſtmodum fecit. Qui cum omnia hæc diuino ſibi euenire nutu opinaretur, obiecit illi diabolus aliam tandem viſionem, qua putabat ſe ab vno latere conſpicere Apoſtolos, Martyres, alioſque deformes ac in tenebris degentes Chriſtianos, quaſi à Deo reprobatos; ab altero vero Moyſen vna cum Prophetis, & ingentem Iudaici populi gregem, omnes, vt Dei filios, reſpondentes. Quod vbi miſer hic conſpexiſſet, relicta in ſolitudine caſula, ac Chriſtianæ fidei veritate abiurata, circumcidi ſe paſſus, matrimonium iniit, Chriſtianos perſequens, ipſumque adeo Chriſtum blaſphemijs laceſſens. Neque impunè tamen, tandem enim diuina perurgente vindicta, cum ex catarrhi lapſu grauem incidiſſet ægritudinem, viuus à vermibus eſt conſumptus. Itaque noli, prout ſapienter monet Salomon, tuæ inniti prudentiæ, diabolus impoſtor verſutiſſimus eſt, & facilè ſuo aſtu te circumuenit, niſi cum demiſſione animi, aliorum conſilia luben-

4. *Bern. hom. 64. in Cant.*

5.

6.

Anti hom. 84 de inſomniis.

Prou 3. 5.

lubenter ſuſcipias, ac ſequare. Potes quoq; huc referre, omnes ſuperbiæ tentationes, quæ vna eſt ex his quibus, vt B. Ioannes conqueritur, *plenus eſt mundus.* 1. *Ioa.* 2. 16.

IX. Diabolus tentationem ſuam formar.

Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Non latebat diabolum, quod in ſua petitione duo abſurda & abominabilia mala proponeret, nimirum lapſum, qui mortis eſſet occaſio, quam homo naturaliter horret; & peccatum, quod committitur, ſi quis ſe ipſum interimat. Ideo vt Chriſto omnem auferret metum, perſuadet ei ſacrarum litterarum teſtimonio, quod præcipitio non ſolum non moreretur, ſed ne læderetur quidem: cum mox Angeli eſſent adfuturi, qui cadentem ſtatim exciperent, protegerentque. Immò & ſeipſum pro bono Angelo obtrudit, cuius hic ſcriptura meminit, qui CHRISTVM labi incipientem, ſuis manibus eſſet citra nocumentum vllum excepturus. Atque vt ſe CHRISTO nullatenus redderet ſuſpectum, ſcripturas profert.

Diabolum pœnę metus auocat à peccato.

Sed conſidera *in primis*, diabolum ex ſe Chriſtum æſtimaſſe, qui à peccato non ceſſet, niſi pœnæ metu deterritus, ad inſtar canis rapina abſtinentis, cum herum fuſte armatum haud procul abeſſe conſpicit. Idem pleriſque contingit hominibus, qui in peccatum conſentirent, ſi non infamiam pœnamue pertimeſcerent. Furarentur ſi patibula non eſſent, ſcortarentur niſi turgentem fœtu vterum metuerent: immo omnia admitterent, ſi nullus exſtaret infernus. Sed qui ſolo metu peccare deſinunt, imperfecti ſunt: ablato namque timore, mox in peccatum prolabuntur. Vnde dæmon quantum poteſt allaborat, vt metum tibi adimat: ſicuti cum Eua egit, quæ cum dixiſſet: *de fructu ligni quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, ne fortè moriamur*; mox diabolus ei reſpondit: *nequaquam moriemini.* Simili modo nobiſcum agit, mortem metuentibus. Inſpirat iuuenes nos eſſe, beneque ſanos, diu victuros, nec opus eſſe pœnitentia, niſi in ſenio vel ægritudine. Mortis meditationem vtpote melancoliam eripit. Chriſtus contra,

Diabolus nobis metum pœnæ eximit *Gen* 3. 3.

immò & ſcriptura nobis conantur incutere metum, ceu flagellum quo à malo ad bonum impellimur, aut funem quo in virtutum progreſſu ſtringimur.

Eccl. 1. 16. *Prou.* 14. 24. Timoris fructus. *Timor* in ſacro eloquio *initium ſapientiæ* nominatur, item *corona ſapientum, fons vitæ, gloria & gloriatio* &c. vt hac ratione nunquam ſine timore Dei eſſemus. Timor autem pœnæ, initium eſt ſapientiæ, quia abducit nos à malo, prout Ioannes ſuis inculcabat dicens. *Matt.* 3. 7. *Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Timor Domini quo pœnam times imperfectos in virtute detinet, prout Chriſtus ad ſuos aiebat: *Luc.* 12. 5. Timor filialis. *eum timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Verum timor Domini, qui corona eſt ſapientiæ ac fons vitæ, potius Dei ſeparationem metuit, quam pœnam. Horret enim Dei carere præſentia, eumque vel in minimo offendere. Atque hic eſt timor perfectiſſimus ex vera ac perfecta profluens charitate. Hic charitatis timor facit, vt à peccatis abſtineamus, ob magnam ingratitudinem, quam peccator Deo exhibet, à quo omnia percepit bona. Cum impudica Putipharis vxor, caſtum Ioſeph ad illegitimum thori conſortium importunè ſtimularet, ille hiſce reſpondit verbis: *Gen.* 39. 9. *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Similiter cum presbyteri Suſannam de nefario opere ſollicitarent, dicentes ſe ſolos eſſe, atque à nemine conſpici, alioquin ſe ipſi necem machinaturos, reſpondit: *Dan.* 13. 23 *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* Atq; in hunc modum per omnipotentis Dei, quem offendere nullatenus oportet amorem, ſemper diabolum profligare debemus.

Nota *ſecundò*, diaboli in agendo verſutiam, qui cum ſciat intentionem ſuam valde abominabilem, palliare eam pulchro aliquo operimento ſtudet, quemadmodum poſteriora vulpis, cauda teguntur.

Diabolus conſilia ſua palliat. Hæretici imitantur. Hunc diabolicum agendi modum hæretici ab illo didicerunt, cum carnalem ſuam vitam, Presbyterorum ac fugitiuorum monachorum ſacrilega coniugia, Eccleſiaſticorum

rum præceptorum tranſgreſſionem, rebellionem aduerſus legitimos principes ac Dominos, omneſque carnis libertates ac hæreſes aliqua diuini verbi particula defendunt: ne coram hominibus male videantur agere, aut aduerſis cõſcientiam viuere, dum ſcripturam ſibi patrocinantem habent, quaſi nihil ſacris literis contrarium agant. Qui tamen ſcire debent, ſcripturam extrinſecus ſimilem eſſe alijs ſcripturis, nempe ſine vita aut ſenſu prorſus vt à quolibet hæretico pro cuiuſque arbitratu modo in hanc, modo in illam partem detorqueatur. Ariani ex ea eliciebant, Chriſtum non eſſe Deum: Macedoniani, Spiritum ſanctum minorem eſſe Patre & filio: Neſtoriani Virginem Mariam Dei non eſſe genitricem. Noſtri verò Memnoniſtæ ſeu Anabaptiſtæ, Chriſtum nunquam fuiſſe hominem: Caluiniſtæ cum magiſtris ſuis Lutheranis, ſanctos nullatenus inuocandos, imagines non colendas, pro defunctis non orandum, ſacrum non audiendum aut faciendum; peccata non confitenda, Quadrageſimale ieiunium non obſeruandum, &c. Quemadmodum & dæmon ipſe ex ſcripturis eruebat, vt Chriſtus ſe præcipitaret. Itaque noli commoueri, etiamſi hęretici nihil aliud crepant, quam verbum Dei: cùm in ſolo textu aut litera illud nõ conſiſtat, ſed in genuino eius ſenſu, quem diabolus cum hæreticis ſubticet.

Scriptura torqueri poteſt.

Scriptura in quo?

Conſidera *tertio*, quam deprauatè ſcripturã hanc diabolus citauerit. *Primo*, n. in falſum eã detorquet ſenſum. Nullaten. namque de Chriſto loquitur, quippe qui Angelorum delatione opus non habuit, *portans* nimirum *omnia*, vti Apoſtolus ait, & propria virtute ad cœlos conſcendens, ſed de alijs Deum timentibus, atq; in eius gratia exiſtentibus loquitur, vti ex Pſalmo apertè liquet. licet diabolus Chriſto perſuadere conatus ſit de ſe intelligendam.

Diabolus ſcripturã deprauat. *Hebr.* 1. 3. *Act.* 1. 9.

Secundo, omittit nonnulla, & imperfectè citat, quæ ita ad verbum ſcribit. *Angelus ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* *Pſal.* 90. 11.

Itaque

Itaque tacet poſtrema illa de aſpide, baſiliſco, leone & dracone, hoc eſt ſerpente, qui ob venenatam malitiam regulus vocatur princeps inter omnia ſerpentum genera. Videbat namque verba hæc contraria ſibi, indicant enim diuinum auxilium iuſtis adfuturum, aduerſus quaſuis dæmonum machinationes. Quin & quædam intermedia ſubticet; nempe *vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Ex quibus verus ſcripturę huius ſenſus potuiſſet colligi. Deus enim Angelis mandauit, non in omnibus rebus, neque in omnibus vijs, ſed in omnibus vijs noſtris: hoc eſt nõn in peccatis aut vijs Deo contrarijs, quas dæmon inſpirat, ſed quas tanquam Deum timentes ad diuinæ voluntatis arbitrium præſcriptumque ambulamus. Itaque ſe ipſum dare præcipitem, nulla vrgente neceſſitate, diabolica eſt via, quinto decalogi præcepto contraria, in quo præcipitur. *Non occides.* Hoc qui facit, ſui ipſius eſt interemptor.

Tertio, nullam in ſua citatione Dei (quod vtique faciendum erat:) mentionem habet. Quanquam verbum hoc *Deus*, in huius Pſalmi verſiculo non habeatur, ſed in præcedentibus: Vnde hic repetendum erat, vt inde ſciretur, à quibus id Angelis eſſet præceptum, nempe à Deo. Verum diabolus, qui Deũ ſummè odit, nec nominare eum poteſt, nec ab alijs audire. Refert Sophronius, Hieroſolymorum Patriarcha, in monaſterio Raythu, Senem quendam fuiſſe anachoretã, quem diabolus in ſpecie cuiuſdam heremitæ viſitatum veniebat, quaſi conſultaturus: quem cum ſenex hortaretur, vt ante colloquium precibus, more ſolito inſiſteret, hæc ſecum demurmurabat, *nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* Monitus verò, vt etiam illa quæ præcederent, recitaret: nempè *Gloria Patri, & filio, & Spiritui Sancto*, ſtatim diſparuit, diuinæ gloriæ nomen non ſuſtinens. Paulus Grillandus iuriſperitus commemorat haud procul ab vrbe Roma in Epiſcopatu Sabinenſi, circa annum Domini milleſimum quingenteſimum vigeſimum accidiſſe, vt quidam animaduerteret vxorem ſuam ſæpenumero nocturnis temporibus alio clanculum diuertere. Quam dum ſtudioſius obſeruaret, cogno-

Diabolus non fert nomen Dei.

Sophron. in prat. c. 199.

Grilland. lib. 2. de ſortil. q. 7.

cognouit certis dilibutam vnguentis, hirco conſcenſo auolare.-Redeuntem verò minis verberibuſque aggreſſus, compulit vt diceret, quonam ſe contuliſſet: illa autem quod res erat, faſſa; dixit ſe à dæmone in ſpecie hirci ad magorum cõuenticula vectam, vbi genio inſigniter indulgebatur. Rogat ille, vt harum quoque deliciarum reddatur particeps. Nec vxor abnuit, ſed dæmonis permiſſu id fieri oportere ait: quo obtento, duo mox adfuere hirci, quorum vnum maritus, alterum vxor conſcendens per aëra ad reliquorum ſunt ſublati conſortium. Inter quos cum accubuiſſent, epulis indulgebant. Verum ſalis vſu deficiente, inſipidus cibus omnis erat. Hic ille vehementer ſal expoſcere, ſed fruſtra. Continuo tamen clamore, tandem voti fit compos, iamque ſale allato, in hanc erupit vocem: *Benedictus Deus*, quod vel paululum ſaltem ſalis conſecuti ſimus: ad quam diuinæ benedictionis vocem, confeſtim diſparuere omnia, dæmones, homines, menſæ, & quidquid in ijs erat. Reſidebat ſolus homo hic, qui ſequenti aurora in opiliones incidens, intellexit ſe haud procul Neapoli abeſſe, circa Benauentum, centum propemodum milieribus à domo ſua. Vnde apparet, diabolum nulla re melius propulſari, quam Deum laudando ac benedicendo. Conſidera *Quarto*, fœlicitatem dignitatemque hominum Deum timentium, quorum cura ac ſalus Angelis à Deo eſt commiſſa. Vnde Hieronymus: *Magna* inquit, *dignitas animarum, vt vnaquæque habeat, ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Et Bernardus: *Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis: quis enim, quibus, de quo,* & quid mandauit Deus? *Nempe Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, illis vtique ſublimibus, tam beatis tam proximè ſibi cohærentibus, & verè domeſticis Dei, Mandauit de te. Tu quis es? Domine, quid eſt homo quod memor es eius aut, filius hominis, quoniam reputas eum? quaſi verò non ſit homo putredo, & filius hominis vermis. Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, adferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula,*

Piorum dignitas.

Hier. l. 3, in c. 18. Matt.

Bern. ſ. 12. in Pſal. 90.

vt

vt videlicet cui adſunt Angeli (ſicuti eis mandatum eſt) in omnibus vijs tuis. In quouis diuerſorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes. Simus ergo deuoti, ſimus grati tantis cuſtodibus, redamemus eos, honoremus eos quantum poſſumus, quantum debemus. Quotiens ergo grauiſſima tentatio cernitur, inuoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in oportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum & dic: Domine ſalua nos perimus.

Bern. ſer. 13. in Pſal. 90. initio. Luc. 16. 22. 4. Reg. 2. 11. Dion. c. 15. cæl. hierar.

Hucuſque Bernardus; qui & in ſequenti ſermone ſubiungit, Angelicos Spiritus non ſolum in hac mortali vita nos tutari; verum etiam, poſt modum ad locum nobis à Deo adſignatum deducere: vti conſtat de Lazaro & Helia, quorum ille ab Angelis in ſinum Abrahæ delatus fuit, hic vero igneo raptus curru, hoc eſt, vt Areopagita Dionyſius exponit, Angelorum ſublatus manibus.

Hominis dignitas.

Hic *inprimis* diſces, te ipſum haudquaquam vilipendere, qui à Deo tanti es æſtimatus vt tales ac tantos tibi Principes in Magiſtros, ductores, ac tutores aſſignarit.

Angeli obſeruandi.

Pſal. 94 9.

Secundo, boni Angeli inſtinctum accuratiſſimè obſeruare, eique promptiſſime morem gerere: cuius inſpirationes ſunt quietis, ac interioris pacis conciliatrices, loquentes ait Dauid, *pacem in plebem ſuam.*

Hominis periculum

Dæmones an ſingulis hominibus adſint ſingu-li.

Orig. hom. 35. in Luc. Imperf. ho. 5. Caſſia. coll. 8. & 17. ex lib. Paſt. San. 6. 3. & 9.

Tertio, in quam periculoſa regione agamus vbi non ſolum humanum auxilium nobis non ſufficit, verum etiam Angelico opus eſt præſidio. Aſſerunt Doctorum nonnulli Luciferum dæmonum Principem, vnicuique à ſua natiuitate proprium quendam malignum aſſignare ſpiritum, qui eum ad noxia quæque incitet. A quorum incurſu tutari ab Angelo bono debemus. Conſtat autem, homines prout peiores, melioreſve ſunt, eò plures paucioreſve apud ſe bonos, aut malos habere Angelos. Quemadmodum ad hortum odoriferis nitentem floribus plures aduolant apes, & ad fœtentia fimeta frequentiores culices. Gaudet quiſque ſuo ſimili; boni Spiritus bonis delectantur hominibus: mali malis: Ideo ſponſa in Canticis à Salomone inſtructo exercitui, ac regio lectulo comparatur, quem *ſexaginta* viri fortes

tes ambiunt. Heliseus Propheta ingenti Angelorum exercitu circundatus erat. vt quotidie virtutum exercitationi incumbens, plures ad te allicias Angelos, qui in bonis operibus corroborent, atque à noxijs tueantur spiritibus. qui ad malum declinat, plures habet sibi præsentes dæmones: quemadmodum Christus, de domo scopis purgata testatur, quam diabolus *assumptis alijs septem spiritibus nequioribus se*, fuerat ingressus. Vnde enim contingit quod magni peccatores tam difficulter ad veram flagitiorum suorum contritionem confessionemque adducantur, nisi quod à multis circumsepti sint dæmonibus, qui eos excæcant, indurant, suaque multitudine in vitijs continuo detinent.

Cant. 3. 7. *4. Reg. 6. 15.* *Matt. 12. 44.*

Mali cur difficulter conuertantur.

Ait illi Iesus: rursus scriptum est; non tentabis Dominum Deum tuũ. X. Periculosissime dæmoni etiam vltro auxilium offerenti credimus, Christo vt se deorsum præcipitet suadens, significat quod ipse diuina iussione eum excipere, ac protegere debeat: sed non est eius iuuare sed obesse, non conseruare, sed perdere: qui Simoni Mago ex aere decidenti crura fregit. Itaque neque diabolo fidas, neque illius ministris, mundo scilicet ac mundanis hominibus, qui verborum lenocinijs blandè te aggrediuntur magis vt aliquid à te extorqueant, quam vt quidpiam conferant.

Hegesip. lib. 3.

Diabolo non credendum.

Nota *inprimis*, Christum cum diabolo non longum miscere sermonem, sed paucis os ei obturare, sciens illum in sua malitia obstinatum, ac nullis flexibilem sermonibus. Idem & tu cum obstinatis facito maximè verò hæreticis illis, qui non ex ignorantia, sed malitia patrocinantur errori. De quibus in hunc modum Paulus: *hæreticum*, inquit, *hominem post vnam & alteram correptionem deuita: sciens quia subuersus est qui eiusmodi est*, a Tertullianus, b Cyprianus, c Epiphanius nec non & Diuus d Augustinus, hæc verba videntur de vnica solum admonitione intelligere. Quippe cum idem Paulus alibi dicat, quod *sermo eorum vt cancer serpat*, qui citius te peruertat, quam vt tu eos conuertas. Si ergo Spiritalis ac diuinus effici cupis, fuge nimiam mundanorum familiaritatem, ne quid tibi mundani affricent.

Cum obstinatis non diu agendum. *Ad Tit. 3. 10.*

a *Tertull. de præscr.*
b *Cypr lib. 3. ad Quir. cap. 78.*
c *Epip. har. 76.*
d *Aug. epist. 162.*

Nota *2. Ti. 2. 17.*

Nota *Secundo*, Chriſtum non alloqui diabolum niſi verbis diuinis; vt nos *inprimis* doceat, quæ nam verba nos, qui eius eſſe diſcipuli cupimus, deceant; non vana, non mundana, ſed quæ (vt Paulus requirebat) *ſapientiæ ſale ſint condita*, ſimul ac diſcretione. Talia erant verba Apoſtolorum, quibus mundum conuertebant: & epiſtolæ, quibus eundem in fide ac bonarum virtutum exercitatione corroborabant. Hæc vt ad omnes pertinent Chriſtianos, ſic maximè religioſos decent: qui non alios debent proferre ſermones, quam ex diuino Spiritu, (vnde & Spirituales nominantur) hauſtos.

Chriſtianos quæ verba deceant.

Coloſſ. 4. 6.

Secundo, quod internis diabolus ſuggeſtionibus, quibus nonnunquam nos infeſtat, acquieſcere nequaquam debeamus, aut diſputando cum illo congredi; vt ſcrupuloſiores nonnulli ſolent, quos argutis ſuis diſceptationibus eo ſæpè impellit vt vel inſaniant, vel ad diuinarum rerum vſum ſint inidonei. Cor ad Deum eleuare oportet, eiuſque ruminare verbum: non id ſolum quod biblicus continet textus, ſed & quod per ſuos nobis inculcat vicarios, quorum conſilijs in omnibus acquieſcere fas eſt.

Cum diabolo non diſputandum.

Tertio, admodum male agere illos, qui cum energumenis, quorum lingua diabolus ad loquendum vtitur, longum protrahunt ſermonem, curioſè indagantes ea, quæ ad obſeſſi iuuamen nihil proficiunt. His enim ſæpe miſerè imponit, cum ſit mendax, nihilque intendat aliud, quam vt animam tuam aliquo peccato maculet.

Cum energumenis non diu loquendũ.

Quarto, nullum eſſe aduerſus dæmonem præſentius remedium, quam rem ſacram ſecum deferre, illamque ipſi obijcere: nempe SS. reliquias, quas mirum in modum, Hieronymo teſte, fugit. Crucis effigiem, quæ vires illi infringit, vt & Chryſoſtomus ait, internas paſſiones ac diabolicas ſuggeſtiones imminuit: & aquam luſtralem, quæ fraudes illius auertit, & à phantaſmatũ verſutijs hominem defendit, prout Alexander Papa alibi inquit. Inter omnia verò Dei verbum præpollet, quo ter hic vſus eſt CHRISTVS. Illud namque vires habet. *Primo*, quia ex Dei ore procedit. *Secundo*, ex Dei veritate, ſecundum quam omnium creaturarum verba valorem

Contra diabolum remedia.

Reliquiæ. *Hier. cont. Vigilant.*

Crux. *Chryſoſt. hom. 88. in Matth.*

Aqua benedicta. *Alex ep. 1.*

Verbum Dei.

valorem percipiunt. *Tertio* per Spiritū ſanctum, mirabiliter per illud in hominum cordibus operantem: quanquam non ſemper ab illis, qui illud, vel audiunt, vel proferunt, intelligatur, prout ex diuinorū Sacramentorum verbis liquet. Itaque *viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus.* Verum ſi nolis ad te appropinqnare diabolum, animam ſanctam effice: inde namque euitabit te, non minus q̄ muſcæ flammis relucentem focum, aut veſpertiliones radijs armatum ſolem. Nota *quarto*, Chriſtum proprijs armis profligere dæmonem, hoc eſt Scripturæ, quam ꝓ ſe citabat teſtimonio; inſtar Dauidis, vaſtum illum gigantem proprio enſe ingulantis; Haman, quam innocenti Mardochæo ſtruxerat crucem ſuo primus corpore ornauit. Similiter cum per crucis lignum Adamus à diabolo deceptus ſuperatuſque eſſet, Chriſtus eodem eundem proſtrauit, vnde in præfatione quadam canit Eccleſia: *vt qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.* Chriſtum in hoc ſequere, & cum diabolus te ad peccatum ſtudet pertrahere, allegans Dei bonitatem, ac miſericordiam, dic: Ideo recuſo eum offendere, quod clemens, ac miſericors ſit: offenſam non meretur eius clementia, ac bonitas. Cum autem poſt peccatum ad deſperationem te inuitat, per Dei iuſtitiam, reſponde: Ideo nolo eſſe puſillanimis, quod iuſtus ſit: eius iuſtitia, meam contritionem, ac pœnitentiam remunerabit. Si ad ſuperfluum corporis ſollicitat ornatum; ſuggerens, quod immunditia ſancta non ſit, obijcito; te ideo potius animam cultius exornaturum, eamque nullo corporali faſtu commaculaturum. Si ad res venereas, aut nimiam corporis mollitiem, te conatur pertrahere, quod alias ægrotaturus, aut etiam moriturus eſſes, dic, quia bellum corpori indicere cupio, ideo carnalium voluptatum illecebras procul eſſe iubeo. Nicephorus inſignem, ac lepidam narrat hiſtoriam, quæ Diocletianea graſſante tyrannide, Nicomediæ contigit.

Hebr. 4. 12

Chriſtus diaboli arma retorquet.

1. Reg. 17. 51
Eſther 7. 9

Præfat. de S. Cruce.

Niceph. l. 7. c. 13.

Erat illic eximiæ pulchritudinis puella, Euphraſia nomine, quā à fidei Chriſtianæ conſtantia retrahere perſecutores moliebantur. Verum cum illa mori præeligeret, quam tale

Mirabile ſtratagema.

quid attentare: suggessere, vt si venereæ delectationi, vel semel indulsisset, facilius ad hoc posset inclinari. Vnde in lupanar detrusa, impotentibus & impudicis viris, ad ludibrium, & turpem libidinem traditur. Cæterum eodem in conclaui cum lasciuo agens adolescente, Deum tacita precabatur, vt viam modumq; suggereret, quo diabolũ decipiens, tam Virginitatis, quam martyrij posset potiri gloria. Vnde, diuina suggerente gratia, huiuscemodi excogitauit technam. Veneficam se profitetur, mercedemque ingentem conseruatæ pudicitiæ pollicetur, qua adolescentem à morte conseruet, pharmacum, scilicet, quo ille perunctus, in bellorum certaminibus, & prælijs, nullo prorsus telo, aut ferro violari, vel confici posset. Quod si de tali remedio, inquit, periculum facere vis, illico id tibi exhibebo. Ille id statim parari permittit. Tum illa vere sapiens ceram oleo liquefactam, manibusque subactam, collo suo circumcirca iniungens illinit. Quod vbi perfecit, petere eum iugulum suum ense, quibus posset viribus adacto, remedijque eius vim, & efficaciam experiri iubet. Atque ille, quam potuit validissimè ensem in eam demisit, caputque vnico ictu resecuit.

Hoc stratagemate virginitatis simul, ac Martyrij palma potita, diabolum sua in arena confecit, nempe in lupanari, ad ℔ protracta fuerat, vt tam huius, quam illius priuaretur aureola. *Quarto*, quod tunc Deum tentemus, cum eum sollicitamus, vt aliquid agat, præter diuinæ ordinationis cursum, & expectamus, an etiam alio id queat efficere modo. Itaque omnes hi Deum tentant, qui citra necessitatem miracula exposcunt: veluti hic diabolus, iubens, vt Christus mitteret se deorsum, cum gradatim posset descendere. Si quis arborem haberet, quę in obliquum excrescens, ad vnam propenderet partem, atque eam amputans, cuperet, vt in aduersum declinaret latus, is miraculo tentaret Deum. Simili modo tu facis, qui cum toto vitæ tempore humi reptitans, vix vnquam cor ad Deum leuaueris, cupis, vt anima post obitũ sursum mox euolet: cum communis vitę cursus sit, vt homo eodem, quo vixit modo, etiam moriatur. Aliud si fiat miraculum est.

Tentare Deum.

Tentant Deum.

Hinc

Hinc multi in Scriptura Deum tentare, cum diabolo dicuntur. *Imprimis*, qui ſine vlla animi præparatione orant: vnde Eccleſiaſticus: *Ante orationem*, inquit, *præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Qui enim ad orationem ſe confert, ſine reuerentia, non attendens quem adeat, vel quid intendat videtur diuina abuti bonitate, eamque tentare. *Secundo*, qui in peccatorum ſordibus perſeuerant, Dei tentant patientiam, Pſalmographo teſtante, ac dicente: *Tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtimonia eius non cuſtodierunt.* Tentant & illi iuſtitiam Dei, qui indebitam à proximo petunt vindictam, veluti duo illi diſcipuli, qui graui indignatione commoti, Chriſto aiebant: *Domine, vis, vt ignis de cœlo deſcendat, & conſumat homines iſtos?* Simili modo Deum tentant, qui proximo dira quæque imprecantur peſtem nempe, aliaſque plagas. *Quarto*, Dei tentant virtutem, ac potentiam, qui præſumptuosè in diſcrimen ſeſe conijciunt, veluti hic dæmon Chriſtum ſollicitat: & qui in peccatorum ſordibus, ſine vllo mortis metu manent. *Quinto*, Dei ſapientiam Phariſæi tentabant, volentes ab illo expiſcari, an Cæſari liceret cenſum perſoluere. Ita & nos facimus, dum priuatim peccamus putantes Deum id in abſcondito nequaquam cernere. *Sexto*, Dei prouidentiam Bethulenſium Primates tentabant, vt Iudith illis obijciebat, cum dicerent ſe intra dies quinque ciuitatem Aſſyrijs tradituros, ſi nullo alicunde auxilio ſubleuarentur, diuinæ quaſi prouidentiæ præfinientes tempus. *Septimo*, qui ſine ſtudio diuinarum intelligentiam literarum cupiunt aſſequi, Deum inquit Auguſtinus, *tentant*, perſuadentes ſibi, quod vnico momento diuini Spiritus chariſmata cum Apoſtolis ſint percepturi, vel cum B. Antonio alijſque nonnullis ſanctis cœleſtem doctrinam miraculosè cõſecuturi. Refert Sophronius de presbytero quodam non docto, ſed ſingulariter pio. Qui ad altare, dum ſacris operaretur, ſemper Angelum conſpiciebat præſentem: vnde cum eſſet ſincere candidus, miſcebat liturgico ſacrificio nonnullas ab hæreticis compoſitas preces, ignorans aliquid in ijs hæreticum contineri.

1. *Eccl.18.23*

2. *Pſal.77.56*

3. *Luc.9.14.*

4.

5. *Matth.22 17.*

6. *Iudith.8. 11.*

7. Scripturę ſenſus à quo. *Aug prol. li. de doct. Chr. Actor.2.3. Sophron.c. 199. prati.*

Ad quem doctus quidam accedens Diaconus, qui ſacro eius interfuerat, eum de his monuit. Verum cum Diacono fidem non haberet: quod nunquam ſuper hac re ab Angelis, quos præſentes ſciebat, fuiſſet admonitus, eos tandem, quid facto eſſet opus, conſuluit, Et illi Diacono, inquiunt, rectè monente morem gerito. Ad quos ille, cur ergo nunquam me hac ſuper re increpaſtis? Quia DEI, inquiunt, voluntas eſt, vt homo ab homine inſtituatur. Quod quidem laicis, ac plebeis magnoperè notandum, qui Scripturas pro ſua voluntate intelligere, ac exponere arbitrantur; *Magiſter*, vt inquit HIERONYMVS, *antequam diſcipuli.*

Hier. epiſt. ad Paulin.

XI. *Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Hæc Lucas Euangeliſta ita deſcribit: *Et duxit illum Diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Hæc tertia eſt tentatio, in qua diabolus Chriſtum per aëra aſſumens, in montem tranſtulit excelſum. Quis autem hic mons fuerit, incertum: niſi quod *in circuitu* Hieruſalem varij, Dauide teſte, *montes* fuerint. Vnde credibile eſt, hunc vnum ex editioribus fuiſſe, cuius cacumen præ cæteris eminens, meliorem longè lateque proſpectum præbuit. Quo pacto vero diabolus CHRISTO omnia mundi regna oſtenderit duobus explicatur modis. Nonnulli aſſerunt, manu id factum: dicendo. Hic vides regnum Ægypti, illic Perſidis, iſtic Italiæ, hic Hiſpaniæ, & Franciæ & cæt. & quodlibet iſtius tantæ eſt potentiæ & gloriæ. Huic expoſitioni *imprimis* contrariatur, quod non ſolum manu demonſtrauerit ſingulorum potentiam, verum etiam oculis ſingula quæque obiecerit. *Secundo*, quod in momento id acciderit, quod poſſibile non eſt, verbis tam cito effici. Itaque alij melius dicunt dæmonem ſpecies ſingulorum regnorum in aëre formaſſe, totamque mundi gloriam illic delineaſſe, prout in mappa aliqua Geographica ille à nobis conſpicitur. Non quod Chriſti oculos faſcinauerit, vel quod imaginationi eius fucata obiecerit phantaſmata: ſed quod aërem ita con-

Luc. 4. 5.

Pſal. 124. 2

Quomodo oſtenſa Chriſto regna.

1. ſententia. Refutatur.

2. ſententia.

denſa-

denſauerit, vt illic regionum ſingularum conſtitutiones formaliter quaſi videri, cum omni ſua gloria potuerint; cũ ampliſſimis palatijs, hortis excultiſſimis, opibus exquiſitiſſimis, magnoque auri, argenti, ac gemmarum ſplendore, quo principum aulæ paſſim refulgent &c. Neque enim hoc minus efficere poteſt diabolus, quam ſi ex aëre condenſato hominis pecoriſue corpoream ſibi mutuetur figuram. Thomas *a* Cantipratenſis & poſt illum Beatus *b* Antoninus ſcribunt anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo fuiſſe in Germania quendam obſtinatæ mentis hæreticum, qui omni conatu ſtudebat, quendam Dominicanæ familiæ religioſum in ſuam pertrahere ſententiam, quem cum videret mſtantiſſime renitentem, dixit ei: pertinax es valde in fide tua, nec tamen de hac, niſi per ſcripta quædam, aliquid certi cognouiſti. Meis autem verbis ſi fidem accommodare velles, Chriſtum tibi, & Matrem eius, & ſanctos ad oculum tibi demõſtrarem. Mox ille illuſionem dæmonis ſuſpicatus, volens tamen probare quid eſſet. Non immeritò, inquit, tibi credam, ſi promiſſa ad effectum perduxeris. Gauiſus hæreticus, diem fratri ſtatuit. Ille verò pixidem cum Sacramento corporis Chriſti clam ſecum ſub veſte portauit. Duxit ergo illum hæreticus ad ſpecum cuiuſdam montis in amplum palatium, ꝙ claritate mirabili relucebat. Nec mora, vbi in interiorem partem palatij peruenerunt, viderunt thronos poſitos, quaſi ex auro puriſſimo quibus ſedebat Rex fulgore coruſco, & iuxta eum Regina ſereno vultu: & ex vtraque parte ſedilia, in quibus ſeniores quaſi Patriarchę, vel Apoſtoli, aſtãte permaxima Angelorum multitudine, & hi omnes luce ſyderea coruſcantes, vt nihil minus, quã dæmones putarentur. Hos vt vidit hæreticus, cadens in faciem adorauit. Religioſus autem immotus ſtetit, tanto ſpectaculo vehementer attonitus. Ad quem conuerſus hæreticus, cur inquit, Dei filium intuens non adoras?

a *Cantip. l. 2. Apum, c. 57. §. 23.*
b *Anton. Hiſt. t. 23. c. 10. §. 1.*

Tunc religioſus accedẽs propius, extraxit pixidem, eamque Reginæ in ſolio ſedenti hiſce verbis obtulit: Si Regina es Mater Chriſti, ecce filius tuus; quem ſi ſuſceperis, te velut Matrem DEI recognoſcam. Quo dicto, mox totum

Euchariſtiæ virtus cõtra præſtigias.

illud phantasticum spectrum euanuit, tantæque exortæ sunt tenebræ, vt vix frater cum ductore suo ad montis exitum regredi potuerit. Eodem modo credi potest, diabolum hic imaginariè, seu phantastice spectandas exhibuisse regiones, vrbes, syluas, fontes, domos, Reges, Principes, omnemque ornatum eorum, ac magnificentiam: eaque omnia & singula Christo in ictu oculi obiecisse, ita vt vno intuitu ea perspiceret sicuti nos quæcunque in pictura aliqua nobis spectanda exhibentur.

Septē notabilia. Diabolus nos paruis tētat. Terrena ostendit. Cōmoda sine incōmodis. Apoc. 9. 10 Ambitio vltimo superatur. 3. Reg. 24. Luc. 22. 24 Mons quid? Isai. 14. 13.

Nota *primo*, diabolum, vt Christo imponeret, omnia regna mundi obtulisse: quem sciebat paucis nō allici. Nos verò multo vilioribus decipit: nempe libidinosos vna meretricula, gulosos haustu vini, mercatores stufero, superbos exiguo honore &c. hinc homines mentiuntur, decipiunt, iurant, litigant, digladiantur, scortantur, ac diabolo denique animam deuouent. Nota *secundo*, dæmonem terrarum, non cœlorum opes ostentasse: illius enim intentio non est, vt animum ad cœlestia eleuemus, sed humi continuo reptitemus. *Tertio*, regna illum ostendisse, omniaque in illis contenta bona, non mala, nec discrimina, aut post obitum reddendæ rationis metum. Sic scorpio non facie, sed pungit cauda. *Quarto*, nec solum regna ostendisse, verum etiam illorum gloriam, ambitionem sciens vltimum esse, quod hominem deserat. Plurimos conspicias, qui renuntient voluptatibus, resque temporales contemnant; paucos admodum, qui ad perfectæ humilitatis apicem conscendentes, nullo delectentur ambitionis fastu. Dauidis animum etiam senis ambitio torsit, cum populum numerari iussit, vt de virium suarum multitudine gloriaretur. Apostoli, postquam Eucharistiam in vltima cœna percepissent, adhuc nihilominus superbi disceptant inter se, quis illorum maior esset, aut dignitatis honore præcelleret. *Quinto*, diabolum transferre hominem in sublimem montis verticem, atque inde mundi ostentare regna. Hic mōs superbia est, quæ semper de altioribus & loquitur, & cogitat; prout de se Lucifer: *In cœlum*, inquit, *conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam*

super

ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Cum enim ſuperbia tumemus, non exigua amplius cogitamus, ſed maiora, digniora, ſublimioraque, donec ſimiles Deo efficiamur: inſtar Nabuchodonoſoris, (qui ſolus pro Deo adorari volebat) plurimorumque aliorum Gentilium Imperatorum adſcribentium ſibi Diuinitatis honorem. Vnde pſaltes Regius, *ſuperbia*, inquit, *eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Ex cacuminibus montium, non conſpiciuntur in imis conuallibus puſilla animalia, mures, feles, gallinæ, & id genus alia, ſed res tantum maiores, quales ſunt vrbes, montes, caſtra, elatis vilent parua, quia cum in oculis ſuis magni ſunt, magna quoque appetunt. *Iudith 3.13*

Pſal. 73. 23.

Diabolus ſpecies tantum oſtendit.

Sexto, diabolum non vera Chriſto oſtendiſſe regna, ſed tantum fucata, atque in aëre adumbrata, ſine vlla ſtabilitate. Reuera namque omnes, opes, honores, voluptates, mundique dignitates, non ſunt, niſi fumus, & vmbra, vel vt Diuus ait Iacobus, *vapor ad modicum parens, qui deinde exterminatur.* Quicquid in mundo ſplendidum, pulchrum, ac magnificum, deſignat quidem cœleſtium rerum pulchritudinem, ac gloriam; verum in ſe realiter tale non eſt. Quemadmodum in actione aliqua Comica, qua, vel Heſteris, & Aſſuerires geſtę; vel Salomonis prudentia, gloriaque repręſentantur, qui illic Regum, Principum, vel Reginæ ſuſtinent perſonam, reputantur quidem tunc pro talibus, attamen fieri poteſt, vt ſint homines mechanici, aut mendici, nullo honore digni. Ita mundana dignitas, magnitudinis ſuæ fumo oculos tibi obfuſcat vt ſplendidiſſimum veritatis lumen contueri nequeas. *Septimo*, quod per hoc exigui temporis momentum, quo regnorum iſtorũ gloria adumbrata eſt, duo potiſſimũ deſignentur. *Primo*, modus per quem diabolus cupiditatis, vanęque gloriæ tentationem nobis inijcit. Ex inopinato enim irrepit mundanos, honores, & diuitias oculis noſtris, quaſi res magnas, vtiles, ac neceſſarias, obijciẽs; cupiditatemq; noſtram illico illarũ amore, ac deſiderio inflammãs, vt voto potiatur. Sic Ioab à Dauide inſtigatus fuit, vt totius populi iniret numerum. & nos cum aliquid nobis contrarium audimus, tacere non poſſumus, ſed mox linguæ fibras laxantes, ſtomachabundi in cõtumelioſa verba erumpimus:

Iacob. 4. 14

Momentũ in quo oſtendit Domino Diabolus regna, duo ſignificat.

Diabolus ſubito tẽtat.

2. Reg. 24. 2.

pimus: ac ſi magnum euenturum eſſet incommodum, ſilentibus, vel recta cum ratione ſedatius loquentibus. Hæc autem, Dauide atteſtante ſunt, *verba præcipitationis*, quæ lingua doloſa effudit. *Secundo*, rerum mundanarum natura, quas dæmonis inſtinctu conſequimur, quæ non ſolum fallaces ſunt, quia doloſę; ſed & momentaneę, quia vanę: *Primo*, quidem, quia nihil in mundo ſtabile, aut durabile. *Præterit* namque, vti vas electionis ait, *Figura huius mundi*: adeò vt viginti annorum curriculo, magnas rerum videas immutationes. Et quid quæſo viginti anni ſunt, ad æternitatem? *Secundo*, quod acceleret dæmon, vt quæ ante largitus eſt, feſtinanter nobis eripiat: cuius tunc deſiderio factum eſt ſatis, quando per illa nos allexit, & detinuit. Vult enim & alios per eadem in fraudem foueamque pellicere; non minus quam muricipes, qui vno eodemque lardi fruſtulo plures in muſcipulam pertrahunt. Ideo ſubitaneam conciliat mortem, veluti Abſaloni, & Hamano; vel acceleranter nobis eripit, q̃ paulò ante donauerat, vnde Scriptura teſtatur: *Subſtantia feſtinata minuetur*. Et alibi, *nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Hinc fit, quod fures, meretrices, incantatores, alijue qui peccando quæſtum faciunt non proficiant, ditenturue: diabolus quippe illorum non cupit commoda, aut opes augere, ſed animas rapere. Diſce igitur mundana aſpernari, vtpote momentanea, & citò tranſeuntia. Quod vt maiori cum emolumento facias, noli mundum ingredi, ſed cane peius & angue illum fugito. Quemadmodum enim qui torrentem celerrimo labentę curſu tranſuadere cupit, citò cerebri vertigine corripitur, aquarumque impetu præcipitatur: qui autem in ripa fluminis conſiſtit, permanet, ita qui in medio æſtuantis mundi voluitur, in gehennam præceps rapitur: ſed qui eum auerſatur, oculis tantum celerem eius rapiditatem conſpicit, animo autem in Deum fixus, conſtans perſeuerat. Iunior Thobias pedes in rapidiſſimo Tigris flumine abluebat, vbi piſcis immanis interitum ei minitabatur. Quo docemur, terrenas animi affectiones paſſioneſque lachrymis emundari, conſideratione labentis vitæ. quod

Pſal 51.6. Tẽporalia vana.

1. *Cor.* 9. 31

Diaboli malitia.

2. *Reg.* 18. *Eſther* 7. *Prou.* 13. 11 *Pſal.* 75. 6.

Mundus fugiẽdus.

Tobiæ 6.

vbi

vbi præstiteris, senties quidem diaboli tentationes, sed brachijs eum apprehendes, necique dedes.

XII. *Et dixit ei, hæc omnia dabo tibi, si cadēs adoraueris me.* quæ verba Lucas, ita exprimit. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriā illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa, Tu ergo procidens si adoraueris coram me erunt tua omnia.* Cupiebat diabolus explorare, an Christus Dei filius esset, nec tamen hic dicit; si Dei filius es, procidens adora me. Nimis. n. magna hęc fuisset demissio filij Dei, quod alium adoraret, præterquam Patrem suum cœlestem. Sed his verbis præsefert, quod ipse esset Dei filius, cui à Deo omnia essent donata, vt ea hominib. pro suo arbitratu distribueret: quemadmodum Saluator post resurrectionem ait, sibi *omnem potestatem in cælo & in terra donatam.* Putabat ergo Christū sibi respōsurum, mentiris, hæc namque non ad te, sed ad me pertinent, qui naturalis sum Dei filius. Itaq; ex se ipso Christum reputabat, qui cum superbus sit pro superbia contumelioſe quoq; respondisset, prout elati solent, cum vel paululum tanguntur. Etenim cum Seruator superbissimo Caiphæ respondisset: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & templo, quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt*, mox à ministro quodam, hisce cum verbis alapa accipitur, *sic respondes Pontifici?* Superbi etiam minimū, quod suo arbitrantur officere honori, animaduertunt, quemadmodum arrogantissimus ille Haman, pluris faciebat, quod se videret à Mardochæo genu flexione non honorari, quam omnes suas opes, potentiam ac gloriā: dedecus autem & ignominiam Deo optimo Ter maximo irrogatam, nullatenus æstimant.

Luc. 4. 6.

Mat. 28. 18

Diaboli intentio.

Superbi.

Ioa. 18. 20.

Esth. 5. 13.

NOTA cum primis ex hisce diaboli verbis quonam tentationum astu nos cupiat pertrahere, nempe vt eum adoremus: cum sit superbus & arrogans, velitque pro Deo reputari; quamquā nec pulchritudine, nec bonitate polleat, neq; vllo beneficio hominibus se commendet, quin potius sit deformis, abominabilis, nequiæ, ac malitiæ plenus, semper nostro intentus exitio acq; extremæ perditioni. Inter tria illa quæ sapiens detestatur, etiam *superbus* connumeratur, *pauper.* Pauperior autem diabolo nullus, cui nihil suppetit præter

Eccl. 25. 4.

omne malum, omnem miseriam, pœnam, tormentum; & tamen Dei sibi vendicat honorem ac officium. Itaq; eum cũ odio aspernare, indignũ cui vel in minimo obsequaris. Disce quoq; superbiæ conditiones, quæ nec in miserijs hominem deserit, nisi ex animo cupiat esse humilis. *Secundo*, omnia peccata tribus modis hominem adducere, & ad orandum diabolum. *Primo*, habendo aliquid pro Deo, quod Deus nõ est, nempe superbiam, gulam & *ventrem*, vtait Paulus, auaritiam, pecuniam (auaritia etenim ab eodem *idolorum seruitus* nuncupatur) Luxuriam, Asmodæum, immunditiæ Deum, cæteraque peccata, quorũ causa Deum offendimus, deserimusque. Ethnici colebant Bacchum, Deum ventris, Venerem & cupiditatem, voluptatis Deas, Ditem aut Plutonem, auaritiæ Deos, &c. ad insinuandum, quod omnes hi pro dijs colantur ab his, qui illis adhærent: quicquid enim studij, ac honoris Deo debetur, ad illos transferunt. Omnis spes in solũ Deum defigi debet, cui cogitationũ actionumq; nostrarum primitias, quolibet matutino tẽpore offerre, oẽs cogitationes operationesq; ad eius honorem dirigere debemus, maximè vero festis ac Dominicis diebus, quando ad singularẽ diuini numinis cultum obligamur. *Secundo*, quod omnia peccata hominem paulatim ad infidelitatem pertrahunt; cum post frequentem peccati iterationem, contemptus oriatur. *Impius* namque *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Inde succedit hæresis paulò post atheismus: *dixit* enim *insipiẽs in corde suo*, canit Psalmographus, *non est Deus.* Docet idipsum magis experientia quam librorum lectio. Peccata Lutheranismum in orbem inuexerunt: Lutheranismus verò paulatim in Caluinismum, ac Anabaptistarum perfidiam quæ multo sunt nequiores degenerauit. Ex hac domus Amoris pullulauit, quibus fides pro arbitrio est, credentibus quicquid volunt. Adiungunt esse in rebus fidei modo his modo illis, habent religionem loco politicæ actionis, quæ Rempublicam in pace ac quiete contineat. Huic adhærent omnes, quotquot Politici ac Machiauellistæ sunt, Principum aulas ac munia cateruatim obeuntes. Tria autẽ potissimum sunt peccata, quæ hominem ad maiorem pertrahunt idololatriã; nem-

Superbiæ conditiones Peccati natura.

Phil. 3. 19. *Eph. 5. 5.*

Tob. 3. 8.

Deo omnia offerenda.

Prou. 18. 3.

Ps. 13. 1.

Peccata ex quibus oritur idololatria sunt tria præcipue.

nempe ad magiam, per quam homines Deo Creatori suo, & rebus omnibus diuinis renunciant, diabolo fidelitatis iuramentum, seu homagium (vt vocant) præstantes, eumque abominabili sacrificiorum genere colentes cum se in eorum conuenticulis humana, aut bestiali specie præsentem exhibet. Horum præcipua sunt. *Primo*, auaritia, cum ope diaboli ditiores effici appetunt, siue annonæ caristiam inducendo, p vini ac frumenti corruptionem, quod carius vendere intendunt; siue honorem ambiendo, vt Theophilo œconomo, de quo alibi diximus, accidit. *Secundo* libido, qui sese cum dæmone cõmaculant, vel illius ministerio amasios consequuntur: quemadmodum Cypriano cuidam mago postmodum sanctissimo Christi Martyri vsu venit, qui suis incantationibus B. Iustinæ complexum sibi conciliare conabatur. *Tertio*, odium; quo possint à Diabolo adiuti, vltionis vindictam ab hostibus expetere. Quarto omnia peccata hominem ad æternam præcipitãt damnationem, vbi diabolus rerum potitur. qui tanquam Deus gehennãm, ab omnibus sibi subditis adorari gestit. Nota *tertio* diabolum sese simulare animarum mercatorem, cum Sodomorum Rege, *da mihi animas, cætera tolle tibi*. Sicuti namque Christus feneratur animas, ita & ille: hic quidem ex amore, vt bene illis faciat; ille vero ex rancore, vt æternis eas tormentis excruciet. Offert hic pro vnius animæ acquisitione mundum vniuersum, vt animæ præstãtiam consideres, eamque non vili vendas, quippe quam dæmon vniuerso præfert Orbi, Christus autem multò carius emit, creando in illius vsum cœlum, & terram, & quicquid illius ambitu continetur, redimendo eam pretiosissimi sanguinis sui effusione, adeo vt ne guttulam quidem vnam reseruaret sibi, sed animam suam pro ea oppignoraret, rem scilicet pretij inæstimabilis. Diabolus cum vilissime eam potest emere, non multa impendit. Venerabilis vir Thomas Cantipratensis, Cameracensis Episcopi suffraganeus, mirabilem hac de re suo tempore in Francia refert accidisse historiam.

1.

Dom. 2. post Epi. §. 5

2.

Dom. Quin. §. 7

3.

Animæ æstimatio dispar.

Gen. 14. 21.

Cantip. l. 2 Apum. c. 56. §. 2.

Sedebant, inquit, viri quidã in taberna, & bibebant: &c. cum iã mero incaluissent, cœperunt conferre de diuersis, & inic-

iniectus est sermo, quid post hanc vitam futurum esset. Tũc vnus; vanissime, inquit, à clericis istis decipimur, qui dicunt animam sine corporibus viuere post ruinam. Hoc dicto, in risum omnib. concitatis, aduenit homo statura fortis & magnus, & residens cum illis, vinum postulat, bibit, quæritque quis sermo sit. De animabus, inquit ille qui supra. Si quis esset qui meã vellet emere, vilissimo pretio darem eam. Tũc cachinnantibus omnibus, ille qui superuenerat: talem ait mercatorem quæro, paratus sum eam emere, dicito quanti dabis. Conuentum est de pretio, & solutum. Vespere facto, tempus est inquit emptor, vt quisque nostrum ad propria reuertatur. Vos tamen antequam separemur, date iudicium: si quis equum emerit capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius mentis cederet & capistrum? Cui omnes pariter annuerunt. Nec mora, venditorem quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore, videntibus omnibus sursum leuauit in aera; & secum, vt certũ est, ad inferos protraxit, diabolus .n. erat in hominis specie. Vide nẽ diabolus te laqueat, animamque ob res temporales emat: quod quidem tunc contingit, cum læthali peccato occiditur. Disce etiam proximi animam, non paruo æstimare; cum eiusdem sit valoris, cuius & tua. Itaque nemini siue verbo siue exemplo scandali occasionem præbeas: rigidè quippe eam Deus à te requiret. Quin potius pro viribus adlabora, vt diabolo animas eripiens, Christo lucrifacias, qui plus tibi annumeraturus est, quam vniuersus valeat mundus.

Tria diaboli mendacia.

Nota *quarto* tria dæmonis mendacia: *primum* est, cum inquit ad se pertinere omnia, reclamante Domino, ac dicente: Meus est, *Orbis terræ & plenitudo eius.* Apparet tamen plurima esse quæ ad diabolum pertineãt, non quidem natura sua sed tuo munere. Substantia rerum tuarum iniuste, aut peccato acquisita, illius est: vnde cum tu illius sis sequitur etiam omnia quæ possides, illius esse: non minus quam mancipiorum, ac filiorum bona, ad Dominos parentesque pertinent. Itaq; peccator diaboli est seruus, ac filius, ipso Seruatore testante, vnde ad ipsum pertinet, quicquid possidere videtur. Vnde fit, vt peccator bona sua non nisi ad diaboli arbitrium

Psal. 49. 12.

Peccator eiusque opes diaboli sunt. *Ioan.* 8. 34.

expo-

exponat; nullas in pauperes erogat eleemosynas, nihil in Ecclesias confert, nulla religiosorum monasteria sustentat, &c. sed inutiliter in splendorem vestium, esculentorumque, ac poculentorum vsum profundit, &c. *Alterum* mendacium est, quod omnia pro suo arbitratu queat elargiri: cum æterna sapientia dicat; *Per me Reges regnant, per me principes imperant.* hoc est Daniele testante, *Deus transfert regna, atque constituit.* Quo sine *nihil* datur. Recte interim humani generis hostis, *Princeps mundi* vocatur, nō quidē huius mundi sublunaris, sed peccatorum mundum implentium, simulq; hominum male viuētium, quos ad voluntatem suā, per prauas cupiditates, quocunque vult pertrahit, non quidem inuitos, sed delectationi consentientes, non potest nobis diabolus peccatum obtrudere, nisi nos illud acceptemus. Vnde Salomon; *Iniquitates suæ capiūt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* hoc est à se ipso, non autem diabolo. *Tertium* mendacium, quod Christo omnia esset regna donaturus, si procidēs eum adoraret. Quo grauissimo peccato si se Dominus cōtaminasset, instar vilissimi mācipij, diabolus eum despexisset, nec pactis stetisset: hæc. n. vnicuique promittit, quæ tamen non potest nisi vni tantum donare. Versipellis namque ac fraudulentus negotiator, primo vult sibi merces tradi, quibus potitus, emptorem solutione priuat. Itaque noli vel ipsi, vel ipsius ministris, hoc est mundanis hominibus, multa promittentibus, nihil soluentibus, vllam habere fidem: quicquid loquuntur, fraudis plenum est. Sic olim pseudoprophetæ persuadebant Regi Achab insignem de Syriæ Rege victoriam, verum in prælio occubuit. Mundus blāditur tibi, quod in magna rerū affluentia saluus fies, sed mentitur iniquitas sibi. Diabolus animam venatur tuam, vt sine contritione vitam finias.

Pro. 8. 15.
Dan. 2. 21.
Ioan. 12. 31
Prou. 5. 22.
Diabolo non credendum.
3. Re. 22. 12

Nota *quinto*, diabolum prius optare lapsum tuum, quam vt eum adores. *Primo* quia nullus eum potest adorare, qui non mala voluntate prius ceciderit. *Secundo* quod diabolum adorare, nihil aliud sit, quam cadere. Sicuti namq; *diligentib. Deū omnia cooperantur in bonum*, ita mali homines, & *seductores*, vt Paulus inquit, *quotidie proficiunt in peius*, profundiorem sibi in inferno locum conciliantes. Hæc tecum rumina, cum in lethale

Diaboli votum.
Rom. 8 28.
1. Tim. 3 13

Zach.5.7. thale aliquod incideris delictum. Nam peccatum, quia vti Zacharias testatur, instar plumbi graue est, Paulatim deprimit profundius, & ad alia pertrahit, quæ citra Dei gratiam non declinas, sicque pedetentim ad inferni abyssum te demergit. *Sexto* considera, Diabolum à paruis exordientem, ad maiores semper tentationes progredi. *Prima* illius suggestio erat, de corporis refectione. *Secunda*, de præcipitatione, & sui ipsius interemptione: *Tertia* de adoratione. Itaque noli paruas despicere tentationes: cum sponsus in Canticis sponsam suam moneat, *vulpeculas* capere antequam adolescãt. Exigua non sunt contemnenda, nec scienter veniale committendum peccatum. Vbi enim diabolo digitum cõcesseris, mox immittit manum. Petrus in Caiphæ domo *primo* quidem simpliciter Christum renunciat, *paulopost* cum iuramento, *inde* verò cum graui sui ipsius detestatione. Omnia autẽ hæc, ingressus ille in domum Caiphæ, Petro conciliauit, qui si à militum turba pedem retraxisset, non tam profunde lapsus fuisset. *Septimo*, diabolum ternas hasce tentationes Christianis in Quadragesima obijcere, lapides enim tunc adducit, hoc est, ieiunium efficit graue, & quasi impossibile, vt inde nos abstereat. *Secundo* quem hoc astu superare non potest, illi templi proponit casum, persuadet de ieiunio infirmandum cum teneræ sit complexionis, nec dormire possit, vacuo vẽtre, aut piscibus vescens. Itaq; inducit nos, vt veniam petentes ouis, immo & carnibus vtamur, tantumque pro vespertina refectione sumamus, quantum vix pauper in prandio. *Tertio*, Si nihil proficiat, varias delicatorum piscium ingerit species, aliasque lautitias, quasi diceret; Hæc omnia tibi dabo: vnde si omnino ieiunare vis lautioribus indulge, & ventrem affatim imple, ne fames ante crastinum subrepat, vt vel sic ieiunij fructu prioreris.

Tentationis gradus

Peccata nulla cõtemnenda *Can.2.15.*

Matth.16.

Diaboli tẽtationes nobis applicantur.

XIII. *Tunc dicit ei Iesus: Vade Sathana, Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Huc vsque nullum præ se tulit Christus iracundiæ motum, inquit Imperfectus, quod præcedentia omnia in ipsum solum contorta forent. Ast vbi in Deum blasphemat, zelo accenditur; erudiens nos, proprias iniurias quantumcunque magnas pacate ferre: est enim laudabilis

Imper.ho.5 Patientia in proprijs

dabilis hæc patientia. Verum vbi quid contra diuina maiestatis contingit honorem, irasci debemus quo pro viribus hanc Dei vlciscamur iniuriam. Moyses hominum mansuetissimus, mitissimusq; quicquid in eum, delinqueret populus, tam dissimulanter tulit vt pro talibus orare non cessaret: sed cum in contemptum Dei, vitulum adorassent, grauiter excandescens, *a* tria, & *b* viginti quatuor hominum millia gladio vltore iussit interimi. Christus subticuit, cum vini vocaretur potator, aut Samaritanus, populique seductor, &c. Verum conspicatus templum, *orationis domum* in nummulariorum conuerti officinam ac ementium vendentiumq; tabernam, flagello ex funiculis confecto, omnes hosce trapezitas facessere iubens, in fugam compulit. Deus eundem nobis largiatur zelum, ne ad ipsius blasphemiam (quod impium prorsus est) conniueamus, sed potius ad propriam iniuriam: digni nos omni dedecore, nihil promerentes boni: at minima quæq; omnipotentis Dei iniuria, grandis est blasphemia æterno gehennæ cruciatu expianda.

Num 12.

a *Exo.* 31. 21
b *Nu.* 25 9.

Ioa. 2 15.

Notat hic D. Hieronymus, Christum diabolo nõ dixisse; *Vade post me Sathan*, vt olim B. Petro, sed *vade Sathana*. Non enim idoneus est ob induratam, ac malitiosam suam naturã, qui Christi insistat vestigijs. Vnde eum nobis præsentẽ optare non debemus, siue præcedentem: quemadmodum filij Israel de aureo suo vitulo aiebant, *Faciamus nobis Deos, qui nos præcedant*: siue sequentem ne nos supplantans à bono reuocet, aut leonino morsu *calcaneum* nostrum impetat, quæ serpentis est maledictio, securissimum est, nullo dæmonis vti commercio, sed quantum possumus, illius amicitiam fugere.

Mat. 16. 23

Exod. 32. 1.

Gen. 3. 15. *&c.* 49. 17

Quomodo Christus diabolum superarit.

Considera *inprimis*, quibusnam modis medijsq; in hisce tẽtationibus, dæmonem Christus superauerit: *Primo* certissima in Deum fiducia, quod in sua inedia eũ non esset derelicturus. *Secundo*, diuino verbo. *Tertio*, dæmonis contẽptu. Primis armis veteris aduersus tentationẽ pusillanimitatis, aut alicuius inopiæ, doloris, timoris, &c. Deus namq; qui benignissimus est Pater, vult vt omnẽ spem nostrã in eum figamus, nihil ambigẽtes. Secũdis vtemur cũ scriptura ac Dei verbo nos animabim⁹, sput Ionathas Spartiatis perscribebat Dei enim promis-

Diabolo qui resistendum.

1. *Mac.* 12.

promissa in scripturis magnam nobis conciliāt fiduciam, simulq; feruens oratio, quā diuini Spiritus instinctu effundimus, pro Dei verbo reputari poterit, quo dæmonis vires cōfringantur. Tertia arma sunt, contemnere diabolum: qui cū natura sit superbissimus, ægerrimè admodum sui ipsius contemptum fert. Nunquā cum illo in disputationem descēdes (multo quippè te est doctior) sed cum tentationem ingerit, compones te quasi eam non animaduertas: nō enim potest cordis tui inspicere penetralia, aut quid animo tecum volutes (nisi id certis quibusdam prodas indicijs) siue corporis commotione, siue phātasia. Habebis ergo te cum dæmone, vt soles, si forte in itinere ex inopinato immundum reperias oletum; quod conspiciens, tacitus transis. Considera, diabolum multò esse fœdiorem, & infœliciorem, qui sine fine cruciatur. *Secundo*, optimum dæmonis profligādi remedium esse vt eius fraudes viresq; cognoscas: sępè supplātamur quia eius tentationes pro diuina habemus inspiratione. Magnæ est artis, spirituum discretio, quos Ioannes Euangelista vult nos probare, *vtrum ex Deo sint*. Qui ab alijs reguntur, sicut religiosi, his non magnopere hac Spirituum discretione est opus: habent etenim suorum prędscripta superiorum, diuinarū loco inspirationum. Ex quorum persona olim loquebatur Paulus, cū diceret se *Sathanæ cogitationes* non ignorare. Quos ideo fęlices prædicauero, quod à dæmonibus, *in Angelos lucis*, sese nonnunquam transfigurantibus, non facile queant circumueniri. Mox igitur vt Christus dæmonem suo cōpellauit nomine, *Sathanam*, vidēs ille se deprehensum, fugam capessiuit. *Tertio*, Christum non respondisse Sathanæ ad suam, sicuti sperauerat pollicitationem; sed ad illam, quā affectabat, adorationē; vt hac ratione discas, ad diabolica promissa nō attendere, sed solummodò ad hoc, quod per ea intendit. Mundus cum palpum tibi obtrudit plurima pollicendo, attende quid velit: nihil promittit, nisi simul etiam aliquid à te expoſcat, nempe castitatem tuam, honorem, opes, vitā, &c. Noli speciosis decipi verbis ac promissis. Nota *quarto*, Scripturā quam Christus ex Deuteronomio profert, vbi ita scriptum reperitur: *Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies.*

Tentatio penetranda. 1. *Ioan.* 3. 4.

2. *Cor.* 2. 11
2. *Co.* 11. 14

Diaboli promissa spernenda

Deu. 6. 20.

Loco

Loco *timebis* substituit *adorabis*, vt nos doceret, de quonam timore Scriptura loquatur, non de seruili, qui adiunctam habet pœnam aut communi aliquo timore, quo homines aliasue pertimescimus creaturas, sed de filiali ac diuino illo de quo Psalmographus; *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Hic enim ex diuino profluit amore, quo Deum prosequimur, omnem ei honorem exhibentes, ac studiosissimè, ne eum vel perdamus, vel offendamus inuigilantes. Hic timor soli debetur Deo, quo eum solum adoramus, eique nos, vt creatori, Saluatori, ac supremo Domino, immo summo bono, totaliter subijcimus. Itaque hinc facilè animaduertis, verbum *adorare*, non de quauis intelligi adoratione, ne forte cum hæreticis cauilleris, sanctis, eorumque imaginibus nullum exhibendum cultum, genu flectendo, aut incuruando quod speciem quandam adorationis habet; sicuti *a* Loth dicitur Angelos adorasse, *b* Abraham filios Heth, *c* Iacob cum vxoribus, filijsque fratrem suum Esau, nec non & *d fastigium virgæ* Ioseph, & alij passim in veteri Testamento *e* Reges. Quæ quidem adoratio externum corporis cultum venerationemque significat, sine sui ipsius omnimoda, quæ soli Deo debetur, subiectione. Verbum verò *seruire* nullatenus nos prohibet, hominibus, vt Magistris, ac Dominis seruitium præstare, sed summum illud notat obsequium, quo Deum veneramur, vti ex dictione Græca λατρέυσεις liquido constat, vnde & latria deriuatur: quæ significat omnimodum cultum, honorem, ac famulatum, quo omnes cogitationes actionesque in Deum tanquam summum bonum dirigimus. Itaque cum obsequium homini præstamus, cultumue, docemur, vt eum in Deum transferamus, quem in superioribus veneramur. Vnde Paulus, *serui* inquit, *obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.* Cum aliquid à magistris nobis inungitur, quod diuinæ repugnet voluntati, nequaquam audiendi sunt; Cum hoc ad Dei transferri honorem nequeat. Relinquendus ergo magister causa Dei, vt-

Timor Dei.

Psal. 18.

Adoratio quænam debita Deo

a *Gen.* 19. 1.
b *Gen.* 23. 7
c *Gen.* 33. 3.
d *Heb* 11. 21
e 3. *Reg.* 1. 23

Seruitus Dei.

Eph. c. 5.

pote creatura ob creatorem, & non vice versa prout hic dæmon à seruatore requirit. *Quinto*, nota ex hoc scripturæ textu, à quo adorari Deus velit, non ab omnibus passim, malis ac reprobis; de quibus ipse ait: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*: Et alibi; *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* sed ab his qui Dominum, pro Deo suo habent ac venerantur: ait enim, *Dominum Deum adorabis*, duo inculcans. *Primum*, neminem Deum aptè adorare, qui aliquid præter ipsum pro Deo colit, nempe opes, honores & id genus alia. Recusat namq; alium sibi Dagon Deus socium, volens solus rerum apud te potiri. *Alterum*, quod veri cultores, ac adoratores, non solum debeant Deum habere, vti creaturarum omnium Dominum, sed etiam in se ipso id maximè sentire, ac cum Paulo dicere: *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Etenim quèadmodum fides plurimum consolidatur quando Deum cogitamus omnium conditorem, hominum vniuersorum Saluatorem, ita & spes erigitur, & charitas accenditur, cum penitus hæc omnia considero meî causa creata.

Adoratores Dei. *Eccle 15.9.* *Ps.49.16.* *1.Reg.5.4.* *Gal.2.20.*

XIV. *Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Lucas hæc ita exprimit. *Consummata enim omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Diabolus cum peruigil suo insistat officio tentando hominem, difficulter abit & inuitus: verum partim ob Christi Imperium, *vade Sathana*, partim ob contemptum qui maximè eum mordebat, Dei adorationem, ad fugam fuit compulsus. Nota *Primo*, eum non omnimodò discessisse, sed ad tempus cogitans, se rediturum alias. Quod tum potissimum, Chrysostomo adstipulante, contigit, quando eum per ministros suos, ac selectissima organa, Iudæos scilicet, varijs exagitauit contumelijs. Glossa vero ordinaria dicit tunc eum redijsse, cum Christus in crucis stipite, suam esset exhalaturus animam, ad expiscandum, nũquid in eo posset reperire culpa. De quo ipse quoque Dominus videtur loqui, dum ait. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Confirmat hoc Cæsarius exemplo Gualteri cuiusdam nobilis, in villa *Endenich*, territorij

Luc.4.13. *Imperf. ho.5.* Diabolus quando redierit *Chrys. ho. 13. in Mat.* *Gloss. in c. 6. Thob.* *Ioa.14.30.* *Cæsarius l.12.c.5.*

torij Bonnensis decumbentis. Hunc dæmon in forma simiæ, cornua habentis caprina accessit, ad cuius aspectum cum æger terreretur, quæsiuit, quis vel qualis esset. Et ille, diabolus, inquit, sum, & vt tuam consequar animam huc adueni. Ad quod æger, vade scurra, ego enim Christo meam commendo animam, nec tu vnquam illa potieris. Sed heus dicito, interfuisti ne obitui Domini Geuardi Abbatis Heisterbachcensis, recenter defuncti? Respondit, Non est tantum arenæ in littore maris, quot ibi fuimus. Ad quod Gualterus, quomodo ait, ausus fuisti ad tam pij accedere viri obitum? Cui diabolus, ego præsens fui, cum Dei filius expiraret, cornua crucis occupans. Verum nihil illic profecimmus, quin potius morientis virtute, turbati, exagitati, atq; in tartaream abyssum relegati sumus. Disce ergo hinc, diabolum non totaliter hominem deserere, etiamsi ab eo superatus sit. Secedit nonnunquam primo, vt hominem eò magis securum reddat, & sine solicitudine: instar militum vrbem aliquam obsidentium atque astu fugam simulantium, vt deinde redeuntes, vrbe potiantur. Ita diabolus *assumptis septem spiritibus nequioribus se*, reuersus est in domum illam, quã *vacantem scopisq; mundatam*, vti Christus ait, inuenerat. *Secundo*, vt noua fraude instructior redeat. Accidit enim in conflictu cum dæmone, vti solet in prælijs, vbi hinc inde ex vtraque parte nonnulli cæduntur, vulneranturque. Diabolus vulnus tibi infligit, cum voluptate cor tuum transadigit: tu contra eum vulneras, cum eius suggestiones abigis; sed ille spiritum resumens, nouas colligit vires, nouisque sese armis instruit. Tu idem fac certus quod paruam tibi quietem indulgebit. *Tertio*, inquit Imperfectus, diabolum non posse obesse nobis, quamdiu munimur Angeli præsentia: qui ad Dei voluntatem ad breue quandoq; tempus nos relinquit, vt viriũ nostrarum periculum faciat, quãdo soli cum dæmone præliamur. Ora eum ne te deserat, vel vt ad minus à Deo gratiam, armaque tibi impetret, quibus diabolo resistas. Noli nimis esse securus, cum aduersarius tuus nunquam dormiat, qui dedita opera vinci se patitur vt te in vtramque faciat dormire aurem. Qui alium ad aleas

Diabolus non deserit totaliter quos impugnauit.

Matt. 12. 44.

Imper. ho. 3 Angelorũ præsentia vtilis.

Viribus proprijs non fidendum.

conatur pellicere, nonnunquam volens paululum perdit, vt maiori postmodum cumulo, eundem circumueniat. Noli in hoc certamine tuis nimium fidere viribus: humani generis hostis malitia, ac nequitia prævalens, facile tibi imponet in dictis factisque diligenter circumspice, Diuinum implora auxilium, ac Patris tui spiritualis, (qui hac in re multo te est expertior:) salutaribus acquiesce consilijs; neque sancti Angeli instinctum aspernare. Nota *secundo*, cœlestes illos spiritus, ac beatorum agmina, post tentationis conflictum, Christum adijsse, qui licet ter in acie cum aduersario conflixerit, dicit tamen expressis verbis Lucas, *consummata omni tentatione*, ac si nullum tentationis genus Domino defuisset, quippe cum ex tribus istis reliquæ omnes, quasi ex fonte scaturiant. Quicquid ad carnis pertinet vitia, referri potest ad tentationem primam: quicquid ad honores, pertinet ad secundam: ad tertiam relegari possunt, quotquot rerum mundanarum cupiditati indulgent. Saluator ergo omnia tentationum genera expertus est, quo nostræ melius compatiatur afflictioni: & superauit illas, vt & nos easdem superare doceat.

Christus oēs tentationes expertus.

Heb. 4. 15.

Angeli quando nos accedant.

Nota *tertio*, tunc demum ad nos adire Angelos, cum tres eas tentationes vicerimus: *Primo*, carnem cum suis concupiscentijs, ac commoditatibus. *Secundo*, mundum cum voluptate. *Tertio*, diabolum cum fastu, ac pompa. quando eo est peruentum, vt diaboli superbiam protrieris, contemni optans magis, quam honorari: *Secundo*, Cum mundana omnia spernens ea Apostoli instar, *tanquam stercora* æstimas. *Tertio*, Cum corpus rectæ rationi in omnibus est subditum, vt de S. Francisci corpore S. Bonauentura testatur. Hæc tria assecutus in mundi carcere Angelus viues, & Angelos ad te allicies, sicut allexit eos B. Virgo. Nota *quarto*, ex S. Bernardo, Angelos tunc tibi ministraturos, si vt Christus voluptate spreta soli Deo inhæreas tentationum victor. consistit autem victoria non in pugna, sed in defensione vnde vicit, qui restitit. Hinc Apostoli cum nos ad pugnam instruunt stare docent, non ferire, nec cedere. sic Petrus de Diabolo dixit: *circuit tanquam leo*; sed resistite. & B. Paulus sex docet armorum

Phil. 3. 8.

Bonau. in vita S. Franc.

Ber ser. 4. *in Psal.* 91.

1. *Petr.* 5. 8.

Eph. 6. 13.

rum genera quibus possimus *stare in omnibus perfecti.* Nota *quinto*, ex Gregorio Christum vt hominem, tentari à diabolo, vt Deum vero, adorari à bonis Angelis & ministerium accipere non quod comederit vt Deus, sed quod honoratus sit. Verbum enim *ministrabant* famulatum significat. Porro hoc modo Angeli nobis non ministrant etsi ab Apostolo vocentur *Administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis*: sed dum nobis adsistunt, Deo famulantur: nostrique Principes, Magistros, ac tutores agunt aduersus dæmonem. Porro Christo famulati sunt vt Deo suo, & pro Diuinitatis arbitrio humanitati necessaria subministrabant: erant enim duæ naturæ in vna persona. Cum ergo pugnaueris cum Christo, conglorificaberis. ideoque noli laboris tædio affici, quia præmij pretium est. Amen.

Gre. ho. 16 in Euang. Angeli quomodo nobis ministrēt.

Hebr. 1. 14.

ORATIO.

O *Benignissime Domine Iesu Christe, qui in hunc mundum humani generis causa descendisti, vt diabolum superares, eiusque vires confringeres: quique post sacratissimum tuum baptisma, in vasta solitudine quadraginta dierum ac noctium decursu, sine vlla corporalis cibi sumptione, inedia te macerasti; orans interim pro nobis, ac pro peccatis nostris, pœnitentiæ exercitijs incumbens, sine vllo penitus humano solatio; idque sub dio, atque inter feras, hyberno sæuiente frigore, vbi paulo post à diabolo tentationibus agitatus, atque in templi pinnaculum, montemque excelsum sublatus, mansuetissime eidem singulari cum prudentia, ac patientia respondisti. Obsecramus te, vt gratiam nobis largiare, quo sanctum hoc quadragesimale ieiunium, cum feruore incipiamus, cum deuotione prosequamur, ac cum perseuerantia finiamus. Remitte nobis per abstinentiæ huius virtutem, omnium noxas peccatorum, suppedita robur, quo diabolicas elidamus vires, mundum aspernemur, nostrasque passiones superemus. Adesto diuini spiritus tui gratia sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, quorum munus est sacratissimo hoc tempore tuum prædicare verbum, aperi auditorum externas & interiores*

riores aures, vt illud amplexantes, opere compleant. Procul abige dæmonem ab Ecclesia tua sancta, hæreses omnes profliga, quæ templi pinnaculum inuadentes, quicquid ibique sanctum est, aspernantur, pessundantque. Libera nos per pœnitentiæ exercitationem, à carnalium desiderijs voluptatum; superbiæ nostræ fastum per humilitatem retunde, rerumque mundanarum cupiditatem nobis, per liberalem eleemosynarum elargitionem, adime. Mitte quoque Angelos tuos sanctos, qui nos vbique protegant ac defendant, talemque bene viuendi largire gratiam, vt hinc recta nos cum gaudio ad æternæ beatitudinis locum, sine vllo vel diaboli, vel expurgatorij ignis obstaculo perducant, prouehantque: Per te O Iesu Christe, fili Dei, qui cum Patre, ac spiritu Sancto viuis ac regnas per omnia secula seculorum, Amen.

DOMI-

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Matth. 17.



IN illo tempore, Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias, cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: & ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

Breuis Euangelij Exegesis.

POstquam Dominus de transfiguratione sua locutus, quosdam ex astantibus dixisset non morituros, priusquam viderent *regnum Dei*, id est, regni cælestis quãdam participationem: elapsis sex diebus, septimo die postquam præfata dixisset, qui idem erat octauus, includendo vtrumque diem, ante meridiẽ vt ait Epiphanius in montem ascendens transfiguratus est. Assumpsit autem tres ex discipulis Petrum, Iacobum, & Ioannem; tum vt res esset secretior, tum quia hi tres debebant præcipuam in se charitatem manifestare; nempe Petrus, in administranda Ecclesia; Iacobus, in martyrio, quod primus subijt, & Ioannes, in custodienda B. Virgine, cum his Christus montem ascendit, tum ne quis alius foret rei conscius, tum quia sublimi mysterio, sublimis debetur locus communis opinio *a* Cyrilli, *b* Hieronymi, *c* Bedæ & *d* Andreæ Cretensis mõtem hunc Thabor in terra Galileæ fuisse tradit, in quẽ vt ait *e* Lucas Christus orationis causa ascendit, solet enim montes tanquam loca quieta orationi deligere, orabat autem Christus ante transfigurationem, vt doceret, oratione à Deo nos dona eius impetrare, orantis autem corpus magno splendore perfunditur, ab inhabitante diuinitate, cuius aliquam speciem discipulis his exhibuit: fulgebat enim facies instar solis, imò à splendore corporis vestimenta eius alba facta sunt, quasi nix, qualia ait Marcus, *non potest fullo alba facere*. Effigies corporis eius nõ mutabatur, sed splẽdor: & ecce duo qui etiã qua-

Epip. hær. 69.

a Catec. 12
b in Epith. Paulæ.
c de locis sacris.
d S. de transfig.
e Luc. 9. 28

Mar. 9. 3.

quadraginta dies ieiunauerant; Moyſes nempe, iã diu mortuus, & Helias etiam non viuus, apparent *in maieſtate*, ait Lucas, id eſt, corpore fulgidi & veſte, non ab interiori gloria ſua, ſed à gloria corporis Chriſti: & licet Moyſes iam ante diu obijſſet, apparuit tamen; ſiue reſumpto corpore ſuo, vt quidam putant; ſiue corpore, pro tunc ex alia materia facto, quomodo Gabriel, Raphael, alijque Angeli hominibus apparent. Aderant autem hi, vt Chriſtum teſtarentur vere Meſſiam, in lege, & prophetis promiſſum; nempe Moyſes ex parte legis, Helias ex parte prophetarum, loquebanturque cum Chriſto de paſſione, & morte: tum vt diſcipuli ſcirent hanc non caſu, ſed à Deo permiſſam; tum vt eorum fides tempore paſſionis roboraretur. Dormiebãt initio diſcipuli, ita vt illorum aduentum non ſenſerint, ſed experrecti audiunt loquentes, ac gloriam vident, ita vt præ nimio gaudio, & ſtupore pene mẽte emouerentur, & Petrus cum duos illos videret parare diſceſſum, Chriſtum quaſi Dominum orat, vt eos illic manere iubeat; *Magiſter bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnũ, & Heliæ vnum.* quaſi dicat, delectat me hic gloriæ aſpectus, ſed quia duo illi diſcedũt, iube, vt maneant, & ſi enim mons hic habitationi ineptus ſit, cuique tabernaculum excitabimus, nos autem tibi aderimus. Dicebat hæc Petrus præ gaudio, & continuandæ voluptatis deſiderio, neſciẽs quid diceret. interea nubes diſcipulos obumbrat, ſicuti enim Moyſes legem à Deo accipiens nube tectus fuit, ſic & Chriſtus, tanquam legislator nouus, nube tegitur, non tenebroſa, vt ille; ad ſignificandas legis te-

Luc.9.31.

Exod.20: 21.

nebras, & vmbras: ſed lucida, ob Euangelij claritatem, diuidebat hæc nubes Chriſtũ à diſcipulis, quo ſplendorem faciei eius melius intuerentur, ſicuti nos ſolem per nubem: & tegebat Chriſtum, Moyſen, ac Heliam. ex ſummitate autem eius vox ab Apoſtolis auditur, qua de Filio, Pater dicit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Chriſtum ſignificans, prophetam Iudæis olim promiſſum, cum Moyſi dicerent, *ne loquatur Dominus nobis*, tunc enim promiſit Deus. *Prophetam ſuſcitabo tibi de medio fratrum ſicut me, audies eum.* In præſenti itaque deſignatur, quis ſit iſte propheta, eumque audire iubemur, non auribus corporis ſolum, ſed & acquieſcere ei, ac doctrinam implere, commendat autem eum à tribus. *Primò*, Filium vocat, nempe naturalem, adeoque myſterij omnis, & bene placiti conſcium. *Secundò*, dilectum, etſi enim parentum quidam filios negligant; non tamẽ ego, ſed qui ipſum ſpernit me ſpernit. *Tertiò*, addit, *in quo mihi bene complacui.* nempe in ipſo ſolo, vt proin quiſquis mihi placere vult, per ipſum placere debeat, *audite* itaque *eum*, ſine quo nemo ſaluatur. Dum vox hæc formatur, erat, ait Lucas, Chriſtus *ſolus* ne quis à Moyſe, aut Helia formatam putaret. Apoſtoli vero in terram cadunt, ob præſentiam Dei, qui metum eis incuſſit, vt Chriſto firmius adhærerent deinceps; Chriſtus autem accedens eos, ac tangens iuſſit, vt ſurgant, nec timeant. Qui circumſpiciẽtes neminem vident, niſi Dominum, qui cum ijs deſcendens, mandat, vt viſionem nemini aperiant, ante ſuam reſurrectionem, quia nec diſcipuli, nec alij erant idonei, vt eam audirent; quidam enim negaſſent,

Deut. 18. 15.

gaſſent, quidã indignum putaſſent, vt, poſt tantam gloriam, Dominus tanta tormenta pateretur.

Documenta Secundæ Concionis.

ASſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrẽ eius, & duxit eos in montẽ excelſum ſeorſum. Dominica hæc, quintam mundi ætatem ſignificat, à Babylonicæ captiuitatis initio, ad Chriſti vſque paſſionem: quæ continet annos ſexcentos ſexaginta octo. Homo in ętate quinta perfectꝰ eſt, aptus familiæ oneribus ferendis, labori irrequieto, & ſolicitudini domeſticæ. Parua fuit Iſraelitarum quies poſt captiuitatem Babylonicam, & ſi enim ſeptuageſimo anno liberati ſint, tamen poſtea multum quoque iactatos fuiſſe, ex Machabæis patet, deſiderabãt ergo adferri ſibi per Meſſiam requiem de qua hic Moyſes, & Elias agunt, loquentes de futuro Domini exceſſu. Proponitur hoc Euangelium initio quadrageſimæ. *Primo*, quia tres in eo ſunt perſonę, qui integram quadrageſimam ſine vllo cibo ieiunarunt; Chriſtus, & Helias ſemel; Moyſes bis, omnes à turbis cum id facerent ſeiuncti. Moyſes in monte, Chriſtus & Helias in ſolitudine: quo & nos quantum fieri poteſt in quadrageſima à voluptate, & curis ſecularibus ſeiungamur. Moyſes quadraginta diebus loquebatur cum Deo, Helias ambulabat in ſolitudine; Chriſtus vero tentationi ſe præparabat, vt nodum inchoandæ ſeruandęq; quadrageſimæ diſcamus. *Primo*, cũ Moyſe in montẽ ibimus, id eſt, peccata ſolicitius, q̃ alias, cauebimus: quadrageſima.n. tempus eſt pœnitentiæ, de peccatis præteritis & cautelæ pro futuris. itaque eius initio peccata omnia confitebimur, idemque ad maiorem animi integritatẽ, ſingulis ſeptimanis præſtabimus. *Secundo*, tum in initio, tum in decurſu, cum Helia ſacrum Euchariſtiæ panem ſuſcipiemus, ne pœnitẽtiæ, & virtutis tœdium obrepat. ſubcinericius enim Eliæ panis Euchariſtiæ figura eſt, quæ extima ſpecie videtur vilis, ac fruſtum panis: ſimiliter figura eſt corporis Chriſti, quod in paſſione *deſpectum*, & deforme fuit, inſtar vermis; & *in puluere mortis*

I. Dominica hæc quid ſignificet.

Cur hodie hoc Euãgeliũ legatur?

Moyſes fortè ter.

Quadrageſimæ ſeruandæ modus.

1.

2.

Iſaiæ 53.3. *Pſal.* 21.16

mortis ſepultum; interior tamen virtus, nos ad omnem laborem roboret. Sic ſolēt Chriſtiani in quadrageſima, quotidie Euchariſtiam ſuſcipere, ꝙ & Nicolaus primus Bulgaris anno octingenteſimo quinquageſimo octauo conſulit. *Tertio*, cum Chriſto laborabimus, ad Diaboli expugnationem, vitiorū, ac ſeculi amoris extirpationem. nō itaque otiabimur, ſed cum Moyſe audiemus verbum Dei; cum Helia impiam Ieſabel fugiente, peccati vitabimus occaſiones, operibus miſericordiæ intēti; cum Chriſto, corporis delectationes, ſeculi dignitates, ac diuitias contemnemus, docent hæc *a* Chryſoſtomus, *b* Leo alijque patrum in ſuis ad populum concionibus quadrageſimalibus. Proponitur *ſecundo*, hoc Euangelium: vt ſicuti præcedente Dominica modum didicimus ieiunij, ita nunc diſcamus modum orationis, quæ ieiunio præſtantior eſt. *Primo*, quia ieiunamus, vt melius oremus, ſicuti in inſtrumētis muſicis in clauicymbalo, & claui corda concauitas requiritur ad concentum. Frequenter ſcriptura tympanum choro coniungit, vt diſcamus ex caſtigatione corporis per ieiunia, fieri in oratione Harmoniam Deo gratam. tympanum, vt optimè Gregorius explicat, cauum eſt, & ex tergoribus mortui animalis. ieiunium animam, intellectum, & orationem purgat, ad maiorem charitatis ardorem diſponit, ſicca enim facilius quam humida, ignem concipiunt. *Secundo*, quia non oportet ſemper ieiunare, imo ieiunium Dominicis diebus eſt vetitum, neque ab Eccleſia inter Paſcha, & Pentecoſten recipitur: poſſumus autem *ſemper orare*, vt poſt Chriſtum monet Apoſtolus, imo debet oratio eſſe prolixior iſtis diebus, quibus rō ieiunamus. *Tertio*, quia ieiunium non omnes obligat, ne omnibus permittitur, nempe infirmis, ſenibus, puerperis, lactantibus; nemo autē ratione vtens, ab oratione eximitur, q̄ omni loco & tempore præſtare poſſumus, iuxta illud. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*. ſtantes, ſedentes, laborantes non minus cum Deo quam alij colloqui poſſumus. *Quarto*, quia ieiunium corpus purgat; oratio vero animam, q̄ ad Deum eleuat. In alijs Eccleſijs qiæ Germaniæ, & Galliæ ritum ſequuntur, legitur hodie Euangelium de Chananea, quod omnes

Ad cōſulta Bulg. c. 9.

3.

a Hom ad pop. Ant. & in Gen.

b ſerm. 19.

Cauſa 2. cur hodie Euāgeliū hoc legatur.

Oratio præſtat ieiunio, *Iudic. 11. Pſal 80. 149. 150. 3. Mor. c. 22.*

Ieiunia quando illicita. *Luc. 11. 9. 1. Theſ. 5. 17. Pſal. 33. 1.*

Aliud Euangelium alij legūt.

Tertia ratio cur Euang. hoc hodie legatur.

omnes orationis cõditiones exprimit. Proponitur *tertio*, hoc Euangeliũ, vt ex meditatione futuræ gloriæ, quæ hic adumbratur, prouocemur ad pœnitentiam: erit enim ea. *Primo*, in loco excelſo. *Secundo*, Deum videbimus & alloquemur. *Tertio* accipient beatorum corpora, ab animabus ſplendorem ſole lucidiorẽ. *Quarto*, implebitur locus luce diuina. *Quinto*, nulla illic niſi ſanctorũ ſocietas. *Sexto*, occupatio omnis in laude diuina. *Septimo*, deſiderium omne ſatiabitur, *ſatiabor*, ait Dauid, *cum apparuerit gloria tua*. Gregorius animum hominis deſiderio cœleſtis gloriæ dicit incẽdi, ex ſermonibus, ſed laborare debet, quiſquis eam deſiderat, Nec Chriſtus ſine labore, & paſſione ingreſſus eſt in regnum ſuum, & volumus nos ſine labore ingredi alienum? quod Dei, & non noſtrum eſt. laborarunt Moyſes, & Elias, præter ieiunia; in ſuperandis paſſionibus, iuuandis proximis, & perſecutionibus tollerandis. nemo cœlum ſine labore ingreſſus eſt; quia illud, ait Chriſtus, *vim patitur*. &: *per multas tribulationes*, ait Apoſtolus, *oportet nos intrare in regnum cœlorum*. Hoc ſignificat montis, in quem, non ſine fatigatione Apoſtoli conſcenderunt, ſublimitas. Si gloriæ cœleſtis, vel ſcintillam videremus, nullius moleſtiæ tæderet. Volãt ſeculares per maria in Indias, Peru, Braſiliam, regioneſque ignotas, nec ſumptibus parcunt, vt aliquem diuitiarum, honoris, vel voluptatis guſtum accipiãt, & tamen cum ſecum horum vanitatem poſtea expendunt, fatuos ſe & cæcos deplorant. Quorum apud ditiſſimum, & ſui ſeculi honoratiſſimum, hæc ſunt verba. *Cum me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaueram vidi in omnibus vanitatem, & afflictionẽ animi*. videbat enim omnia, quæ hic in pretio ſunt vana eſſe, & nihil, imo animi impedimẽta, dicit ergo *ſudaſſe ſe*, ſed *fruſtra*. quia quod ſperauerat, non eſt conſecutus. Deplorant apud eundem damnati, qui hic voluptatibus indulſerunt. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactãtia, quid contulit nobis. Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra*. Venatoribus hic ſumus ſimiles, qui vt lepuſculum capiant, magnum, quem ſubeunt laborem, quam diu venantur, non æſtimant, ſed domum

Beatitudinis cõditiones.

Pſal.16.15.

Ho.37 in Euang.

Matth.11. 12.

Act.14.22

Bern.ſer. de S. Nicolao.

Eccl 2.11.

Sap.5.7.

mum regressi, & lucrum cõferentes cum fatigatione, fatuos se vident. Cœli gloriam meditari oportet, illiusque consequendæ causa saltem tantum præstare, quantum pro caducis, & apparentibus bonis præstant seculi amatores.

Et si montem hunc Euangelistæ non nominent, habet tamen traditio, fuisse *Thabor*, qui sublimis est, rotundus, in Galilæa quindecim millibus distans à Nazareth, versus Orientem, & duobus à Nain versus Occidentem, vt ait Hieronymus, addens peregrinatam illuc Paulã, omnia diligenter lustrasse. Beda in eius vertice tres dicit ædificatas Ecclesias in memoriam istius, q̃ dixit Petrus *faciamus hic tria tabernacula*, De eodem scribunt Philo Carpathius, & Andreas Cretensis, vbi agunt de transfiguratione. Ascendit eum Christus cum discipulis. *Primo*, vt oraret, ait Lucas, in montibus enim libenter orabat; non quod illic Deo simus viciniores, exaudiamurque facilius, quam in vallibus. Deus enim qui Ionam audiuit in ventre ceti, & Danielem iu lacu leonum, omnibus omni loco, æque vicinus est: Sed vt ex loco, orationis discamus modum. Erat mons hic in plano ab alijs seiunctus, ita vt non potuerit ex ijs inspici, hinc est, quod dicat Euangelista Dominum duxisse discipulos *seorsum* nempe in montem ab alijs seiunctum. Erat prẽterea altus, vt orantes animum subducamus à seculo, & sistamus Deo in cœlis, vbi orationes nostras Angeli altari imponunt. *Secundo*, vt à Patre illic acciperet testimoniũ; sicut accepit Moyses in monte Syna, nam quemadmodum illic legem naturæ, lex Moysis perficiebat; ita hic legem Moysis, perficit CHRISTVS, quod in monte fit, vt mutationem discamus, non ab homine, sed à Deo fieri debere. *Tertio*, vt discipulis manifestaret suam gloriam, nosq; doceret illius consequendæ modũ. in lege veteri solus Moyses montem ascendit, populo ad pedem eius subsistente; sed cum Christus in noua lege viam perfectionis docet; ascendunt cum eo discipuli, turbis solum infra relictis: quo significatur perfectionis amatores, non debere vitam agere plurimis communem, qui non nisi præcepta implent, hi enim sæpe à scopo suo aberrant, nam quemadmodum iaculaturus à longe iaculum paulo plus eleuat, ne sagitta suo pondere feratur

de locis Hebr. & Ep.27.c.6. de locis sanct. c.19. in Cant. serm.de transfig.

Christus cur montẽ ascendit?

1.causſa. *Iona 2. Dan.14.*

Apoc.8.3.

2.causſa. *Exod.24.*

3.causſa.

Exo.19.20

Matth.5.

ratur infra ſcopum; ſic qui cœlum ingredi laborant, plus quã præceptum ſit præſtare debent, vt virtutes, ait Chryſoſtomus peccata ſuperent. ſicuti lintea toralia latitudine corpus, & ab ijs tegitur debent excedere. *Satagite*, ait Petrus, *vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Sæpe fallitur, qui tantum crimina vitat, tum quia hęc à peccato veniali difficulter diſtinguimus, tum quia pro noſtra temeritate illa facilius opinione committimus, & à commiſſis excœcamur. Sic Dauid bis integros ſex mẽſes in peccato mortali perſtitit, & Petrus tres horas in peccato abnegati Chriſti. Scriptura quatuor ponit cõditiones aſcenſuro in montẽ Domini; *Prima* vt ſit *innocens manibus*, id eſt, faciat opera non ſolum bona, ſed & intentione ſincera; qui enim ex bono laudem quærit opus in ſe bonum miſericordiæ, vel humilitatis polluit. *Secunda*, vt ſit *mũdo corde*, id eſt, caſtus cogitatione. *Tertia*, qui *nõ accepit in vanum animam ſuam*, id eſt, qui vitam ad finẽ propter quem data eſt dirigit, nempe ad laudem Dei, quam qui non ſpectat in vanum accepit vitam, & animam: *Quarta*, vt non iurauerit *in dolo proximo ſuo*, id eſt, vt ſimpliciter ambulet, ac neminẽ fallat. *Quarto*, vt doceamur Chriſtum quocunque eat ſequi, inſtar horum trium, qui Chriſtum quocunque ſunt comitati, non ad proſpera ſolum huc, & in domum Iairi; ſed & in hortum, ad triſtia, cum agonẽ animi aperuit, imo ad paſſionem: Petrus enim ad domum Caiphæ, Ioannes ad Crucem vſque comitatus eſt. Nõnunquam cum Scriba dicimus *Magiſter ſequar te quocunque ieris.* ſed in ipſo articulo, cum eodem ſubſiſtimus: audiens enim, *vulpes foueas habent & volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*, Chriſtum vt Athanaſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & alij docent, non eſt ſecutus. Aulicos imitamur, verborum pompa & promiſſis diuites, qui rei nihil præſtant. Chriſtum ſequere cum diſcipulis; & ad contemplationis puritatem venies. *Primo* enim inſpirabit deſideriũ & cognitionem voluntatis diuinæ. *Secundo*, ducet ſeorſum docens ſeculi declinare turbas. rarus eſt, qui cũ Loth inter Sodomitas ſanctitatem ſeruat; adeoque perfectorum hoc tantum. *Tertio*, ab alijs te ſecernet, ſicuti hic tres diſcipulos ab alijs nouem, neque roga-

Hom. 80. ad pop.

2. Pet. 1. 10.

2. Reg. 18. & 14. Matth. 26

Aſcẽſuro in montẽ quatuor neceſſaria.

Quarta cauſa cur Chriſtus montẽ aſcenderit. *Matt 9. 19*

Mor. 26. 37 Ioan. 19. 15. Matt. 8. 19

Athan. in ſynopſi. Chr. ho. 28 in Matth. Hier. in Comm. Aug ſer. 7. de verb. Dom.

Chriſti beneficia.

2. Pet. 2. 7.

rogabis cum Petro, *hic autem quid?* nempe cur ego præ alijs?
Ioan.21.21 nunquid & illorum ſine tanta perfectione eſt ſalus? nā quē-admodum ſingularis dilectionis nota fuit, quod prę alijs nouem hos tres Chriſtus aſſumat, ita ſpecialis dilectionis eſt, quod vnum præ alio trahat. *Quarto* ducet te in montem, id eſt, vitam, vita communi præſtantiorem, quam qui ſequitur, in monte eſt: non ob aſcenſus difficultatē ſolum, ſed & quia cœlo vicinior; etſi illud necdum tangat, ſicuti mons & ſi cęlis propinquior ſit, quam valles, illos tamen non tangit. In mōte hoc cœleſtis vita hic agitur, longius videmus; quidquid infra eſt, ſub pedibus iacet, magna videmus, non parua, vias quoq; vallium & ambulantes in ijs. hāc vitam quiſquis agit, honores, opes, doctrinā ſæculi, & pulchritudinem aſpernatur, &
Philip.3 8. cum Apoſtolo, *vt ſtercora*, & ſordes animi æſtimat. ſic B. Catharina nuptias cum Imperatore Maxentio, Agnes, cum Symphronio filio præfecti vrbis, eorumq; dona, & promiſſa reiecerunt. Mons hic in quo omnia contemnimns altus
Ioan.3.2. eſt, qui enim non omnia contemnit, vt Chriſtum videat, in colle eſt. id eſt, ſicut qui etſi incommoda cōtemnant, honores tamen quærunt, aut opes, Nicodemum imitati qui nocte Chriſtum acceſſit, nō ſine aliqua corporis fatigatione, & impedimento quietis, adhuc tamen timebat ab alijs videri, aut contemni, multi corpore ſeculū relinquunt, ſed animus amicis, & cognatis, vel honori, aut amori ꝓprio adhuc inhęret.
Matth.19. non licet illis dicere cum Petro, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te.* etſi enim in monaſterijs ſint, tamen perfectam
27. monachorum mercedem non conſequentur, niſi prius om-
Matth.16. nibus, &, ꝙ præcipue Chriſtus intendit, ſibi ipſis renuntia-
24. uerint. Huc cum aſcenderis alium videbis Chriſtum, quam videant ſeculares; qui eum ſibi perſuadent abiectum, auſterum, durum, iracundum, &c. id eſt graue putant, & triſte obſequium Dei, ſed videbis lætum, amabilem, ac tam benignū, vt etiamſi ſolus omnia mundi peccata commiſiſſes accedere tamen pro impetrāda eorum remiſſione auderes. neque ideo contemni, ſed ob maieſtatem ſui, magis debet honorari, qui gloriam ſuam non corpori ſolum, ſed & veſtimēris, id eſt, omnibus eum concernentibus, ſuperioribus, ſacerdotibus,

ſacra-

ſacramentis, reliquijs ; & quicquid demum Deo ſacratum eſt, communicat ; quibus omnibus honor debetur ſpectandaque in ijs Chriſti gloria.

Nota neminem Euangeliſtarum cauſam aſcenſionis Chriſti in montem, retuliſſe ad transfigurationem. *Primo*, quia reuelationes & extaſes bonæ quidem ſunt, & cum gratiarum actione, ſi eas Deus concedat, ſicuti conceſſit olim prophetis, ſuſcipiendæ: quæri tamen non debent, ob vanæ gloriæ periculum, in nobis quam in Apoſtolo maius, cui datus eſt *ſtimulus carnis, ne magnitudo reuelationis* eum extolleret; tum, quia illæ nobis neceſſariæ non ſunt, ſed tantæ dignitatis, vt nemo ijs ſe debeat putare dignum, tum denique, quia ſæpe corpus lædunt. *Secundo*, vt diſcamus modum ad ſublimia, ſi Chriſtus vocet, aſcendendi: nempe vt Deo per illa reddamur viciniores, inſtantius eum oremus, proximos diligentius ad ipſum promoueamus, ac cum maiori ſollicitudine nobis ipſis timeamus. *cadit. n. periculoſius, qui aſcendit altius.* Hinc vocati olim ad Epiſcopatus ſancti, non ſolent maiorem pompam veſtium, vel ſupellectilis induere, neque ſuperflua admittere, cum ſcirent Eccleſiæ dona, pauperibus data eſſe, vt docet Vrbanus Papa. & S. Hieronymus, *res pauperum*, ait, *non pauperibus dare, pars eſt ſacrilegij*, ſimiliter S. Bernardus, *quicquid tibi ſeruas præter victum, & ſimplicem amictum tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Seculares vero nihil præter dignitates anhelant, parum memores quantum lateat in ijs periculi, præſertim eum eas quærant non Dei, ſed ſui cauſa: ſe, ſuppellectilem, equos, & domos exornant, mores cum honoribus mutant, pauperes contemnunt, cum tamen forte ex ijs ducant originem, ac ſe ipſos cum Aman exaltant, vnde tandem magni ſequuntur caſus. *multos damnauit dignitas, quos ſaluaſſet humilitas.* Saul aſinos quærens Deo placuit, rex diſplicuit: ſaluatus & forſitan fuiſſet Iudas extra Apoſtolatum. Promotio malorum ſemper noxia. corpore aſcendunt, ſed animo cadunt: *deieciſti eos*, ait Dauid, *dum alleuarentur.* vtilis contra promotio bonorum, qui corpore ſimul, & animo proficiunt: dicentes illud Apoſtoli, *noſtra conuerſatio in cœlis eſt*, aſcendunt mente, verbo, & vita, ſapientius loquuntur ſolito, vtilius operantur,

Euangeliſtæ non dicunt Chriſtum aſcendiſſe vt transfiguraretur. 2. *Cor.* 12. 7

2. Cauſſa.

Ep. ad omnes fid. Hier epiſt. 6. c. 4.

Bern. ep. 2.

1. *Reg.* 9. 2.

Pſal. 62. 18.

Phil. 3. 20.

Coloss. 3. 1. seque ipsos solito plus castigant. Cogitationes eorum vt Apostolus monet cœlestes sunt, quærunt, ac sapiunt, *quæ sunt sursum.* Christus in monte docuit, orauit, cibauit quinque millia virorum, passionem inchoauit, Crucifixus est, obijt, 2. Pet. 1. 18. ascendit in cœlos & misit Spiritum sanctum. Vis ascendere? montes sanctos ascende: qualem sanctus Petrus vocat Thabor; perfectioni studę, & opera, quæ CHRISTVS in monte fecit, imitare.

Cur non omnes Apostoli ascenderint. Non assumit Christus omnes Apostolos, sed tres tantum, ob has quinque, aliasque similes causas. *Primo,* vt mysterium esset secretius. facilius tegitur, quod tres quam quod duodecim sciunt. tegi autem debebat, ne passio Domini impediretur. Discimus hinc non propalare secreta nostra omnibus; Eccl. 6. 37. *multi amici*, ait Sapiens, *consiliarij vero pauci.* Multos fuisse, testatur sanctus Ioannes quibus CHRISTVS 1. Ioan. 2. 24 se non credidit, eo quod ipse nosset omnes. *Secundo,* 2. Causa. vt nos doceret virtutes proprias, aliaque bona, citra necessitatem, non aperire, vitiorum verò manifestationem non ægre ferre. CHRISTVS coram omnibus flagellatus fuit, ac spinis coronatus, omnibus à Pilato exhibitus, ac demum coram omnibus crucifixus: gloriam eius non nisi tres viderunt: nos verò contra, quicquid vitiosum est, aut verecundum diligenti silentio premimus, quicquid honorificum inuulgamus. Paupertatem amicorum, contractam alibi notam, cæterosque defectus ita soliciti occulimus, vt etiam Sacerdoti vix peccata confiteamur; quod si vero ex aliquo honorem speramus, aut præmi- 3. Causa. um; nemini id occultatur. *Tertio,* vt discamus nihil facere frustra, nec adhibere plures vbi sufficiunt pauciores. Dixerat lex quod *in ore duorum, vel trium stabit omne verbum.* Deut. 17. & 19. CHRISTVS vt eam seruaret, tres adhibuit dis- 4. Causa. cipulos, certus reliquos his credituros. *Quarto,* vt discamus, non omnium in Ecclesia eandem dignitatem. sunt in ea tanquam in corpore diuersa membra, vt docet Rom. 12. Apostolus: debent inferiores instrui à superioribus, sicuti alij Apostoli ab his tribus. Presbyteri Episcopis, Epis- 1. Cor. 12. Eph. 4. copi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, hi summo Pontifici

tifici, Successori Sancti Petri, & Vicario Christi subsunt. *Quinto*, vt non murmuremus, si quem Deus nobis in Ecclesia præponat. sicuti murmurauit Tertullianus videns conterraneum suum Victorem se neglecto in Romanum Pontificem electum. multos hęc superbia dedit Hęrisiarchas, Nouatum, Arrium, Berengariũ. sufficiat quod nos Christus in Ecclesiã admiserit, atque in ea custodiat participes sui infiniti meriti, facultatemq; det in cœlis ad tantam conscendendi dignitatem, quantam ipsi volumus. Quærit Chrysostomus, cur præ cæteris hos tres assumpserit Christus, assignatque duas causas. *Prima* est, quia excellentiores cæteris erant, & maximè idonei, qui diuinorum fierent participes. Eandẽ ob causam eosdem etiam secum in Iairi ędes assumpsit, & in hortum secedens ab alijs vt oraret, & suam tristitiam patefaceret. *Altera* quod Petrus Christum plus cæteris diligeret, vt ex Christi interrogatione patet; Ioannes vtpote ætate iunior, plus diligeretur, sicuti ex datis à Christo indicijs cõstat. Iacobus præcæteris sese in amore feruentiorem exhibuerit, adeoq; Apostolorum primus in Herodis persecutione decollatus sit, vt feruentissimus, ac diligentissimus; qui mox à Christi sancta passione Hierosolymis in Hispaniam profectus est, ad Iudæos, qui ibi erant, conuertendos; putans eos, vtpote qui tam procul ab Hierosolymis (vtpote in extremis mundi finibus) habitarent, & nullum in Christum odium haberent, vt ei, qui in Iudæa erant, gauisuros de Messia suo, audientes eũ tam diu promissum iam venisse, & populum sancta sua passione redimisse: Videns vero se nihil proficere (nam ibi octo tantum conuertebat) redijt Hierosolymam, vt cum cæteris Apostolis constitutiones vtiles pro Ecclesia componeret, quas Clemens Papa & martyr. S. Petri discipulus, octo libris conscripsit, & quarum nos octoginta quatuor Apostolicas regulas quos canones Apostol. dicimus ab Ecclesia perpetuo in honore habitos, habemus. Tanto etiã zelo Hierosolymis prædicabat, vt Herodes ad Iudæorũ instantiã, mox eũ iusserit apprehendi. his licebit & alias rationes adiungere. *Tertia*, q; tres hi postea Christũ tristẽ in horto, & aqua ac sãguine sudantẽ viderint, ideoq; necessum erat, vt iã vidẽtes eius gloriã

5. Causa.

Hom. 57. in Matth.

Cur hi tres assumpti.

1. Causa.

2. Causa.

Ordinarium Tolet.

Canones Apostolorum.

3. Causa.

eò ſeſe pararent, ne tum in fide eius diuinitatis hæſitarent;
4. Cauſſa. hac enim non obſtante transfiguratione, tamen in paſſione eius ſcandalizati ſunt. *Quarta*, quod Chriſtus tria magnæ charitatis opera his tribus voluit commendare, ad quæ eos excitauit ſpe regni cœleſtis, quod hic ijs oſtendebat; nam Petro voluit Eccleſiam commendare, in cuius adminiſtratione magno labore opus erat. Ioanni mœſtam matrem, quam ille conſolaretur, & cui de neceſſarijs ſemper prouideret. Iacobo martyrium, quod ipſe in primordijs Eccleſię ante alios
5. Cauſſa. Tria hominum genera. Apoſtolos ſanguine ſuo ac morte redderet. *Quinta*, vt tria oſtenderet hominum genera, qui in cœlis ſingularem gloriam obtinebunt, quam aureolam dicimus; qui per tres hoſce Apoſtolos ſignificantur: per Petrum ſancti doctores,
Dan. 12. 3. de quibus Daniel *fulgebunt*, inquit, *qui docti fuerint quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Petrus vtpote Eccleſiæ caput, Chriſtianorum omnium magiſter, ac doctor eſſe debet. per Ioannem qui omni vita virgo permanſit, virgines deſignantur,
Petrus quid? Ioannes.
Apoc. 14. 3 quibus promiſſum eſt Chriſtum agnum ſequi *quocunque ierit*, & cantare canticum nouum, quod nemo canere potuerit,
Iacobus. niſi ſoli illi. per Iacobum primum Apoſtolorum martyrem, ſancti martyres, quos ſcriptura ait ſeſſuros *ſuper ſedes* & iudicaturos.

Aureolæ. Hæ tres gloriæ, aureolæ, id eſt, coronæ nuncupantur, vt
Dom. Soto. in d. 49. *q* 5. *a.* 1. quæ triplici huic hominum ſtatui, præter eſſentialem gloriam ſuam conferuntur; ſicut in tabernaculo Moyſis, menſa
Exo. 25. 25 aurea ſacrorum panum, præter auream ſuam coronam, aliam adhuc auream coronam habebat, idque ob ſingularem victoriam, quam habuerunt certantes; doctores contra diabolum, virgines contra carnem, martyres contra
6. Cauſſa. mundum. *Sexta*, vt doceat quod quamuis meditatio mortis, ac paſſionis Chriſti & cœleſtis gloriæ omnibus ſane Chriſtianis ſit vtilis, imo & neceſſaria: tribus tamen potiſſimum hominum generibus conuenit, qui per tres hos Apoſtolos deſignantur, *Primi* ſunt Prælati, qui cum B. Petro regendi munus acceperunt. hi namque ex proprio arbitrio ſubditis ſuis non debent præcipere, ſed tantū quæ Deo placita ſint, quod con-

conſequentur per multas meditationes; vt Dauid, qui in omnibus actionibus Deum conſuluit; & Moyſes, qui ſemper Dei voluntatem inquirebat. Et Paulus qui à Deo mittebatur quocunque pergeret. conuenit hoc omnibus ſacerdotibus qui in lege Dei meditantur die ac nocte tanquam prælati, & doctores populi, & velut legum conditores, qui in omnibus iudicijs Deum præ oculis habere debent, & in dubijs Sacerdotes, & Eccleſiaſticos Præſides conſulere, qui curam conſcientiæ habent, ſicuti in veteri lege ex Dei mandato fieri ſolebat. Secundi ſunt, Virgines, qui cum S. Ioanne non ſolum in hunc monte conſcendere, ſed & *ſupra Chriſti pectus* recumbere, & arcanas conſolationes inde exſugere deberent, vt Chriſti dulcedinem guſtãtes, in eius ſeruitio firmarentur. Ita fecit Paulus raptus in tertium cœlum; Ioannes mirabilia in Inſula Pathmos videns, & Elias in monte Oreb Deum audiens, atque ante omnes ſanctiſſima mater Dei Virgo Maria cuius vita fuit aſſidua meditatio cogitantis ſemper in corde ſuo opera Chriſti. qui enim Chriſtum ſibi ſponſum elegerit, oportet, vt cum illo familiaritatem, quam coniuges inter ſe, habeat. Sunt qui Chriſtum ſibi ſponſum eligere ſtatuunt, ſed virginitatem illi dedicare nolunt, quod vident quoſdam poſt vota pœnitere; ſed ad rationem huius doloris non aduertunt, vtpote, quod velut mundanæ, mundana ſequuntur, choreas frequentant, cum viris, aut adoleſcentibus fabulentur, vana tractent, & raro cum ſponſo ſuo Chriſto in pijs meditationibus, ac diuinis exercitijs conuerſentur. Virgines oporteret ſeculo ſe abdicare; & in ſponſo ſuo deliteſcere; vt Maria Virgo fecit, quę ab Eſaia non ſolum *Virgo* vocatur, ſed *alma*, quæ vox Hebræa eſt ſignificans *abſconditam virginem*, ſumma cura cuſtoditam ne virum agnoſceret, aut aſpiceret. Chriſtus non minus curat, ne ſponſa ſua in adulterium incidat, ſi illa ſibi ex animo cauere velit, quam coniugatus ne ſibi vxor ſua auferatur. *Tertij* ſunt pietatis cultores, qui operam dant, vt ſeipſos ſuperent cum Iacobo, qui primus omnium Apoſtolorum occiſus eſt, & Hebræum eius nomen *Iacob* ſonat *pede conculcans*, ſeu *ſupplantans*. quare qui prauos ſuos affectus cupiunt rationi ſubijcere (quod *a* perpetuum martyriũ

Act. 16. 21. 23.
Deut. 17. 9
Ioan. 13.
2. *Cor.* 12. *Apoc.* 1.
3. *Reg.* 19. *Luc.* 2.
Iſa. 7. 14.
Gen. 27, 36
a Cypr. de exhort. Mart.

Bern ſer. de S. Benedicto. est) necesse est sæpius de Christi passione de qua in hoc monte agitur & de rebus cœlestibus meditari, dicente Tobia cum illuderetur; *filij Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidē suā nunquam mutant ab eo.* & Iob in maximis suis doloribus ab amicis correptus, & argutus loquebatur de resurrectione quam certo sperabat. nihil magis hominem confortat in tribulationibus quam si Christum, qui tam multa pro nobis passus est, cogitet, & æternam mercedem præ oculis habeat, quam post victoriam expectamus. *Septimo*, inquit S. Anselmus tres hosce Apostolos à Christo in montem ductos, vt significetur eos solos in gloriosa resurrectione assumendos, qui in trinitatem vere credunt: & in hac fide firmi stant; vt *Petrus* qui firmam *petram* significat: & prauos suos affectus sub pedibus conculcant, vt *Iacobus*, qui *supplantator* est: Et quidquid boni habent gratiæ Dei, & nō sibi ipsis deputant: *Ioannes* enim Hebraice *gratiam Dei* significat. notat Chrysostomus transfigurationem hanc factam postquam Christus præcedenti capite multa dixerat, de sui mortificatione, & abnegatione, necessaria ad futuræ gloriæ consecutionem adiungens, *Amen dico vobis, sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo*: docens non absre fore si sese ipsos mortificarent. Nō tamen hoc continuo impleuit. *Primo*, ne cæteri Apostoli suspicionem haberent, inquit Chrysostomus, & hosce discipulos æmularentur volentes quoque hæc ipsa videre. *Secundo*, quia Deus nō semper promissa sua statim implet, vt eū desiderātes, eò nos pararemus. exspectauit sex diebus, Lucas inquit, *fere octo diebus*, computato & iam primo die quo Christus dicta verba locutus, & vltimo quo transfiguratio facta est. Matthæus in numero mysterium aliquod solet aduertere, ideóque non absre dixit *post dies sex*. primam rationem adfert Andreas Cretensis, quia senarius numerus perfectus est, & significat sex misericordiæ opera, quæ Christus in Euangelio recenset, dicens omnem hominem per illa iudicandum, quare si velis in cœlum ascendere, his te operibus exerce. *Secundam*, ex B. Gregorio depromere licet, qui senarium numerum, dicit significare vitam actiuam, & septenarium,

Tob. 2. 18. *Iob 19. 15.*

7. Causſa. *Anſel in comm.*

Chryſ. ho. 17. in Mat. initio.

Matt. 16. 28. Cur Christus non statim ostendit suam gloriam. *Chryſ. vbi ſerm.*

Luc. 9. 28. *Pat. hoc Matt. 17. & 14.* Mysteriū numeri senarij.

Andr. ho. de Transfi. 2.

Greg. hom. 3 & 17. in Euang.

contem-

contemplatiuam, quod Deus ſex diebus creauerit cœlum & terram, & ſeptimo die requierit: præcipiens vt & nos ſex diebus operemur, & ſeptimo ſecum quieſcamus; & quod in veteri lege Iudæorum ſerui ſex annis ſeruire debebant, at ſeptimo liberi eſſe, & à ſeruitute dimitti. ex quo diſcimus, quod ad deuotæ orationis, contemplationiſq; gratiam, citius per ſedulam bonorum operũ exercitationem, quam per otium, aut frequens lectionis ſtudium queat peruenıri, Chriſtianorum namque meditationes à Deo donantur, atque ab his excipiuntur, qui ad hanc virtuoſis ſeſe præparant operibus. *Gen.2.2.* *Exod.21.2* Pietatis via.

Tertiam, rationem reddit Anſelmus, dicens per hos ſex dies deſignari ſex hominum ætates, in quibus bene mereri ſolummodo conceditur: in ſeptima etenim Chriſtus iudiciariam proferet ſententiam, neque tunc vllus bene merendi amplius erit locus, quippe cum iuſti æterna perfruentur gloria, reprobi vero perpetuis gehennæ miſerijs ſubijcientur. 3. *Anſelm.in comm.* Sex ætates hominis.

Et transfiguratus eſt ante eos. Chriſtus non corpus ſuum ſecundum formam mutauit, ſed ſolum ſecum ſecundum claritatem: factum eſt enim clarum valde, & fulgens, quod non factum eſt per externum aliquẽ fulgorem, vt cum facies noſtræ per radios ſolis, aut vitri, aut alterius alicui⁹ perlucidi illuſtrantur ſole in illas fulgẽte: quomodo facies Moyſi refulſit præ claritate Dei, cũ quo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus collocutus fuerat, verum claritas Chriſti ab intus refulſit, ſicut lumen lucernæ, à candela in illa lucente. Paulus inquit gloriam, aut claritatem Moyſi nihil fuiſſe, cõparatam cum gloria noui teſtamenti, quæ eſt gloria Chriſti. hæc .n. ex interiori diuinitate prodibat, quæ animam Chriſti interius explet. *Nota* Chriſtum ab initio conceptionis ſuæ in vtero matris ita vnitum fuiſſe diuinitati, vt anima eius ſemper diuinam naturam ſit intuita, quomodo ſancti in cęlis eam intuentur, & in ſe habent, anima itaque eius ſemper fulgebat per diuinam claritatem, quæ tanta erat vt non corpus ſolum, ſed & totum mundum illuſtrare potuiſſet ſicut in Apoc. Ioan. vnius angeli gloria totã terram illuſtrat: ſed quia corpus eius pro nobis multos dolores, ac tormenta ſuſtinere II. Trãsfigurationis modus. *Exo.34.23* *2.Cor.3.13.* Chriſtus ab initio fuit beatus ſecundum animam. *Apoc.18.5.*

debebat, manſit gloria animę incluſa, vt lumen laternæ cum operta eſt. nam ſi corpus gloria hac fruitum fuiſſet, grauitatẽ tormentorum non ſenſiſſet præ nimia gloriæ dulcedine.

Transfigurationis cauſſę. 1.

Quærunt hic doctores cur Chriſtus voluerit transfigurari? Ex eorum ſcriptis ſeptem rationes adferam. *Prima*, vt oſtenderet qualis ſecundũ animam eſſet, nimirum, nõ vt nos ignorantes, obtenebrati, & à Deo abalienati; ſed Deum videns beatus, omnia videns, ac ſciens in Deo, fruensque gloria, quam nos in cœlis expectamus, vt ipſe alibi dixit, *vbi ego ſum*, nimirum in gloria cœleſti, *illic & miniſter meus erit*. Docet nos ne ſecundum exteriora iudicemus, nam qui exterius videtur deſpectus, ſæpe interius pulchrior, ac maiori in honore eſt, q̃ magnates. cum princeps aliquis pretioſe veſtitus plateas trãſit, multis miniſtris, ac nobilibus ſtipatus quilibet reſpicit, ac honorem illi exhibet; at ſi mendicus tranſeat, Iacobo teſte, deſpicitur, hic tamen mendicus ſæpe ſecundum animam magis ornatus eſt, & pluribus angelis ſtipatus, quã diues: mittit namque Deus angelos ſuos *in circuitu timentium illũ*, & *mandat* ijs, eiuſmodi ſolicitè cuſtodire. reſpice mendicum Lazarum, & diuitẽ epulonem: ille in vita ſua ab angelis cuſtoditus, poſt mortẽ in requiẽ eſt delatus; hic poſt mortem à Diabolis in infernũ deiectus: qui illũ nec in vita deſerebãt. nullum itaq; ſperne quãtumuis deſpectũ, ac pauperem, nec mirare externũ faſtum.

Ioan 12.26

Iacob 2.6.

Pſal. 33.8. Pſal 90. 11 Luc 16.

2.

Secunda, ne hi præcipui & chariſſimi diſcipuli à fide deficerent videntes amodo paſſionem eius ac tormenta; ſed ſcirent certo, eum nihil inuitum pati, nec mori, ſed ſcientem, ac volentem, vt ipſe dixit: *ego animam meam pono pro ouibus meis, nemo eam tollit à me, ſed pono à me ipſo vt iterum ſumam eam*. & Eſaias, *oblatus eſt*, inquit, *quia ipſe voluit*. In his quoque Apoſtolis voluit Chriſtus fidem noſtram roborare ne vel cum *Iudæis* ſcandalizemur, vel cum *gentilibus* paſſionem eius, vt ſtultam rideamus.

Ioã. 10. 17. Iſa. 53. 7. 1. Cor. 1. 23

Veſtes Chriſti.

Nota Chriſtum vt ſcriptura docet tribus vſum veſtimentorũ generibus. *Primum*, erat natura humana, de qua Paulus: *ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiẽs in ſimilitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*. Erat hoc veſtimẽtum purum admo-

Philipp. 2. 7.

admodum,& nitidum,nullaque peccati macula contaminatum,ſpecioſum,*præ filiis hominum*. Hoc autem filius Dei nullo vnquam tempore depoſuit,quanquam ſciſſum in morte fuerit, quando ſpiritum in manus Patris commendauit. Tunc enim vtramque partem conſeruauit Deus,vnitus corpori,& animæ. Veluti cum homo gladium è vagina ſtringens, hanc quidem vna,illum vero altera tenet manu, donec vtrumque denuo coniungat. *Pſal.44.3.* Diuinitas partes humanæ naturæ nunquam dimiſit.

Alterum veſtimentum erat in ſacratiſſima paſſione,cũ primum alium induerit colorem, de quo Eſaias; *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torcularia?* Quod quidem indumentum Ioannes,*ſanguine rubricatum*, tinctumque conſpexit, vti & Eſaias cum ſubdit, *vidimus eum & non erat aſpectus,& quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus*. Hæc prælij erat veſtis, & tunica operaria, qua ſponſam ſuam aduerſus dęmones propugnaret,Eccleſiæque ſuæ fabricã perficeret. *Tertium* veſtimentum eſt,illa gloria poderis, qua Ioannes in Apocalypſi filium hominis amictum vidit, longa nimirum, & inſtar nubis clariſſimæ candida:de qua ſponſa in cantico; *Dilectus meus candidus,& rubicundus*. Candidus per cęleſtis gloriæ lumen: rubicundus, per amoris vehementiam, cuius ſanguineo rubore veſtis hæc tincta fuit. Hæc autem veſtis gloriæ, optimum, ac pretioſiſſimum illius erat indumentum,quod vſque ad nuptiarum ſuarum ſolemnitatem ſeruauit,donec ſcilicet,de morte, ac dæmone triumphans, rediuiuus ad cœleſtis gloriæ palmam conſcenderet. Egit etenim more magni alicuis nobilis, pulchram adoleſcentulam adamantis: quam in itineraria veſte ocreis calcaribus indutus, venit inuiſum:ſine vllo vel annulorũ, vel torquiũ ornatu, ne forte poſſet agnoſci: deferens tamen cultiores veſtes ſecum, in bulga,ſeu hippopera,vt ijs,ad complacendum ſponſę vtatur. Ita Chriſtus in hac mortalis vitæ peregrinatione indutus cõmuni corpore fuit, verum diuitiarum ſuarum ſplendore, anima tegebat, quem quidem ſplendorem hic in præſentia præcipuorum aliquot diſcipulorum, ſponſę ſuę Eccleſiæ vices repręſentantiũ induit exeruitq, : vt ſic dignitatis,nobilitatis,maieſtatiſq; ſuæ magnitudinem oſtenderet, noſq; docerer, *2. Veſtis Chriſti. Iſa. 63. 2.* *Apo.19. 13. Iſa.53.2.* *Apo.1. 13.* *Cant.5.10.* Chriſtus quomodo nobiſcum egerit?

ceret, quod hirſutam illam, ac rudem mortalitatis ſuę togam non niſi ad tempus, & noſtræ duntaxat neceſſitatis cauſa aſſumpſiſſet, quo ad vſq; prælio aduerſus dæmonem conſummato, ſuo labori finem impoſuit. *Tertia* ratio erat, vt nobis ſpecimen aliquod iſtius gloriæ exhiberet, quam daturus eſt his, qui ſibi ipſis ob Dei amorem in hoc mundo non parcunt, in fine namque præcedentis capitis dixerat: *qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam.* Quod vt melius fiat, nempe in cœleſti gloria, ſcintillam aliquam hic nobis gloriæ ſuæ exhibet, inſtar frumentarij negotiatoris qui in exigua ſcutella, ſpecimen frumenti, quod in tabulato habet venale, oſtendit. Aut certe œnopolæ alicuius, qui vina empturientem in penuarium deducit, ibique illud delibandum propinat, ſi forte pretium placeat. Simili modo hic Chriſtus diſcipulis propinat glorię guttulam: cuius dulcedine adeo fuêre allecti, vt Petrus quaſi inebriatus, ac mente deſtitutus, neſciret quid diceret cupiens perpetuus iſtius loci eſſe inhabitator. Cogita ergo frequenter de cœleſti gloria, vt *conuerſatio* tua cũ Paulo reliquiſque Apoſtolis iugiter ſit *in cœlis*: neque vllatenus dubita quin multo illic maiori gloria corpus tuum veſtiendum ſit, quam hic fuit in prę ſentia Apoſtolorum, Chriſti Domini. Itaq; quoties aduerſa ingruunt, cor tuum ſurſum ad cœleſtẽ illam, ineffabilem, ac perennem gloriam eleua. Quæ vti te expectat, ſic eodem acquirenda eſt nummo, quo Chriſtꝰ eã emit, patienter nimirum amore Dei perferenda omnia, quęcunq, ab illo imponuntur. D. Paulus, qui in tertium raptus cœlum illius loci gloriam erat contemplatus, dicebat non eſſe condignas *paſſiones huius temporis ad futuram* illam *gloriam, quæ* poſt hanc vitam *reuelabitur in nobis*. Ideo diſcipulorum ſuorum animos per glorioſæ transfigurationis magnificentiã Chriſtus ad quæuis patienter ferenda excitare voluit, nobiſque calcar addere, ne pro cœleſti gloria vllis parceremus laboribus, certi Chriſtum vix minimam illius particulam hic conſpiciendam exhibuiſſe. Solent negotiatores meliores ſuas merces in ſummitate ponere, deteriores vero in imo occulere, vt ſic emptoribus imponant. Chriſtus autem viliora noſtris obijcit oculis, donec virtutũ ſtudio ac rebus pręclare ge-

3. Cauſſa.

Matt. 16. 25.

Phil. 3. 20.

Tribulationum leuamen.

Rom. 8. 18.

Diſſimile.

re geſtis illa noſtri iuris fecerimus. *Quarta* vt nobis oſtēderet quanta cum gloria ad iudicium ſit venturus, inquit Beda, & ante illum Baſilius, Seleuciæ in Iſauria Archiepiſcopus, ſi namque gloria hęc tantæ fuit virtutis, vt Apoſtoli qui tamen familiares Chriſto aderant quotidie, ſtupefacti in terrā corruerint, quid quæſo fiet cum gloriæ ſuæ ſplendorem non coram tribus ſed tota cœleſti curia, infinitaq; beatorū angelorum multitudine, qui cum eo ad iudicium deſcendunt, exercet? Hinc præfatus Baſilius. *O beati*, inquit, *oculi, qui terribilem iſtum diem in amabili ſpecie videbitis.* *Quinta* ratio à quibuſdam datur, nimirum quod Chriſtus ſanctiſſimo ſuo corpori à prima natiuitatis hora, tot laboribus, tribulationibus, ęrumnis, ac miſerijs preſſo, confectoque, vnicam ſaltem in hac vita recreationem indulgere voluerit, vt deinde imminente iam paſſione, pluribus exantlandis laboribus redderetur validius. Quæ tamen refocillatio haud quaquam carnalis erat, ſed cæleſtis ac diuina, ita recreās corpus, vt ne vel in minimo quidem officeret animæ. Noſtræ autē corporales recreationes, plerumque animæ nocent, Vnde moderatius vſurpandę forent. *Sexta*, vt ſuam nobis oſtenderet charitatem, declarās quidnā pati, & quibus rebus noſtri cauſa carere voluerit. Si rex aliquis ob mendicam relicto regno, honore, dignitate, rebuſq; omnibus in peregrinam ſeſe ditionem conferret, in qua verberibus, ſcommatibus, vulneribus, alijſque ærumnis miſerandum in modum exciperetur, an non ſummo iure fœmina hæc talem regem duabus de cauſis maxime diligere, ac obſeruare deberet? *Primo* quidem quod ſe omnibus ſuis ſpoliauerit opibus, honoribuſque. *Secundo*, quod aſpera, ac difficilia multa illius amore ſuſtinuerit; Eodem modo Chriſtus vult vt duabus hiſce de cauſis eum diligamus, obſeruemuſque. *Primo* quod noſtræ ſalutis gratia, quatuor & triginta annorum ſpatio cœleſti gloria, cuius hic magnitudinem aliquatenus oſtendit, caruerit. *Secundo*, propter amariſſimam ſuā cuius hic Moyſes & Helias meminēre paſſionē. Exhibebis ergo & tu aliquid amoris tui, relinquēs nōnihil Chriſti cauſa. Abrahā in veteri teſtamēto egreſs⁹ eſt de terra, & cognatione

4. Cauſſa.

Baſ. or. de Transfig.

5. Cauſſa.

Recreationes noſtræ.

6. Cauſſa.

Chriſtus amandus.

Gen. 12.

tua,

Iob 1. & 2. *Exod.* 2. *Heb.* 11. 24. *Mat.* 19. 27. ſua, Iob liberos, poſſeſſiones, bonamq; corporis valetudinē reliquit. Moyſes regnum Ægypti, *negans ſe eſſe filiū filiæ Pharaonis*. In nono vero, renunciarūt Apoſtoli *omnibus*. Tu ſi nō potes omnia, ſaltem aliquid Chriſti amore relinquito, præcipue autem quatuor Deo diſplicentiū genera. *Primo*, peccata tua, ſuperbiā, inuſdiam, &c. *Secundo*, occaſiones peccatorū, nempe concubinas, menſuram, libramque iniuſtam, hæreticos, obſcœnoſque libros, &c. *Tertio*, quicquid ex peccatis tuis, acquiſitum eſt, vt bona malè parta, &c. *Quarto*, vitioſas animi inclinationes ad peccatum, poſt quæ, reliqua nonnulla eorū quę tibi chara ſunt: Quę & Chriſtꝰ ſponſus tuus eo acceptabit libentius, quo chariora tibi ſunt, modo ipſi ea velis donare, vel amore ipſius relinquere. Qualia ſunt, propria volūtas, proprius ſenſus, intellectus, libertas, opes, parentes, cognati, & amici, corporis commoda, atque id genus alia, quibus cum affectu adhæres, pro quorū quolibet, vt Chriſtus pollicetur, *centuplum* accipies, *& vitam æternam* poſſidebis. *Septima*, vt & nos in aliā transfiguremur formam. Reperimus autem tum in ſacris literis, tum in antiquorum patrum monumētis quatuor mutationum genera. Quorum *primum eſt ſecundum* animam, dum quis à bono, ad malum deficit, ſic homines omnes, qui ex ſtatu gratiæ ad lethale declinant peccatum, nimium prō dolor, immutantur. *Primo* quidem anima ſuo orbata lumine tantum obfuſcatur, vt à B. Paulo nomen obtineat tenebrarum: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. *Secundo*, quo ad voluntatem, quæ à Deo, ad dæmonem deflectit, dum à bono deficit. *Tertio*, quoad conſcientiam, quæ amiſſa tranquillitate dulcedinis, tantum ſibi parit inquietudinis, vt homo ad externa ſeſe conferat ſolatia, quo hanc minus perſentiſcat. *Quarto*, in moribus qui ſtatim capiunt mutationē loquendo, veſtiendo, ſtando, ambulando &c. Sic Lucifer ex pulcherrimo angelo in peſſimum deformatus eſt dęmonem, Iudas proditor Apoſtolis amplius adhærere non poterat, nec conſcientię remorſum ferre. *Quinto*, in ipſa corporis conſtitutione magna ſæpe contingit mutatio, quod cū antea dono polleat virginitatis, nunc vel Gallica laborat lue, vel in fœtum deformiter propēdet. Adami corpus ante pec-

Relinquenda quæ.
1.
2.
3.
4.
Mat. 19. 29.
7. Cauſſa.
Mutationes 4.
1. Mutatio eiuſque effectus.
Eph. 5. 8.
2.
3.
4.
Ioan. 11.
Mat. 2. 27.
5.

catum

catum immortale, ac nullis obnoxium paſſionibus erat, poſt peccatum vero, in omnes incidit miſerias. Nabuchodonoſor ſuperbiſſimus Babyloniorum rex, Daniele conteſtante, in mirabilem incidit metamorphoſin, qui ex regio palatio inter feras relegatus, fœno inſtar bouis paſcebatur, capilli eius in ſimilitudinem aquilarum excreſcebant, & vngues eius quaſi vngues auium. De quo ſcribit Epiphanius, q̃ anteriori parte pariter & capite, bouem; pedibus vero, & poſterioribus, leonẽ præ ſe tulerit, quo tam carnalis ipſius voluptas, quam leonina tyrannis deſignaretur. Cyrillus vero Hieroſolymitanus, inquit eum habuiſſe crines vngueſque leonum.

Dan. 4. 22

Nabuchodonoſori figura.

Epiph. in vita Danielis. Cyrillus cat. 2.

Ex hac prima, ſequitur poſt hanc vitam ſecunda mutatio: nempe ex temporali lætitia, pulchritudine, diuitijs, honore, cõmoditate, perpetua triſtitia, deformitas, paupertas, pudor pœnaq;. Exempli loco ſit nobis, diues epulo, qui opulentus ac ſplendidè delicateque viuens, omni voluptatis genere abundans nunc in inferno ad tantam deuenit inopiam, vt nec guttulam aquæ vel habeat, vel habere poſſit in graui ſiti, circumdatus flam̃a infernali, in perpetuum duratura. Benedictus huius nominis Romanæ ſedis præſul Octauus, qui Petri cathedram anno Domini 1030. occupauit & decennio poſt obijt, licet ante male vixiſſet (quid enim mirum inter tot ſanctiſſimos pontifices etiam vnum inueniri improbum, cum in ſelectiſſimo Apoſtolorum numero Iudas extiterit proditor) cuidã apparuit itineranti in ſpecie vrſi, cauda auriculiſq; aſininis, dicens ſe perpetuum damnatum. Quemadmodum Petrus Damiani Cardinalis, eius ſynchronos teſtatur. ſed, eheu, quanta hęc metamorphoſis, ex Pontifice in Vrſum aſinumque transformari? Theodoricus Italiæ rex, poſtquam annis triginta ſeptem, vti teſtis eſt Procopius, præfuiſſet, ac Ioanni ſanctiſſimo Pontifici, Symmachoq; Senatori necem intuliſſet, ſedens in menſa, cũ piſcem ſibi eximię magnitudinis appoſitum videret, cõſpexit in illius capite præfati Symmachi caput, mentum cum dentibus exerens, ac ſæuis admodum oculis quaſi minitantibus eum aſpiciens. Ad quod expaueſcens Rex, facile cogitabat hæc ſibi ob innocentis viri necem euenire. Vnde ex metu in grauem incidens ægritudi-

2. Mutatio.

Benedicti 8. damnatio.

Petrus op. 5. cap. 5.

Theodorici Regis damnatio

Procopius. l. 1. de bello Gothico.

n-

Greg. 4. dial. c. 30. nem paulo poſt miſerè vitam finijt. Quidam Heremita ſicuti. Beatus teſtatur Gregorius, in Inſula Lipari degens, poſt obitum vidit eum à Ioanne, & Symmacho diſtinctum diſcalceatumque in ignitam Vulcani ollam, vbi in medio mari continuus deſæuit ignis, præcipitari ab ijſdem quos iniuſte interemerat, magna erat hæc mutatio, cum Rex ab eiſdem quos iniuſte occiderat torturis ſubijceretur. Exponit hanc mutationem conuenienter ſcriptura, dicens eos qui hic in omni voluptatis genere volutantur, aliquando conijciendos *Pſ. 20. 10. Apoc. 18. 2.* *in clibanum ignis, & habitationem dæmonum*, vt infernum pœnaſque dœmonum circumferant quibus vallati, multo acrius punientur, quam qui hic à dœmone ſunt obſeſſi. Hic enim dœmones in peregrina nos torquent regione; illic autem in propria vbi plena in damnatos vtentur tyrannide, vt mirum non ſit damnatorum animas, nonnunquam prorſus ignitas hominibus conſpici, prout alibi à me de religioſorum quorundam apparitionibus dictum eſt, & ab alijs paſſim, nempe *a* S. Brigitta, *b* Cæſario, *c* Alexando ab Alexandro, &c. *d* Rufus nepos Cyrilli Hieroſolymorum Patriarchæ, viſendum ſe auunculo præbuit prorſus igneum. Noſtro ſeculo anno Domini 1596. obijt Baro Hœſdenius, Eliſabethæ Angliæ Reginæ à conſilijs, qui in agone conſtitutus; vidit ad ſe alios quinque defunctos venire conſiliarios igneo micantes globo. Auguſtæ Treuirorum in ſagarum congregatione, duo defuncti apparuêre magi, mihi probe cogniti, intrinſecus ignei, adeo vt per os, nares, oculos, aureſque igneæ prodirent ſcintillæ: quorum terribili aſpectu Doctor Vlaet, qui congregationi tunc intererat, ad meliorem cæperat redire mentem, adeo vt antequam igne pœnas lueret, de veneficijs ſuis reſipuerit. Anno inſuper 1590. in Peru inſula filia quædam erat, Catharina nomine, quæ ſacramentalem inſtituens confeſſionem, volens ſcienſque nonnulla ſubticebat: Vnde poſt obitum igneo relucens candore circumquaque ſeſe exerente, plurimis apparuit.

a Domin. Sept. §. 12.
b Brig. l. 6. c. 31. & 75.
c Cæſar. l. 12. c. 14.
d Alex. l. 6. c. 21. in ep. Cyrill. attributis apud Aug. Delrio. l. 5. diſq §. 4.
Delrio. l. 2. q. 26 ſect. 5.

A tali verò transfiguratione cuſtodiat nos Dominus, qui ad ſecundam venire nolit à priore proſpiciat.

Tertium

Tertium mutationis genus eſt, dum ex ſtatu peccatorum, ad ſtatum peruenitur gratiæ, nempe dum peccator ad meliorem ſeſe recipit frugem: hic etenim omnia commutantur in melius contra quam accidit peccatoribus. *Primo*, anima inſtar ſolis redditur fulgida, ſplendida, pulchra, virtutum candore vndique exornata, adeo vt tam à Chriſto Domino, quam à Beato Paulo *lucis* decoretur nomine habens arma lucis, hoc eſt, ſplendida micantium virtutum opera. *Secundo*, voluntas Deo eſt vnita ita vt per hanc, quod Chriſtus ait, cum eo *vnum ſit*. *Tertio*, conſcientia magna fruitur pace & tranquillitate quæ *omnem* ſicuti Paulus loquitur *exuperat ſenſum*, nobiſque *fiduciam*, quemadmodum Ioannes teſtatur, ſubminiſtrat, Deum orandi & ab illo quicquid volumus impetrandi. *Quarto*, mutatur modus veſtiendi, ambulandi, ſtandi, loquendi, edendi, bibendi, &c. Maria Magdalena veſtium abijciens pompam, lachrymis ſe dabat nihil verita publicam pœnitentiam. Chryſoſtomus nonnunquam notat magnam illam mutationem quæ in Niniuitarum Vrbe, ad Ionæ prædicationem acciderat, in qua nullus erubeſcebat Cilicia, cinerem, ſaccum, trium dierum ieiunium. Guilielmus Dux Aquitaniæ ante conuerſionem erat ſuperbus, ſchiſmaticus, Epiſcopos ex ſuis diœceſibus fugans, multaque alia perpetrans, verum vbi ad Beati Bernardi inſtantiam, ad meliora ſe recepit, omnibus poſt habitis, monaſticum induit habitum. Guilielmitarum de ſuo nomine inſtituens familiam, loricamque ad nudam carnem geſtans, atque alijs pœnitentiæ exercitijs ſeſe macerans. Theodoſius imperator facta Theſſalonicenſium ciuium iniuſta ſtrage, Mediolanum veniens, iubente Ambroſio publicam egit pœnitentiam. Humiliter petens à præfato Epiſcopo peccati remiſſionem, ad cuius arbitrium nouum promulgauit edictum, humique proſtratus ſummo intererat ſacro. Cum Dauide dicens, *adhæſit pauimento anima mea*, ex chori cancellis inſuper ad laicorum relegatus locum, ibidem cum cæteris libenter diuini præſtolatus eſt officij finem. *Quinto* recipiunt quoque corpora mirabilem immutationem, nempe ſanitatem frugaliter viuendo, externam lætitiam, & pulchritudinem per in-

3. Mutatio ex peccato. Eius adiuncta.
1. *Mat.* 5 14. *2. Cor* 6.14 *Eph.* 5. 6.
2. *Ioan.* 17.
3. *Phil.* 4. 7. *1. Ioan.* 3. 21
4. *Luc.* 7.
Chryſ ho. 29 *in Gen.* 3. *ad pop. Anti.* 1. *de pœn. & hom. & de Iona Apud Sur.* 10. *Febr.*
Sozom. l. 7. *c.* 24. *Ruff. li.* 2. *c.* 8. *Theod. l.* 5. *c.* 17. *Paulinus in vita Ambr. Pſ.* 118. 25. 5.

per interioris conſcientiæ tranquillitatem iuxta illud, *Animus*
Pro.17.22. *gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus vero triſtis exſiccat oſſa.* Hinc
Danielis ſocij, qui ſolis leguminibus viuebãt habiliores erãt
pulchrioreſq;, quam qui regio veſcebantur cibo. Ex hac mu-
4. Mutà- tatione tandem poſt obitum in ęterna gloria accidit. *Quarta,*
tio. vbi iuſti *fulgebũt* ſicut *ſol in regno patris* cœleſtis vti Chriſtus ait.
Matth. 13 43. Et B. Ambroſius, de Agnetis ſanctiſſimę Virginis ac Martyris
Ambr ſer. 90. ad Vir. tumulo ait, quod cum octauo poſt obitum eius die parentes
oratum acceſſiſſent, viderunt intempeſta nocte exercitum
virginum, quę omnes auro textis cycladibus indutæ, cum in-
genti lumine præteribant. Inter quas ſimili veſte fulgentem
videre filiam ſuam Agnetem, agnum niue candidiorem ad
dexteram habentem, ac parentibus dicentem: *Videte, ne me*
quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete mihi, ac congratulamini quia
cum his omnibus lucidas ſedes accepi, & illi ſum iuncta in cœlis, quem in
terris poſita, tota animi intentione dilexi. Epiſtola quę ſub nomine
Tom. 9. operum S. Hieron. B. Auguſtini ad Cyrillum Hieroſolymorum Patriarcham eſt
ſcripta, refert D. Hieronymum cum inſigni luminis claritate,
ãtq; eximia odoris ſuauitate eidem apparuiſſe, qui antea in-
tra ſeptum anguſtæ cellulæ Bethlemiticæ deliteſcens, conti-
nuis pœnitẽtiæ exercitijs ſeſe macerauerat. Tales complures
ſanctorum glorioſas apparitiones, in antiquorũ monumen-
tis legimus, vt ad perpetuam regni cœleſtis gloriam ſtudioſè
anhelemus, & per tertiam immutationem ad hanc quartam
Gen.19.26 perueniamus. In Geneſi non minus mira quam miſera vxo-
ris Loth transfiguratio narratur, quæ angelico repugnãs iuſ-
ſui, cum ad clamorem pereuntium reſpexiſſet ad Sodomam,
in ſalis conuerſa ſtatuam, ibidem immota ſubſtitit, ſignũ in-
credulitatis ait Sapiens. Quę etiam poſt Chriſti tempora (vti
Sap.10.7. *Ioſep. l. 5. de bel. c. 5.* Ioſephus eandem ſe cõſpexiſſe teſtatur) in æternam rei geſtæ
memoriam permanſit; vt nos tam terribili exemplo, Quem-
admodum Chriſtus monet, cautiores redderemur, *memores*
Luc.17.32 *eſtote vxoris Loth.* Ea enim de cauſa potius in Salis ſtatuam, quã
Vxor Loth cur in ſalem verſa. in aliud aliquod ſaxum transformata eſt, vt ſapientiæ ſale cõ-
diti prudentiores efficeremur (quæ ſacris literis per *Sal* deſi-
gnatur) & quod illi deerat, nos ab illa diſceremus. Quemad-
Mar.9.49 *Coloſſ.4.6.* modum exemplo hominum facinoroſorum, quos iudex oc-

cidit,

cidit, erudimur, vt flagitia illa quæ mortem ipsis conciliarũt deuitemus. Non adhibuit illa dictis Angeli fidem, neque eius præcepto paruit: itaque mox vbi respexit retro in salis conuersa est statuam, simile quid posset & tibi euenire, si namque à Deo per primam transmutationem te auerteris, inopinata forsitan morte abripieris, & per transmutationem secundam, in æternæ mortis laqueos incides. Non etenim conuersionis tuæ tempus mors præstolabitur.

Quæst. 8. Chrysost. *Hom. 57. in Matth.*

Quærit hoc loco B. Chrysostomus, cur Christus discipulis gloriæ suæ magnificentiam ostendens, maluerit eos per amorem ad virtutis regnique cœlestis capescendam semitam allicere, quam per damnatorum pœnam à peccatis ad gehennam ducere. De qua quidem raro admodum mentionem illis fecit. Ad quod tribus respondet rationibus. *Prima est*, quod homines voluntarij, potius amore debeant induci, quam metus timore impelli. Bonæ indolis pueri muneribus, ac promissis facile alliciuntur; serui autem, ac mancipia, flagellis coguntur. *Secunda*, quod diuinam bonitatem magis deceat dulcis amicabilitas, quam rigida erga filios seueritas: maxime tempore gratiæ, quando & verbis, & exemplo tam efficaciter nobis charitatis studium inculcat.

Respõsio. 1. Ratio. 2. Ratio.

Tertia, quod satis esset interdum de gehennæ pœnis per similitudines apud improbos loqui, quo maiorem illis metum incuteret. Quod quidem tunc fecit, cum terribilem illam diuitis epulonis historiam, eiusque grauissimos apud inferos cruciatus, illorum oculis obiecit: cumque parabolam illam de seruo nequam, inhumaniter à suo conseruo centum denarios exigente, proposuit: nec non & de illo qui domum nuptialem sine cultiori veste fuerat ingressus, quorum vterque dæmonibus traditus, ligatis manibus pedibusq; in tenebras coniectus est exteriores, vbi ob perpetuos cruciatus, fletus oculorum, & ob continuum metum, stridor regnat dentium.

3. Ratio. *Luc. 16.* *Matth. 18.* *Mat. 22.*

Possumus & *quartam* addere, quod scilicet timor Deo carendi, & cœlesti gloria priuandi apud prudentes pro maiori habeatur afflictione, quam gehennę pœna. Vnde cum Christus Apostolos suos terrere volebat, hisce eis minabatur ver-

4. Ratio. Metus piorum.

Mat. 5. 20. Ioan. 13. 8. bis, *Non intrabitis in regnum cœlorum.* Et Petrum detrectantem suos Christo lauandos exhibere pedes ita effatur: *si non lauero te, non habebis partem mecum.*

5. Ratio. Ratio *quinta* est, vt nos doceret, cœlum, non autem infernum, qui propter dæmones est factus, nostri causa creatum: sicuti Christus in iudicio hisce expressis pronuntiabit verbis: Mat. 25. 41 *Discedite à me in ignem aternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Itaque vt occultaret nobis infernum, duobus bene crassis elementis eum abdidit, terra nimirum & aqua: cœli autem conuexa continuo nostris obiecit obtutibus, exhibens nobis quotidie aliquam suæ claritatis scintillam, in splendore solis, Lunæ, aliorumque astrorum, licet inferni, dæmonumque iugiter nos infestantium locus, nobis, ne vnquam sine sollicitudine viueremus, sit propinquior. Cœlum autem quantumcunque sublime sit, non tamen beatorum animabus, (magno temporis interuallo opus non habentibus) nimis est altum, neque ipsis glorificatis corporibus, quæ ad iudicis sententiam incredibili cum velocitate nullaque penitus molestia eo perferentur.

Bene autem notandum quod Lucas hic ait, *dum oraret, spe-* Luc. 9. 29. *cies vultus eius facta est altera.* Vt nobis scilicet orationis virtutem efficaciamque demonstraret, cuius officium est hominem immutare, quam quidem immutationem ideo sæpe non sentimus, quia non rite orationi intendimus. Qui autem debitè Deum precantur, his quinque modis immutantur. *Primo* intellectus illuminatur, iuxta illud psalmographi: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Eam ob rem sancti Ecclesiæ doctores plurimum semper tribuebant precibus, ex quibus plus hauriebant vtilitatis quam ex multa librorum peruolutatione. Fatetur hoc ipsum D. Thomas, qui difficilium solutiones quæstionum se precibus, potius assecutum agnoscit, quam studijs.

Orationis vis

Orantiũ bene quinque mutationes

1. Psal. 33. 5. Apud Sur. in vita 7. Mart.

Quæ cum profundum ac difficilem haberent explicatum, iũgebat insuper ieiunium. Petrus in oratione sua dicebat etiam gentiles oportere participes esse Euangelij, æternæque salutis. Cum ad Arsenium quidam Euagrius exi-

Act. 10. 35. B. Arsenii apoptheg.

mia

miæ eruditionis monachus, qui ſe valde de Græca iactitabat doctrina, ventitaret, ait. Nos quidem qui alienis confidimus laboribus, & diſciplinis, ideo ex bonis tanquam proprijs non facile poſſumus fructum aliquem percipere. Ii autem qui ſunt in proprijs occupati laborib. merito proprios quoque fructus colligunt. Accenditur *deinde* voluntas in charitate, dicente regio pſalte, *in meditatione mea exardeſcet ignis.* quo enim Deus magis cognoſcitur, eo & magis magiſque diligitur, Apoſtoli eodem in loco in die Pentecoſtes orantes, *repleti ſunt Spiritu ſancto.* Similiter cum alio quodam tempore vnanimiter in oratione ad Deum vocem leuarent, *motus eſt locus,* in quo erant congregati, & *repleti ſunt,* denuo omnes Spiritu S. ſanctiſſima Virgo Maria precibus intenta, Angelicum accepit nuntium, quod Dei genitrix eſſet futura, vnde ſtatim Spiritus S. gratia, ipſeque Dei filius, qui in eius vtero naturam ſuſcipiebat humanam, eam adumbrarunt, replerunt-que. Hinc tertius immutationis modus conſequitur, nempe vitioſarum paſſionum, quæ vel penitus ſuperantur vel valde labefactantur. Vbi enim Spiritus ſanctus habitat, ibi hoſtibus ſua *alligat* arma, *& diripit,* vti Chriſtus alibi ait, hoc eſt nociuas, quibus dæmonis oppugnant, paſſiones. Deſignatur hoc per Moyſen precibus contra Amalechitas gnauiter decertantem qui tunc quidem vincebantur profligabanturque, cum Moyſes in formam crucis, erecta in altum brachia extenderet Chriſti crucifixi repræſentans figuram, prout *a* Origenes, *b* Cyprianus, *c* Nazianzenus alijque veterum quam plures teſtantur. Atque ideo Apoſtoli, poſt Spiritus ſancti ſuſceptionem nullo amplius concutiebantur metu. Quin & nos ipſi oculis noſtris quotidie videmus homines precibus feruide incumbentes minus ſuas ſentire paſſiones, imo eas ſuperare: quippe quæ per aſſiduæ contemplationis ſtudium conſumuntur, ſicuti per ignis calorem humiditas.

Metaph. apud Iur. 19 Iul. c. 11.

2. mutatio

Pſal 38. 4.

Act. 2. 4.

Act. 4. 31.

Luc. 1.

3. mutatio

Mat. 12. 29

Exod. 17.

a *Orig. ho. 4. in diuerſa Euangelii loca.*

b *Cyp. exh. ad mart.*

c *Naz. or. 1 & 2. in Iul.*

Quarta mutatio eſt, quod exteriora quoque immutétur opera, cum per orationis feruorem animarū Chriſto lucri-faciendarum zelo inflammamur: Quemadmodum contigit

4. mutatio

Apoſtolis, qui incredibili animi feruore per vniuerſum diſperſi mundum, hominum conuerſioni inſiſtebant. Similiter & ſanctiſſima Dei genitrix, cum feſtinatione, *intrauit in domum Zachariæ*, vt cognatæ ſuæ Elizabethæ promptum deferret obſequium. Oratione inſuper compellimur bene mereri de proximo. *Quinta* eſt, quia ſæpenumero etiam corpus immutatur, quod nonnunquam ſenſibus priuatum, in ecſtaſin rapitur. Quemadmodum pluribus vſu venit prophetis, & multis in noua lege eximiæ ſanctitatis viris, veluti Paulo, cum *in tertium* raperetur *cœlum*, nec non eſt Ioanni Euangeliſtæ cæleſtium reuelationum arcana ſuſcipienti alijſque nonnullis. Diuo vero Thomæ Aquinati id admodum erat familiare, quoties, nimirum de rebus ſublimibus meditationem inſtitueret. Cui cum ex medicorum conſilio in tibia adhibendum eſſet cauterium, adeo mente fuit abſtractus, & in Deum ſubleuatus, vt vſtionem vllam neutiquam percipere. Interdum corpus in aera ſublatum cœlum inter & terram pendulum manet, vt B. Franciſco aliquoties accidit. De S. Dominico refert Theodoricus Appoldianus, quod à quodam Abbate, ad prandium inuitatus, in Eccleſiam ſeſe oraturus contulerit. Vbi cum prandij aduentante tempore, caſu quæreretur, inter cœlum, & terram mirabiliter eleuatus conſpicitur. Cuius corpus, admirantibus alijs atque obſtupentibus paulatim ſe cœpit demittere, & ad conſuetas vitæ functiones obeundas redire; quandoque corpus mirabili quadam claritate perfunditur, veluti Chriſto Saluatori hic accidiſſe videmus. Quin & Metaphraſtes de B. Arſenio ſcriptis prodidit, quod cum venerandus quidam ſenex eius aditet cellulam, per exiguam feneſtellæ rimulam viderit eum prorſus igneum. Qui quidem ignis nihil aliud erat, quam diuinæ gloriæ ſplendor, cuius igneo feruore vndequaque circumdatus erat. Agnes caſtiſſima Chriſti virgunecula, in turpitudinis detruſa locum, immenſi luminis claritate ita refulſit, vt nullus in eam præ ſplendore nimio poſſet oculos conijcere. Fulgebat enim tota cellula in qua orationi vacabat, quaſi ſol radians in virtute ſua.

Quam

Luc. 1. 40.

5. mutatio

2. Cor. 12. Apoc. 14. 17. 21.

Apud Sur. in vita 7. martyr.

Bonau. c. 10. vitæ.

Apud Sur. 5. Auguſt. l. 1. c. 11.

Apud Sur. 19. Iul. c. 24

Amb. ſ 90 de vita Agnet.

Quam cum Symphronij præfecti filius sceleratis vellet contingere manibus, ab Angelo interemptus, vitæ postmodum ad B. Agnetis preces est redditus. Commemorat insuper Diuus Basilius de quadraginta Martyribus, qui apud Cæsaream Cappadociæ, iussu Licinij Tyranni hyberno frigore in gelidarum stagnum aquarum immersi, cum precibus vnanimiter insisterent, visi sunt à carceris custode eximio circumdati lumine, adeo vt quidam è cœlo descendentes Angeli singulis martyribus singulas deferrent coronas. Ex ore Simeonis sali, qui ob Christi amorem stultum se simulabat, conspexit Ioannes Diaconus globos igneos sursum volitantes, & hæc quidem omnia ex precum prodeunt feruore, quo adeo non flagramus, vt cum hisce Apostolis distracte somnolenterque oremus, humi cum precibus nostris reptitantes.

Basil. hom. 2. de 40. mart. & apud Sur. 9. Mart.

Apud Sur. 1. Iul.

Et resplenduit facies eius sicut sol. Ex his quæ Christo hic euenere, licet aliquatenus colligere, quod homini siue bono, siue malo, in generali resurrectione continget. Vti enim Christus *in primis*, cum eodem corpore in monte apparuit, cum quo & in alijs locis, ita & nos cum eodem penitus corpore, quod hic in vita habuimus, resurgemus: ita vt numero, & specie idem omnino futurum sit, testante idipsum Iobo, ac dicente, *scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*, hoc est, nemo pro me. Vnde inprimis sequitur, omnes cineres, terram, aliamque materiam in quam defunctorum corpora resoluta sunt, suis proprijs reddenda locis, adeo vt ad primam formam ossium, venarum, arteriarum, corporisque pristini reditura sint. Materia brachiorum rursus ad brachia, & non ad crura redibit, nam alias non eadem esset proprij membri materia, sed alterius, & sic de cæteris intelligendum.

III. Quid futurum in iudicio.

I. Resurgemus in proprio corpore. *Dom. Sot. 4. d. 44. a. 1. 2. & 3. Iob 19. 25.*

Secundo, quod etiam viscera, ac membra interiora, nempe cor, iecur, intestina, &c. suis restituenda sunt locis.

2. Etiã viscera restituentur.

Et humores

Quæ etſi priſtinum in cibo concoquendo ſanguineque generando, vſum habitura non ſunt, quem nunc habent, perfectioni tamen corporis iudicantur neceſſaria. Nulla autem erit in inteſtinis immundities, maxime ſanctorum, ſed potius alij meliores humores. Erunt præterea in nobis humores iſti ſanguinis; aquæ, &c. qui ad corporis integritatem requirentur.

3. Etiam partes nõ neceſſariæ.

Tertio, quod etiam illa quæ non abſolute ad vitam neceſſaria ſunt, ſed ſolummodo ad ornatum reſtituenda ſint, nempe capilli, & vngues tam manuum, quam pedum, ſic namque alibi Seruator ait, *capillus de capite veſtro non peribit.*

Soto ſ. a. 2. ad fin.

Secundo, Quemadmodum Chriſtus in monte hanc ſubijt mutationem cum in perfecta virili exiſteret ætate, ita & nobis continget: *In primis* enim, non reſurgemus in puerili ætate, quæ necdum plene adoleuit, neque in decrepita, ad occaſum iam tendente, ſed in ætate iuuenili, quorum anni vt conſummatiores, ſic & vires robuſtiores ſunt. Sic namque affirmat Paulus, dicens nos ad iudicium occurſuros, *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, hoc eſt circa ætatem annorum 34. *Secundo*, quilibet in magnitudine corporis ſui reſurget, quam vel actu habuit, vel diutius ſi vixiſſet habiturus fuiſſet non obſtante, quod vel infans obierit, vel ob aliquem humorum defectum, aut internum externumque impedimentum, ad perfectam virilis ætatis magnitudinem non excreuerit. Teſtatur hoc in ſua Apocalypſi Ioannes, dicens ſe vidiſſe in conſpectu throni ſtantes mortuos *magnos* iuxta, *& puſillos*, ad iudicium properantes. Tertio, quiſque in ſuo reſurget ſexu, viri in virili, fœminæ in fœmineo: qua tamen nec viris amplius ſubiectæ erunt, nec imperfectionibus obnoxiæ. Hæ conditiones omnibus tam malis quam bonis communes erunt, qui & in eo cõuenient, quod anima nunquam amplius ſeparanda ſit à corpore, quantumcunque etiam patiatur, & minutiſſimas particulas diuiditur, quia anima alias in qualibet particula manſura eſſet.

Eph. 4. 13. Dom. Sot. ſ. art 4. & ſtatura. Aug. 22. Ciu. c. 15.

Apo. 20. 12

Et ſexu proprio.

3. gloriæ principiũ erit anima

Tertio, Quemadmodum gloria corporis CHRISTI pro-

prodibat ex anima Deum contemplante atque in se habente: ita & omnis beatorum corporum gloria prodibit ex anima. Quorum animæ per diuinitatem, qua plenę erunt, absolutam in ipsa corpora potestatem consequentur, vt ea perficiant, moueant, suæq; gloriæ consortia efficiant. Hinc quatuor illæ glorioſorum corporum proueniunt dotes; de quibus ad Corinthios Paulus: Quarum *prima* est impassibilitas, *seminatur* quippe, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione.* Dotes quatuor. *de quibus Dom. Soto. in 4. d. 49. q. 4. a. 4.* 1. Dos. 1. Co. 15. 42

Non solum quod illorum corpora morti non sint futura obnoxia, Verum omnis passionis expertia, cum omnis passio via initiumque sit ad corruptionem. Hinc Adamus ante lapsum, impassibilis omnino erat, mansisſetque talis, si nullius peccati reatu sese inquinasset: non quidem propter hanc impassibilitatis dotem, sed quia Deus ab omnibus tam internis quam externis malis eum protexisset, conseruasſetque. Itaque beatorum corpora adeo erunt impassibilia, vt ne inferni quidem experientur cruciatus. Hinc est quod Beatus Thomas cum manum misisset in latus Christi, & digitum in locum clauorum intulisset, nullo eum prorsus affecerit dolore. Similiter quinque nostri sensus, qui rerum externarum visibiles percipiunt species, sine dolore id facient: oculi namque videbunt, aures audient, nares odorabunt, manus palpabunt, gustus de saporibus iudicabit; nullus ibi musicus, qui aure non percipiatur, defuturus concentus, quo Deus *in sæcula sæculorum* laudetur. CHRISTVS quippe & gustu & olfactu dijudicabat post glorioſam resurrectionem cibum sibi à discipulis oblatum, eumque sumebat, quanquam in corpus suum iam glorificatum nullatenus conuerteretur. Itaque *Beatorum corporibus, non potestas*, inquit Augustinus, *sed egestas edendi ac bibendi auferetur. Secunda* est claritas, de qua Paulus, *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Et CHRISTVS ipse, *fulgebunt*, inquit, *iusti sicut sol in regno Patris eorum.* *Ioan. 83. 5.* *Psal 83. 5.* *Luc. 24.* *Aug. 13. Ciui c. 22.* 2. Dos. 1. Co. 15. 43 *Mat. 13. 43* *D. Sotō. s. a. 3.*

Quemadmodum enim viui hominis corpus, pulchritudinis

ſuæ decorem ab animæ mutuatur viuacitate, ita & anima, per inhabitantem in ſe diuinitatem glorificata, corpus quoque reddit glorioſum; quippe cum à corpore quaſi corporali modo ſuſcipiatur. Hæc claritas adeo potenter inhæret animæ, vt eam poſſit vel ſubtrahere, vel communicare quibus, aut quando vult; eamque pro arbitratu corpori indulgere. Hanc quoque claritatem damnati in beatorum corporibus conſpicient, Salomone atteſtante. Chriſtus vero Apoſtolis poſt reſurrectionem eam occultauit. Eſt autem hæc claritas alterius naturæ, quam exterior illa ſolis: cum ſit ſupernaturalis, quæ in diuinarum literarum eloquio, ideo *claritas Dei* nominatur, quod à Deo per animam in corpus deſcendat, atque adeo etiam in tenebroſis luceat corporibus: licet ea nullatenus, quemadmodum ſolis ſplendor facit, calefaciat. Cæterum hæc claritas non æquè erit magna in quolibet beato. Quemadmodum non eſt eadem *ſtellarum* inter ſe, Paulo atteſtante *claritas*, prout enim hic corpora, ac membra noſtra plus minuſue, ob amorem CHRISTI rerum aduerſarum tolerauerint, ita & illic maioris minoriſue claritatis erunt: Quemadmodum candela plus præbet luminis in lucerna, tenue habente vitrum, quam denſum craſſumque.

Sap.5.5.

Apo.21.11.

1.*Co* 15.41

Claritatis diuerſitas vnde.

Eam ob rem, ſi corpus tuum velis poſtmodum inſigni claritatis lumine reſplendere, hic illud iam nunc coarctato, deſpicito, nec cibo potuve ſuperfluo onerato, multo verò minus ſtibio aut purpuriſſa deformato, aut auri margaritarumue pondere deprimito.

3. Dos.

Tertia eſt agilitas, de qua ibidem Paulus, *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Beatorum namq; corpora nullatenus erunt grauia, ſed ſecundum animæ directionem magna incedent velocitate, ac ſine vlla defatigatione volabunt, conteſtante idipſum Eſaia, ac dicente, *current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Poterunt itaq; ſiue terras ſiue maria pedibus inambulare: quin & de loco in locum ſine vllo pedum adminiculo, *tanquam ſcintillæ*, inquit Sapiens, *diſcurrent.* Vnde ex terra volitabunt in cœlum, & de quolibet cœli loco

1.*Co.*15.44

*Iſa.*40. 31.

*Sap.*3.7.

loco in quemcunque etiam remotissimum velint idque exigui temporis momẽto, neque vllo baiulantium Angelorum auxilio, (qui tamen honoris ergo eos ad cœlum deducent,) opus habebunt, quam ob rem si hac agilitatis dote aliquando beari atque exornari cupias, amoue nunc à te omnem in Dei seruitio, proximiq; obsequio torporẽ, desidiamq; atq; è contra ad quodlibet rei bene gerendæ studium agilem te exhibe. Quarta est subtilitas, dicente eodem Paulo *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, Nõ quod corpora ossibus veraque carne destituta erunt, sed quod in omnibus animæ morem gestura sint, sine vlla quã hic in nobis experimur lucta, aut resistentia. Itaq; spiritibus in hoc cõsimilia reddẽtur, q̃ nullum corpus adeo sit solidum futurum, quod sua non queant virtute penetrare: Quemadmodum Christus corpus suum *clausis ianuis* in conclaue intulit, ac sepulchro consignato resurrexit. Penetrabũt namque sine vlla scissione alia quæuis corpora, imo ipsum densissimum cœlum, cum ad Iudicis vocem eò conscendent, sine alicuius reseratione. Verum enim vero vtrum hoc ex subtilitatis dote eis euenturũ sit, an ex assidua Dei id permittentis assistentia, inter doctos disceptatur.

4. dos. 1. *Cor.* 15. 44.

Subtilitas in quo sita?

Ioan. 20. 26.

Matth. 25 46.

Soto sup. art. 6.

Quarto discis, damnatorum corpora, quorum animæ Deum, nec in se habẽt, nec intuentur, omnibus præfatis dotibus priuanda, quæ solis beatorum corporibus ex omnipotentis Dei præsentia conferuntur. Hinc namque est quod Paulus ait: *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Damnatorum corpora (excepta immortalitate) corporales resument conditiones, quas hic habuere. *Imprimis* enim non solum pati poterunt, verum ad sustinendos cruciatus multo erunt, quam vnquam fuerint, accõmodatiora: quorum cutis crassities, & carnis durities nonnunquam doloris sensum hic imminuit. *Secundo*, tenebrosa ac deformia erunt, sine vllo claritatis lumine, in obscuris degentia locis, vbi non plus erit luminis, quam vt ad maiorem damnationum cumulum sese mutuo in grauissimis tormentis conspiciant. *Tertio*, ad instar plumbi erunt grauia, & veluti molaris lapis in tartareã prolabentur abyssum. *Quarto*, erunt, crassa ac densa, ratione vi-

1. *Cor.* 15. 51

Damnatorũ corpora.

1.

2.

3.

Zach. 5. 7. *Apoc.* 18. 21

4.

tioſarum, quibus hic ſuccubuere paſſionum; plena faſtu, odio, inuidia, omniq́ue malitia ac nequitia.

Chriſtus cur ab initio nō habuerit has dotes.

Quinto diſcis, Chriſtum qui ſecundū animam diuina ſemper viſione fruebatur, quatuor prædictas dotes potuiſſe hic ſuo cōmunicaſſe corpori, ſed noluiſſe. *Primo*, quidē ꝙ *in omnibus*, vt Paulus ait, *abſq; peccato*, cuperet aſſimilari nobis, prędi-

1. *Heb.* 4. 16. tus nimirū corpore mortali, paſſibili, viſibili, ſenſibili, prout reliqui omnes. *Secundo*, quia cruciatibus, ac pœnis corporis,

2. immo corpore ipſo noſtra debuerit luere, atque adeo abluere delicta. *Tertio*, ꝙ prius voluerit haſce ꝓmereri dotes. Quē-

3. admodū alibi ait: *Luc.* 24. 26. *oportuit pati Chriſtū, & ita intrare in gloriā ſuā.* *Heb.* 1. 9. & B. Paulus, *videmus*, inquit, *Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatū*: vt & nos ꝓ virili per bonorū operū exercitationē, ac patiētiæ meritum haſce ꝓmereri dotes ſtudeamus. Nihilominus tamen, vt nobis oſtenderet facultatē ſibi nō deeſſe, demōſtrauit interdum virtutis ſuę potentiā: nēpe

Chriſtus aliquādo exeruit has dotes.

1. *imprimis* impaſſibilitatem, ieiunando ſine difficultate dies

Matt. 4. 2. quadraginta totidemq́; noctes. *Secundo*, ꝙ ad claritatis dotē

2. attinet, illius hic in ſua transfiguratione ſpecimen exhibuit.

3. *Tertio*, agilitatē ſuam corā diſcipulis oſtendit, mare inambu-

Mar. 6. 49 lans, putantibus ſpiritū, aut phantaſma ſe conſpicere. *Quarto*,

4. *Luc.* 4. 30. ſubtilitatem, quando inuiſibilem ſe præbuit, tum Nazarethi vbi ex montis ſupercilio in præceps erat dandus, *tranſiens per*

Ioan. 8. 59. *medium ipſorum*, tum bina vice Hieroſolymis: prima quidem,

Ioan. 10. 35 quando lapidibus erat impetendus, abſcondendo ſe, ac corpus ſuū inuiſibile reddendo, altera, cum exiens de manibus Iudæorum quærentium eum apprehendere, ſe ſubduxit. ſimiliter cū clauſtri virginalis conſeruata integritate, ex materno egrederetur corpuſculo, apertè demonſtrauit, quod ſubtilitatis dotem poſſet corpori ſuo communicare.

IV.

Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Marcus hæc ita

Marc. 9. 3. exprimit: *Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* per quæ inſinuare volunt Euangeliſtæ veſtiū Chriſti claritatē, ex di-

Veſtis Chriſti honoranda.

uina corporis claritate, cuius reddebantur participes proueniſſe. Vnde inprimis diſcere licet, ꝙ merito hanc Chriſti veſtem magno in pretio ſemper Chriſtiani habuerint: quæ etſi

ſim-

ſimplex, vt ait Iſidorus Peluſiota, fuerit, omni tamen digna eſt honore, tum, ꝙ à B. Virgine Maria, Euthymio teſte contexta ſit, tum, ꝙ ab ipſo ſacratiſſimo Chriſti corpore aliquã hauſerit ſanctimoniam, adeo vt ſanguinis profluuié in muliere ſtiterit (*retinet enim*, vt Gregorius Turonenſis ait, *conſtans Chriſtiani populi fides omne, quod ſacroſanctum Chriſti corpus attigit ſacratum eſſe*) tum etiam propter diuinam hanc claritatẽ, per hoc veſtimentum refulgentem. De quo præfatus ſcribit S. Gregorius, ꝙ ſua ætate in ciuitate Galathiæ, in baſilica quæ ad ſanctos Archangelos vocitata erat, magna cum reuerentia obſeruata fuerit. Eſt aut hæc ciuitas inquit ab vrbe Conſtantinopol. quaſi milibus 150. in qua baſilica eſt crypta abditiſſima: ibique in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca à deuotis atque fidelibus ſumma cum diligentia adoratur. Cuius tamen aſſeruatæ veſtis gloria, nunc penes Treueren. eſt: qui aureo panno, quem Maximilianus I. huius nominis Cæſar, in hũc donauit vſum, eam attexuerũt, exhibentes quolibet ſeptennio ad dies tres omnium aduentantiũ, ac ſingulari cũ pietatis ſtudio humi procumbentiũ, oculis venerandam. fuit autẽ nõ candida cum à Chriſto portabatur, ſed ſanguinei coloris: prout videre licet in antiquiſſimis D. Virginis imaginibus, à B. Luca Nicephoro atteſtante, depictis: nec non & veſte hac, quę Treuiris cõſpicitur, in caſtaneum paulatim declinante colorem. In hac tamen nihilominus transfiguratione nullum præter fulgidũ exhibet candorem, ad oſtendendum in cœleſti gloria nihil externis deformatũ eſſe coloribus, vbi omnia lucida, ac nitida reſplendent. *Non* enim *intrabit in eam aliquod*, inquit S. Ioãnes, *coinquinatum*. Quicquid in illam ingreditur, nitidum debet eſſe, ac ſplendidum per Dei gratiam, vt diuinæ claritatis lumine condigni inueniamur.

Iſid. l. 1. ep. 74. Euthy. Matth 27 Matt. 9. 22 Greg. l. 1. de gl. Mar. c. 7.

Ibi. c. 8.

Veſtis Chriſti vbi aſſeruata olim.

Seruatur nũc Treuiris.

Color eius.

Niceph. l. 15. c. 14.

Apoc. 21. 27.

Diſce *ſecundo*, etiam illorum, qui nunc perpetuum cum Chriſto regnant, ſanctorũ veſtes in pretio habẽdas. Quemadmodũ Helię palliũ honorauit Hæliſęus, cuius virtute Iordanis aquas diuidens, ſicco eas tranſiuit veſtigio: quanquam Helias tũc quidẽ tẽporis necdum æterna frueretur beatitudine, raptus ſolũmodo in terreſtrẽ paradiſum. B. Anthonius in

Veſtes Sãctorũ honorandæ.

4. Reg. 2. 14.

Veſtis S. Pauli Eremitæ.

In vita S. Pauli *Nicep. l. 15. c 24.*

Greg. l. 2. ep. 3. ind 11 Ioã. Diac. l. 3. c. 57. 58. Greg. lib. 3. hiſt. Frãc. c. 29.

Ambr. ep. 85. ad ſororem.

Virtus lanæ cui imponũtur reliquiæ S. Agathæ.

in tanta reuerẽtia Pauli Heremitæ tunicam habuit, vt ea nõ niſi diebus ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes, teſte Hieronymo vteretur. Scribit Nicephorus Leonem Imperatorem Blanchernæ prope Cõſtantinopolim, rotundum Dei genitrici, in quo veſtis eius repoſita erat, cõdidiſſe templum: veluti inuictum perpetuumq; vrbis præſidium, quæ varios repellit morbos, & miraculis, quę in ea fiunt naturã, & vim tẽporis ſuperat. Gregorius quoque Papa à Ioãne Abbate mitti ſibi S. Ioannis Euangeliſtæ tunicam petebat, q̃ altari Lateranenſis Eccleſię impoſitam, plurimis miraculorum effulſiſſe virtutibus, teſtis eſt in vita Gregorij, Ioannes Diaconus. Refert etiam Gregor. Turonenſis, cum anno Domini 524. Cæſarauguſtana ciuitas eſſet à Gallis obſeſſa, ciues cũ tunica Beati Vincentij Martyris, muros pſallendo circuiſſe, Galloſque re infecta diſceſſiſſe. Quin & D. Ambroſius commemorat Chriſtianos olim roſaria, ac indumẽta ſuper ſacratiſſimas Geruaſij & Protaſij Martyrum reliquias iactitaſſe, vt tactu ipſo medicabilia repoſcerentur. Cõſtare autem cuiuis arbitror quo pacto Catharinæ in Sicilia quotannis lana, in qua reliquiæ S. Agathæ martyris inuolutæ ſunt, immutetur, quæ populis viritim diſtributa, aduerſus Æthnæ montis incendia, pagos, agros, ac vineta defenſat. Quippe qui iugiter in ſummitate ardens, nonnunquam inſtar bullientis ollæ vapores flammaſque in modum cinerum, atrociſſimorumque carbonum eructat. adeo vt circumiacentis terrę ſuperficiem vndequaque cõtegat. Cuius incommodum, vt anteuertant, abigantque Chriſtiani, ſpiris goſſipij, quæ reliquias præfatas Martyris attigerunt, regiones ſuas circumuallant. Olim verò cum quid reliquiarum Magnates à Põtificibus expeterent, non quidem aliquid inde mittebatur (quippe quas ob reuerentiæ metum nemo citra mortis, quæ nonnunquam eos inopinatè opprimebat, periculum audebat cõtingere) ſed linteum, aut ſericeum aliquem mittebant panniculum; quem brandeum Beatus Gregorius nominat; quam in ſepulchrũ, ſeu confeſſionis locum demittebant, quatenus ſacrarum cõtactu reliquiarum, vel ſaltem ſepulchri, aliquid inde ſanctitatis elicerent. Fatetur hoc ipſe Gregorius ad Cõſtantiam

Greg. lib. 3. ep 30.

Augu-

Auguſtam, petentem nonnihil S. Pauli reliquiarum in cuius honorem Byzantij celebrem ędificauerat Eccleſiam, vbi inter cætera etiam hæc, quæ B. Leonis accidere temporibus, commemorat, contigit, inquit, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, vt prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipſius inciſione ſanguis effluxerit. Idipſum quoque Ioanne Diacono litteris commendante, Gregorio accidit: qui petentibus per ſuos legatos quibuſdam occidentalibus, eaſdem reliquias clauſas tranſmiſit. Legati autem per aliquot milliaria profecti, eas in itinere, ambigui quid ferrent aperuere: qui nihil præter panniculos reperientes, Romam rediere deluſos ſe arbitrantes. ſimulque dicentes, Dominos ſuos pulcherrimis abundare pallijs, ac per hoc ſe vilioribus Romanorum panniculis nequaquam indigere. Quos tamen vbi Gregorius ſacro impoſuiſſet altari, cum circumſtantibus omnibus in orationem ſe dedit, vt Deus omnipotens quod à liminibus Apoſtolorum tranſmiſſi eſſent, pro reliquijs honorari debere oſtenderet. Deinde ab oratione conſurgens, incredulos legatos propius accedere iuſſit. cultellum petijt, more ſanctiſſimi Papæ Leonis brandeum pupugit, de cuius punctione ſanguis confeſtim emanauit. *Quarto* diſcis, etiam veſtes, & quidquid Sanctorum adhuc viuentium concernit corpora, virtutem aduerſus hoſtes habere, per meritum, ſanctitatem diuinamque gratiam, quæ in ipſis eſt. Ita namq; B. Petri vmbra miraculis inclaruit, nec non & Pauli ſudaria, ac ſemicinctia, & ægros curabant, & dæmones, vti tam ex Actis Apoſtolorum, quam ex catecheſibus B. Cyrilli Hieroſolymorum Epiſcopi conſtat, abigebant. Magnus quoque Theodoſius, quemadmodum de eo commemorat Metaphraſtes, cum hoſtibus manum conſerturus, Senuphij Monachi præſentiam expetijt. Qui venire recuſans, ſuper humerale ſuum, ſeu ſcapulare, vt vocant, vna cum baculo Imperatori tranſmiſit. Quæ cum gratiarum actione acceptans, prælium que primus inijt muniens caput ſuum humerali, loco galeę, baculo autem inſtar lanceæ manus armans; ſicque cum hoſte confligens victoriæ palmam retulit, ne vno quidem de ſuis deſiderato. Huiuſcemodi

Ioã. Diac. l. 2. c. 42.

Veſtes Sanctorũ adhuc viuentium valẽt cõtra mala.

Act. 5. 12. Act. 19. 20 Cyrill. cat. 17.

Theodoſij ſenioris ſtratagema.

Apud Sur. Ianuar. 31.

modi autē vestes, quæ in vita piorū hominum per Dei gratiā tantam cōsecuti erant virtutē, post illorū obitum per gloriæ claritatē maiorem promerentur reuerentiæ dignitatē. Quin & B. Greg. scriptis ꝓdidit sudarium B. Pauli Apostoli, quod, cum adhuc viueret, hinc inde ad morborum vim profligandam circumferebatur, post obitum in sepulchro eius repositum, à nemine contingi potuisse. Sanctorum ergo reliquias exuuiasque, quarum virtus de eorum gloria luculentum testimonium præbet, in magna veneratione habeto contemnens interim hæreticorū quascunque irrisiones, ægre ferentium, ꝙ ipsorum Magistri, dæmones, per sanctorū reliquias crucientur profligenturque, prout rectissime Vigilantio objicit S. Hieronymus.

Greg. l. 3. ep. 36.

Vestes sacræ honorandæ.

Quinto disces, quod vestes, quæ vel in sacri altaris, aut Deo dicatorum hominum vsum sacratæ dedicatæque sint, etiam in pretio haberi debeant; tum propter solemnem diuinæ benedictionis, orationisque efficaciam, tum ob sacrificij, ad cuius applicantur vsum, reuerentiam, ipsiusque religiosæ vitæ sanctimoniam. Ipsimet beatorum Angelorum Spiritus in Sacerdotum, Diaconorumq; amictu sese aliquando hominibus cōspiciendos (vti de B. Anastasio Martyre refert, Metaphrastes) exhibuere, prorsus vt perperam agant, qui in histrionicis actionibus, scenicisque ludis, vestibus sacris & maximè diuini altaris cultui dedicatis abutuntur, aut religiosorum habitum cachinnis dicterijsque exsibilāt. Cōtigit namque Salmanticæ B. Dominici ætate, circa annum Domini 1217. quod quidam Magister Nicolaus cum in conuentu Prædicatorum pransus esset, vt domum se recipiens ob imminentem pluuiam Monastico operiretur cucullo, ne vestes eius madefierent. Quo cum studiosorum ædes histrionico obiens more, omnibus se vltro ridendum obiecit: sed haud impunè, eadem etenim nocte in tam acutam incidit febrem, vt de eius vita à medicis esset conclamatum. Vnde feruentes ad Deum, vt hanc ei noxam condonaret preces effundens, audiuit diuinitus vocem ita dicentem; putas ne me ipsas fratrum prædicatorum personas duntaxat velle honore, ac reuerentia affici? Ego vero id te scire velim, me & vestes eorum

Apud Sur. 22. Ianuarij.

l. 2. vitæ S. Dominici c. 12. apud Sur. 5. Augusti.

rum nolle debita fraudari reuerentia. Quas cum tu contumelia affeceris, niſi per pœnitentiam reſipueris, non id impunè feres. Ea vox vbi nõ dormientis, ſed vigilantis auribus illata eſt, omnia eius viſcera concuſſa ſunt. Vocatis autẽ fratribus habitum quem cum cachinno geſſerat, multa cum reuerentia ſolemniter induit, vt hac ratione ſerio expiaret, ꝙ ſcenice perperam admiſerat. Itaq; hæc quintuplex veſtimẽtorum conditio à Chriſto ſuam ſortitur reuerentiam, omnis nimirum ſanctitatis fonte, prout ex veſtium ipſius immutata claritate hic datur intelligi.

B. Anſelmus vero ſpiritualiter hanc veſtimentorũ Chriſti claritatem ita exponit, vt ſanctos ipſos denotent, de quibus Eſaias vates ad Chriſtum; *omnibus his*, inquit, *veluti ornamento veſtieris*. Hæ autem veſtes ideo niui comparantur, quod ſancti virtutibus nitidi ſint, & ab exurente ſolis æſtu remotiſſimi. Quem quidem candorem nemo fullonum conciliare poteſt, quia in hac lacrymarũ valle, nemo mundus à ſorde. Verum ꝙ fulones, hoc eſt animarum doctores, hic efficere nequeunt, Deus in cœlo perficiet, vbi Eccleſiam ſuam ſanctam *emundabit ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*. Gregorius quoque dicit, quod ſicut tota ſimul Eccleſia veſtimentum Chriſti eſt: ita fideles quique, eiuſdem Eccleſiæ veſtimenta deputantur: qui omnes à Chriſto claritatis ſplendorem percipient, prout Paulus ait, quod reformaturus ſit *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Poſſunt & ſubditi per Chriſti veſtimenta intelligi, quibus ſufficit, ꝙ à peccatorum maculis immunes nitidique ſint; cum interim ſuperiores, vtpote capita ac facies corporis, ſplendere debeant, Chriſto id ipſum confirmante, ac dicente; *Vos eſtis lux mundi*, oportet ergo, vt *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Qua de re varijs in locis agit Chryſoſtomus, inſtruens ſuperiores quo pacto vitam inculpatè debeant tranſigere; & poſt eum Gregorius, in opere paſtorali, ꝙ hac de cauſa potiſſimum conſcripſit, ſicuti namque Chriſti, in hac transfiguratione, corpus clarius reſplenduit, quam veſtimenta; ipſeque nunc in cœlis ſanctorum omnium gloriam exuperat, ita & ſupe-

Anſel. c. 17 Matth. Veſtes ſignificant. 1. Sanctos. *Iſa. 49. 18.*

2. Cor. 2. 1. *Gregor. 20 Mor. c. 24.* 2. Eccleſiã

Philip. 3. 21 3. Subditos.

Matt. 5. 16 *Chryſ. ho. 85. in Ioan. 34. ad Heb. 3. in Acta. l. 2. de Sac. c. 1.* Superiores ſint clariores ſubditis.

ſuperiorum vita ſubditorum debet præeminere, vt ſuæ claritatis per doctrinæ, ac bonorum exemplorum ſtudium, ijs aliquid impertiantur: quatenus ipſorum gloria in cœleſti beatitudine eò magis effloreſcat, quo hic ſublimiorem in terris locum conſecuti ſunt.

V. Luc. 9. 30. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Helias cum eo loquentes*; Lucas hoc pacto. *Et ecce duo viri loquebantur cũ illo: erãt autem Moyſes & Helias, viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, quẽ cõpleturus erat in Hieruſalem.* Veteris Teſtamenti Iudæi in vnum, qui venturus erat, Chriſtum, ſpem ſuam defixerant perſonam, tamen illius ignorantes. Verum Deus nos docere vult, non ſufficere in noua lege generaliter in Chriſtum, quem aduenisſe ſcimus, credere; ſed ꝙ ſcire etiam oporteat, quis nam ille ſit, vt eum agnoſcẽtes, in rebus afflictis patronũ habeamus. Itaque pater cœleſtis bis de Chriſto filio ſuo teſtimonium protulit: *Primo* quidem baptiſmi tempore, cum in ſpecie columbæ Spiritum S. cœlitus demitteret. *Secundo*, in hac transfiguratione, vbi duos in mediũ adducit veteris legis Prophetas, nõ ſolum teſtificantes hunc Ieſum eſſe Chriſtum, ſed quod dignitate ipſis eſſet ſuperior, quodque humanum genus, per acerbiſſimæ paſſionis exceſſum, Hieroſolymis eſſet redempturus. Chryſoſtomus, alijq; patres varias adferunt rationes, cur ex antiqua lege, hi duo potiſſimum ad hãc rem ſint præ cęteris delecti. *Primo*, vt homines qui Chriſtum ꝙ Helia, aut Prophetarũ aliquo (ſicuti Apoſtoli aiebant) habebant, ſcirẽt Chriſtum plus eſſe, quam vllum prophetam, videntes nimirum, ꝙ duo Prophetarum principes Moyſes & Helias perſonaliter accederent vt Chriſto deferrent honorem, ac de eius gloria teſtificarẽtur, imo & participes eiuſdẽ redderentur: illa etenim gloria in qua fuere viſi, nõ equidẽ ipſorũ erat, neq; ex ipſorũ animabus, beatifica viſione necdũ fruentibus ꝓueniebat, ſed ex præſentia claritatis Chriſti, corpora eorũ eximio ſplẽdore illuminãtis. *Secundo*, vt demõſtrarent Chriſtum nihil vnquam ad labefactandum veteris decreta legis, prout Iudæi calumniantes obiectabant, commiſiſſe: Ad cuius rei confirmationem duos hoſce præſentes eſſe voluit: Moyſen quidem, quod per eum diuinitus lex eſſet promulgata;

In Chriſtũ quomodo credendũ iam?

Matt. 3 17. Matt. 17. 5.

Chryſoſtho. 57 in Mat.

Cur hi duo appareant præ alijs?

1. Ratio.

Matth 16. 14.

Moyſis & Eliæ gloria vnde?

2. ratio.

Ioan. 8. 48

Exod. 20. & ſeqq.

gata; Heliam vero, quod is grauiter in legis tranſgreſſores olim animaduertiſſet. Quorum vterque non honoraſſet Chriſtum, ſi quid aduerſus legem deliquiſſet. *Tertio*, vt nos doceret, Chriſtum vitæ neciſque eſſe Dominum, ſummorum æque ac infimorum, cui mortua quoque viuunt. Moyſes namque obierat, Helias vero etiamnum viuit quorum hic in terreſtri degit paradiſo, ille autem in limbo agebat. *Quarto*, vt hoc exemplo inſtrueremur quanta ſit felicitas, baiulare crucem, ac pro iuſtitia ærumnas perpeti, prout ante dies admodum ſex Chriſtus prolixe differuerat. Moyſes etenim magna animi conſtantia, plurima ab Ægyptiorum Rege Pharaone ſuſtinuerat, & Helias ſimiliter ab Achab. *Quinto*, vt Apoſtoli cæterique Prælati edocerentur, quomodo eximiorum horum duorum Prophetarum veſtigijs, bene viuendo inſiſterent: imitando inſignem Moſaicæ charitatis feruorem, qui pro Iſraëlitici populi abolendo delicto. Deum omni animi conatu precabatur dicens; *aut dimitte illis hanc noxam*; *aut ſi non facis, dele me de libro vitæ.* Heliæ vero æſtuantem zelum, quo inflammatus quadringentos quinquaginta prophetas Baal internecione deleuit, ac bis quinquagenarios, vna cum ſuis fulmine enecauit. *Sexto*, vt aliquod ſecundi ſui aduentus ſpecimen ederet, quando nimirum ingenti cum gloria, ac magno ſanctorum comitatu, veniet *iudicare viuos & mortuos.* *Septimo*, quod per CHRISTVM non ſolum qui nunc viuunt aut poſtmodum victuri ſunt, verum etiam omnes qui ante ipſum in veteri lege vixerunt ſaluandi ſint, ac per ipſius ſolius fidem cœleſti gloria exornandi. *Octauo*, quod iam dudum ante, Moyſi ſpem feciſſet, *poſteriora ſua*, hoc eſt, humanam ſuam naturam ſe ipſi exhibiturum. *facies* namque eius hoc eſt diuinitas, non in hac mortali vita, ſed in futura conſpicietur. *Nono*, quod hi duo Prophetæ quadraginta dierum ieiunio, idoneos ſeſe feciſſent, vt diuino fruentes colloquio quaſi legatorum vice fungerentur. *Decimo*, vt oſtenderet diſcipulis, potuiſſe ſe quod Phariſæis petentibus ante recuſauerat. ſigna & prodigia *de cœlis*, (vt ait Hieronymus) euocando non ſolum Heliam ex Paradiſo, ſed & Moyſen ex limbo.

3. *Re.* 18. & 4. *Reg.* 1.
3. Ratio.
4. Ratio.
5. Ratio.
Exo. 32. 32.
3. *Reg.* 18. 4. *Reg.* 1.
6. Ratio.
Matth 25.
7. Ratio.
8. Ratio.
Exo. 33. 23.
9. Ratio.
Exod. 34.
3. *Reg.* 19.
10. Ratio.
Hieron. Matth 16.

11. Ratio. *Vndecimo*, vt nos doceret Chriſtum legis ac Prophetarũ eſſe finem, quæ vti hominem ad Chriſtum perducere, conabatur, ſic nunc finem accipiens ab eodem conſummari atque adimpleri debebat, prout diſcipulis prædixerat. Ideoque vterque à Chriſto illuminatur, vt legis prophetarumque vmbræ ac caligo ab ipſo elucidarentur. *Poſtremo*, vt nos à ſæculari vita ad ſpiritualem translati vitam ac mortem perpetuo meditemur, & quod quamdiu vita fruimur, multum debemus acquirere boni cum id poſtea fieri nequeat, ac mortem quotidie ante oculos proponere.

Matt. 5. 17

12. Ratio.

Quomodo hi duo montem aſcenderint.

Quærunt hic doctores quo pacto hi duo montem aſcenderint. Et quidem de Helia nulla eſt difficultas: qui etiamnũ in terreſtri paradiſo vitam agit, vbi mundi præſtolatur exitum, quoaduſque, vna cum Enoch, veniat Iudæos ad fidem Chriſti conuerſurus. ſicut homo huc potuit accedere, delatus nimirum ab angelis, quorum opera in paradiſum denuo translatus eſt. Verum de Moyſe, qui vita functus in limbo cum cæteris agebat, maior eſt quæſtio. Vnde nonnulli aſſerunt eum ſecũdum animam ſolummodo præſentem fuiſſe, corpore aëreo circumueſtitam: prout tam mali, quam boni angeli ſolent hominibus apparere, & Samuelis anima Sauli. Vnde Diuus Auguſtinus efficaciter probat, defunctorum animas viuis nonnunquam apparere. Cuius rei plurima paſſim apud Beatum Gregorium, alioſque Patres exſtant exempla; tum beatorum nunc in cœlis cum Chriſto degentium, ſicuti Fœlix Papa, Tarſillæ nepti apparuit; tum damnatorum, quemadmodum de Theodorici Arrianorum Regis anima in Vulcaniam ollam detruſa paulo ſuperius commemorauimus; nec non & illorum quæ etiamnum in purgatorio expiantur. Sic de Paſchaſio Diacono legimus quod ſe Germano Capuano Epiſcopo, in thermis conſpiciendum exhibuit; & de alio quodam, qui Ioanni presbytero in thermis miniſtrans Miſſæ officium pro animæ ſuę ſalute offerri precabatur. Quin & Petrus Damiani Cardinalis refert Sanctum Seuerinũ Colonienſium Archiepiſcopum, apparuiſſe cuidam clerico, Vadum fluminis tranſeunti: cuius equi habenas apprehendens dixit, ſe acerbos tolerare cru-

Eli. 5. Apoc. 11. 3. Mala. 4. 5. 4. Reg. 2.

De Moyſe 1. ſententia

1. Reg 28. Aug de cura pro mort. c. 15. Gregor 4. dial. c. 16.

Greg. ſer. c. 40. 55.

Apud Sur. to. 7. ſed vide Baro. 23. Octobr.

cruciatus, quod horarias preces non per diſtincta temporum interualla, ſed mane, vt liberius alijs inſiſteret occupationibus, omnes ſimul abſoluiſſet; rogare ergo, vt vna cum Clero Colonienſi, pro ſe apud Deum intercedat. Cumque datam clerici manum fluctibus Epiſcopus impreſſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit, vt vndique carnes diffluerent, & oſſa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Alij tamen probabilius dicunt, Moyſis animam diuina potentia proprium aſſumpſiſſe corpus: vt ambo realiter comparentes, veri veritatis teſtes adeſſent, non in phantaſtico corpore. Alioquin ſi Moyſis anima, non verũ aſſumpſiſſet corpus, ſed tantum aëreum, non potuiſſet pro integro haberi teſte; ſed pro dimidiato: anima nimirum comparente, & corpore deficiente. Neque vero hoc aut diuinæ potentiæ ſuperat vires, quę nos omnes in die iudicij proprijs veſtiet corporibus; aut eius cõſuetudini repugnat, qui adeo veritatis eſt amans, vt pro illius confirmatione nonnunquam etiã mortuos reſuſcitet, linguaſque infantium etiam in minori neceſſitate ſoluat. Atque vt illos taceam, qui cum Chriſto reſurgentes, multis in ciuitate ſancta apparuerunt, in teſtimoniũ Chriſti reſurrectionis, non poſſum, quin illud ꝙ in Polonia circa annum Domini 1020. accidiſſe Ioannes Longinus in vita S. Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, iuxta ac Martyris cõmemorat, referam. Ea tempeſtate apud Polonos regnabat Boleslaus, qui in omni impietatis turpitudiniſque genere volutatus, etiam aliorum ſtuprabat vxores. Quem cum Epiſcopus pro ſuo officio bis terue moneret, ille potius inuidiæ facibus aduerſus eum exarſit, quam vt melioris vitæ propoſitum capeſceret; quæritans interim omnes vindictæ modos, vt calumnijs irretitum circumueniret. Emerat vir beatus in tractu Lublinenſi pagum petrauinum, à Petro quodam equite, vnico pagi eius hærede, quem Cracouienſi Eccleſiæ, pretio eius teſtibus præſentibus integre perſoluto, adiunxerat, eumque iam prope triennio abſque vllius infeſtatione poſſederat. Rex vero vbi comperit Petrum obijſſe, vocat tres defuncti nepotes, ad quos pagus ille iure hæreditario deuolutus eſſet, hos hortatur inſtigatque, vt Stanislaũ

2. ſententia de Moyſe.

Matth. 27

Apud Sur. 11. April.

Epiſcopum de interuerſa hæreditate deferant, atque in ius trahant. Promittit vir Dei ſe teſtes producturum, verum illi Regis pertimeſcentes iram detrectant teſtimonium. Quod vbi Epiſcopus comperit, cõſtanti voce dicit ſe poſt triduum teſtem veritatis omni exceptione maiorem producturum, ipſum nimirũ Petrum triennio iam vita functum, illi in riſum verſi, ſibilis ac ſannis virum Dei, tanquam mentis parum cõpotem excipiunt. Interea Stanislaus veſte indutus cilicina, cum clericis, pauciſq; laicis in Petraninum diſcedit pagum, nocte dieque precibus ieiunijſque inſiſtens. At vero vbi ſpõſionis illuxit dies, re diuina ex more peracta, pontificali indutus veſte, ad Petri accedit ſepulchrum, amotaque per miniſtros humo, ſubmittit ſe in genna, & fuſis magna cũ fiducia ad Deum precibus, putrefactũ cadauer, iubet in puluerem iam ferme redactum, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, à mortuis reſurgere, vt veritati à filijs hominum proſtitutæ, deſertæque teſtimonium perhibeat. Confeſtim reuiuiſcit homo, cuius manum apprehendens Epiſcopus, in præſentiam adducit Regis, teſtiumque qui venditioni interfuerant, & nepotum, quos omnes ille acriter increpans, rem vt geſta erat publice enarrat, adeo vt Rex tam euidentis miraculi teſtimonio conuictus, quamuis non abſque multo animi felle, præfatum pagum Cracouienſi adiudicauerit Eccleſiæ. Beatus autem Antiſtes ſciſcitatus eſt Petrum, an ad tempus aliquot vitæ huius mortalis vſu frui cuperet? non dubitare ſe, quin id precibus à Deo eſſet obtenturus. Ad quę ille; Gratias, inquit, ago ſanctitati tuæ Venerande Pater: ſed mihi id nunc optabilius eſt, vt me meo reſtituas ſepulchro. Nam exiguo adhuc tempore pro erratis meis in purgatorij locis manſurus ſum, tu interim Deum pro me orato, vt breui eius in cœlis potiar aſpectu. Quo dicto in ſepulchrum redijt. Hoc ſi per Stanislai Epiſcopi preces, propter vnius ſolummodo pagi conteſtandam venditionem fieri permiſit Deus, non mirum ſi Moyſen è ſepulchro ſuſcitauit, vt palam teſtaretur Ieſum Saluatorem noſtrum verum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam.

In vitis PP. p. 2 l. de virt. pati & hum. §. 37.

Cum iuxta Beati Macharij Abbatis cellulam homicidium ali-

aliquando fuiſſet perpetratum, & cuidam homini innocenti impingeretur crimen, ille ſe à iuſtitiæ miniſtris apprehendendum pertimeſcens. Ad Macharij confugit auxilium. Qui ad defuncti ſepulchrum vna cum miniſtris, alijſque plurimis perduci poſtulans, in vota preceſque procumbit, tandemque contenta voce defunctum inclamans; præcipio, inquit, tibi per Chriſtianę fidei quam profitemur veritatem, vt nobis edicas, an hic homo qui homicidij inſimulatur, vita te priuauerit. Ille vero id aperte negare. Tum illi obſtupefacti rogare Macharium cœperũt, vt porro interrogaret, quiſnam igitur ille eſſet, qui ſe hoc ſcelere cruentaſſet. Ad quos Sanctus vir, ait. *Hoc ego nullatenus interrogabo, ſufficit etenim mihi, vt liberetur innocens, non eſt autem meum, vt reus prodatur qui forſitan animo compunctus, aliquando pro facinore ſuo pœnitentiam aget.* Ado Treuerenſis Archiepiſcopus ſcribit tempore Iuliani Apoſtatæ Euſtaſium, Tuſcię rectorem ac fiſci exactorem, cum peregre eſſet profectus, vxori pecunias officij ſui cuſtodiẽdas reliquiſſe. Illam autem ſuperuenientibus hoſtibus, eas omnes, nemine conſcio, in terram defodiſſe ac paulo poſt, marito abſente, obijſſe. qui poſtliminio domum rediens, animo conſternatus quod nihil nummorum inueniſſet, cum ei à principibus ſupplicia intentarentur, ad Beatum Donatum Aretinum Epiſcopum cõfugit, auxilium conſiliumque poſtulans; Qui ad vxoris ſeſe conferens ſepulchrum, voce magna clamitauit. Euphroſyna (hoc namque defunctæ erat nomen) per Chriſtum crucifixum te coniuro, vt dicas nobis quid factum ſit de pecunia fiſci; quia vir tuus pro ea, ab exactoribus valde affligitur: illa vero è ſepulchro reſpondit, humi eam eſſe defoſſam, haud procul ab oſtio, vbi etiam reperta eſt; Beatus * Aldelmus Schireburgenſis in Anglia Epiſcopus, Romæ circa annum Domini 690. degens, repperit ibidem, puerum quendã thoro illegitimo genitum, prauorum quorundam hominum rumore Sergio Pontifici adſcribi. Qua re commotus ſane Aldelmus, multumque dolens Pontificem haud vulgari ſibi amicitia deuinctum, eiuſmodi fœdari infamia, puerum non niſi dies nouem natum, exhiberi iubet, eique in virtute & nomine Iesv Chri-

Apud Sur. 7. Auguſt.

* al. Althelmus.

Apud Sur. 25. Maij c. 3

ſTI imperat, vt edicat, num Sergius Papa eo ſe ſcelere obſtrinxerit? Cui infans diſtincto apertoque ſermone reſpondit, Pōtificem illi crimini nequaquam affinem eſſe, nihil illum fœmineo cum ſexu commercij habere. Simile quid & Beato Brixio, Turonenſis Eccleſiæ poſt Sanctum Martinū Epiſcopo accidiſſe, Gregorius itidem Turonenſis Antiſtes commemorat. Qui cum à populo lapidibus eſſet opprimēdus, quod ex lottice ſua filium ſuſtuliſſe diceretur, infantem ad ſe deferri poſtulauit. Erat is triginta, aut amplius dierum; cui Brixius, adiuro te, inquit, per IESVM CHRISTVM Dei Filium vt palam conteſteris, num ego tuus exiſtam genitor. Et infans: non es, inquit, tu pater meus. Populis autem clamantibus ac perurgentibus, vt infantem patris nomen prodere cogeret, reſpondit: Quod ad me pertinet, ſollicitus præſtiti. Vobis ſi quid præterea ſuppetit, per vos requirite. Hæc adeo fuſe hic enarrare volui, vt *inprimis* doceamur Deū ſingularem eſſe veritatis (eſt namque veritas ipſa) amatorem. *Secundo*, ne vnquam veritati præbere teſtimonium detrectemus. *Tertio*, vt ſtudioſe à mendacio periurioque nobis caueamus.

Greg. l. 2. hiſt. Frāc. c. 1.

Quæri hic poteſt vnde diſcipuli Moyſen & Heliā agnouerint, Euthymius arbitratur eos ex Hebræorum libris, in quibus eorum erant imagines, id habere potuiſſe, aut veterum relatu. Fatetur namque Beatus Ambroſius, ſe Pauli Apoſtoli, vna cum Geruaſio ac Protaſio ſibi apparentis vultum, ex eius pictura qua vtebatur, agnouiſſe. Quemadmodum & Chryſoſtomi diſcipulus Proclus, eundem Beatum Paulum ex imagine illa, quam ſuus Dominus ante oculos ſemper habebat, patenter deprehendit. Theophylactus autem ait ex verbis ipſorum potuiſſe ipſos dignoſci, Moyſe forſitan allegante, quod Chriſti mortem per agni paſchalis occiſionem præfiguraſſet. Heliā vero quod viduæ filium reſuſcitando, eiuſdem reſurrectionem expreſſiſſet. Ita quippe Iudas Machabęus ex verbis Onię Pōtificis Ieremiam agnouit, dicentis; *Hic fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate Ieremias Propheta Dei.*

Quomodo Apoſtoli agnouerint hos duos.

1. Sentētia. *Euthym. Matth. 17.*

Apud Sur. 19. Iunij.

Apud Sur. 29. Ian.

2. Sentent. *Exod. 12.*

3. Reg. 17.

2. Mac. 15. 14.

Poſſu-

Possumus & nos id in diuinam reuelationem referre: vt nimirum doceamur, quo pacto sancti se mutuo in cœlis agnoscant, nempe duobus potissimum modis: *Primo* in Deo vt ait Gregorius, in quo omnia videntes, nihil ignorare poterunt. *Deinde* ex ipsis operibus sanctorum quæ in eorum animabus depicta, quasi in imagine conspicient. Quemadmodum enim, inquit Beatus Basilius, in cognitionem alicuius deuenimus, cum res ipsius gestas, quas alias enarrari audieramus, intelligimus, nimirum si dicatur, hic est ille talium ac talium rerum patrator; ita post hanc vitam omnes homines agnoscemus, videntes in illorum animabus, quid vnquam perpetrauerint. illic namq; nemo poterit latere, vbi omnium cogitationes, actiones, locutiones siue publicæ siue occultæ sint, à singulis agnoscentur; Quemadmodum post *a* Basilium, *b* Bernardus fatetur; idque diuinæ virtutis potentia, inquit *c* Augustinus. Itaque beati etiam damnatos in inferno agnoscent, & contra; prout tam Abraham epulonem, quam epulo Abrahamum agnouit.

5. Sentent. Beati in cœlis duobus modis se vident. *Greg. 4. dial. c 33. L. de virg. circa med.*

a *Bas. ep. 113.*
b *Bern. c. 8 meditat.*
c *Aug. 20. Ciu c 14.*

Lucas ait, quod *de excessu* siue morte Christi inter se collocuti sint, quam Hierosolymis erat obiturus: vt nos *inprimis* eruditet, tunc cogitandum nobis esse de fine, quando in maxima sumus vel gloria, vel rerum secundarum prosperitate, prout monet Ecclesiastes; *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum*, hoc est, æternitatis. Cum igitur pulchre ac sumptuose es exornatus, expolitusque, tunc cogita corpus tuum, cui nunc tantum impendis & laborum, & sumptuum, paucis post annis ab anima destitutum, vermium esca, ac terræ puluerem futurum. Iezabel stibio depingens oculos, non recordabatur se eadem hora à canibus dilaceratum, ac equorum vngulis conculcatum iri.

Greg. hom. 40. in Euang. & 4. dial c. 33 Cur locuti de morte. 1. *Eccl. 11. 8.* *4. Reg. 9. 33.*

Secundo, omnem rerum mundanarum lætitiam non solum sæcularem, sed & spiritualem, dolore esse permistam. Sæcularis enim lætitia, immunda est, magis contristans, quam exhilarans; semperque aliquid secum adducens mœroris, prout in Dauide, Hamano, alijsque compluribus liquet, quorum in prosperis inconstans fuit lætitia,

2. Ratio.

ſpirituale quoque pacatæ conſcientiæ gaudium, quo maius eſt, eo maiora triſtitiæ capit incrementa, dum hominum conſiderat peccantium multitudinem propriamque imperfectionem.

3. Ratio. *Tertio*, neminem ad gloriam poſſe peruenire, niſi per tribulationem, & mortem, Chriſtus hic gloriam ſuam venalem nobis offert, ſed adiuncto pretio, ac ſi dicat; Eſt quidem illa pulchra & magna, at vide quo pretio emas; Ego ſanguinis mei lytro adeoque & morte ipſa eam ſtatui, tu ſi idem feceris, ea potieris.

4. Ratio. *Quarto*, tunc nos eſſe glorioſiores, cum pro iuſtitia perſecutiones aduerſitateſque patimur; Quemadmodum aiebat Paulus ſe non gloriari *niſi in cruce Domini*, ſuiſque infirmitatibus. Cum Iunius Donatus præfectus duas ſorores germanas, ob Chriſtianæ fidei cõſtantiam, apprehendiſſet, quarum vna *Ruffina* altera *Secunda* vocabatur; cumq; illa flagellis acriter cæderetur, magno clamore iudicem inſectata; cur inquit, ſororem meam *Secundam* gloria afficis, me vero eius glorię non pateris eſſe participem? quin age, cum vtraque Chriſtiana ſit, vtramque flagellato. Chryſoſtomus loco *exceſſus*, legit *gloria*, dicens Chriſti paſſionem ac mortem gloriam ab his duobus Prophetis appellari.

Gal. 6. 14.

Apud Sur. 10. Iulij.

Chryſ. in cõm.

Exceſſus quid ſignificet?

Notandum vero eſt, quod Lucas non dicit eos de *paſſione* ac *morte* Chriſti locutos, ſed *exceſſu*, vt inſinuaret non de illa ſibi morte ſermonem eſſe, qua anima ſeparatur à corpore, ſed de acerba Chriſti paſſione, per quam mirum in modum exceſſit, ſupra omnem ſcilicet menſuram plus præſtando, quam neceſſe foret. Hic vero exceſſus in duobus potiſſimum enituit.

Exceſſus Chriſti in quo. 1. *Primo*, quidem in perſona excedentis. Creator etenim patiebatur pro creatura, caput pro digito, pars pro toto, Deus denique pro homine. Nos manu caput protegere ſoliti brachium ictibus potius, quam caput obijcimus, malentes parte orbari quam toto. Chriſtus qui Deus eſt, imo caput & omnia, cuius nos particulæ tantum ſe ipſum pro nobis morti obiecit.

2. *Secundo*, quo ad modum: in omni namque cruciatu, incredibilis

dibilis erat excessus: quippe cum nos *inprimis* redimere potuisset vnica sanguinis guttula. *Secundo*, exiguo tantum cruciatu. *Tertio*, parua iactura. *Quarto*, modico pudore. Sola circumcisio, in qua sanguinem fudit abolendis totius mundi peccatis sufficisset, ob inæstimabilem personæ dignitatem. Sed voluit Christus, modum omnem excedere, vt ineffabilem nobis charitatem demonstraret, nosq; ad eandem prouocaret. *Primo*, omnem suum nobis largitus est sanguinem, sanguineum in horto sudans sudorem, eundem quoque vbertim in sacratissima sua emittēs passione, ac nobis postremam, quæ supererat, donans guttam, cum patri commendans spiritum, latus lancea transuerberari sustinuit, vt nos tā pretioso potaret cruoris sui thesauro. *Secundo*, dolores quos sustinuit, omnem humanæ passionis superant modum, cum sine vlla, vel interna vel externa cōsolatione mortem obijt. *Tertio*, non potuisset maiorem rerum suarum facere iacturā, quippe qui omnia relinquens, nudus pependit in cruce, lignea trabe pro lecto vsus: pro ceruicali, corona spinea; pro vestium amictu, cruoris operculo, pro calceis ac chirotecis, quatuor obtusis clauis. *Quarto*, omni contumeliæ genere quam excogitare poterant, est affectus, nudum aspectui omnium obiecerunt, sputis defœdarunt, maledictis incesserunt, alapis ceciderunt, sanguineo madore cruentarunt: propria insuper oneratum cruce extra Vrbem eiecerunt, quasi à Deo maledictum, inter latrones duos medium, quasi sceleratorum principem, illudentes insuper ei sine vlla commiseratione, vsque ad extremum vitæ halitum quasi nulla digno commiseratione: adeo vt merito conqueratur: *Ego autem sum vermis & non homo*. Hominibus quantumcumque etiam sceleratis, supplicij tamen tempore condolemus: immo canibus bestijsque alijs compatimur, non tamen vermibus. Ergo CHRISTVS pro verme à Iudæis est habitus, quem nemo consolatione aut commiseratione dignum censeret. Hanc autem tanti excessus magnitudinem consideranti, veniat obsecro in mentem, an etiam pro his gratum te vnquam demonstraueris, an benignum liberalemque te CHRISTO vicissim exhibueris, vel an non potius te in

Excessus quantus. 1. *Luc.* 22 44 *Ioa.* 19. 34 2. 3. 4. *Psal.* 21. 7. Christus in quo sit vermis.

Meditatio circa excessum Christi. 1.

2. dæmonis mundique obsequium effuderis. Cogita insuper, Christum ita tecum acturum, sicuti nunc te erga illum præbes, auarè cum auaro, liberaliter cum liberali, sancte, cũ sancto, bene cum bono, male cum malo. Consídera postrema: quam excessiue postmodum gloriæ suæ maiestatem electis suis sit communicaturus, cuius sine vlla, vel iactura, vel pœna participes illos efficiet: cum tam affluenter, tanto cũ corporis cruciatu suum nobis effuderit cruorem, honorem, animam, ac quicquid deniq; habuit: quibus omnibus eo tunc copiosius ditaberis, quo nunc liberalius largiusq; cum ipso egeris. Noli ergo sectari huius sęculi homines opulentos, qui in res mundanas effusi, tunc se pauperes clamitant cum pauperibus subueniendum est, quibus Christus se quoque pauperem exhibebit, quando cupient cœlum: diuitem vero ac liberalem cum ad gehennæ cruciatus eosdem relegabit.

Ps. 17. 26. 3.

VI. *Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum. Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum,* Quæ Lucas ita exprimit: *Petrus vero & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Heliæ, nescíens quid diceret:* Marcus vero addit: *Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore perterriti.* Ex quibus verbis *inprimis* doceri possumus, Christum in hunc montem cum discipulis conscendisse non quod rem aliquam miram ibidem esset gesturus, sed quasi pro recepta consuetudine oraturus. Testatur quippe Lucas, & Marcus, nocte in montibus orare eum solitum, cum diebus in templo doceret. Vnde coniectare licet hæc nocturno, vel vt Epiphanius vult, matutino accidisse tẽpore postquam tota nocte precibus incubuisset. Apostoli ꝓ humanæ naturæ imbecillitate dormientes, vt duos hosce cũ Christo Prophetas audierunt magno animi terrore euigilãt: videntes tantum eximiæ claritatis splendorem, quo nõ solũ Christus, sed & eorum vterq; imo & Apostoli ipsimet relucebant, vt non valerent oculos in illam defigere. Itaque etsi terrore corriperentur noluerunt tamen vel loco mouere pedem

Luc. 9. 32.

Matt. 9. 6.

Cur Christus in montem cõscẽderit

Luc 21. 37. Mar. 6. 46 Epip. hær. 94

dem

dem, vel lucis huius fulgore priuari; vt antiquæ legis terrorē ab Euangelicæ claritatis gratia discernamus, Deus namque illam in monte Sinai tam insigni maiestatis gloria promulgauit, vt populus præ formidine Moysi diceret; *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus* Omnia istic timore ac terrore plena: & Moyses ipse consternatus, clamabat: *exterritus sum & tremebundus.* At in noua lege, consolatoria omnia, ac suauia, quanquam humano metu possit quis formidare. Quippe cum naturæ nostræ fragilis conditio, facile ad illa quæ vel altiora, vel futuri sæculi sunt negotia, expaueſcat. Itaque naturaliter trepidamus non solum ad mentionem dæmonum, qui alioquin ob malitiam suam merito detestandi execrandiq; sunt, vel etiam spirituum defunctorum nonnunquam se manifestantium. Quemadmodum ad Samuelis resuscitati conspectum, Saul viribus destitutus, humi plabebatur; verum etiam ad Sanctorum Angelorum; ad quorum inopinatam præsentiam *a* Daniel ac *b* Ioannes Euangelista in terram corruerūt: Mortalis etenim ac fragilis naturæ nostræ imbecillitas, sublimioris naturæ conspectum sine metu non tolerat. Discens *Secundo,* Christi mansuetudinem, qui nō ægre fert nec cum discipulis expostulat, quod cum ipse orationi insisteret, illi sopore premerentur; qui tamen non pro se, sed pro nobis duntaxat orabat. Nos vbi soli relinquimur, mox cum Martha conquerimur, immemores quod impensum diuino obsequio laborem, cum fœnore recepturi simus: Et quidem soli, cum soli operi vacauerimus: alias, cooperatores medietatem præmij consequentur; quicquid baiulus solus valet, alijs non imponit, quippe qui integrā mauult mercedem quā dimidiatam, nouerat Christus Apostolorum suorum; vti & nostram imbecillitatē (nam vt Dauid ait) *ipse cognouit figmentum nostrum.* Ideoq; licet pro nobis iugiter laborauerit, nobis tamen moderatam quietem permittit. Vnde cum in horto agonizans, opem Patris imploraſſet sanguineumque sudorē aqua permistum sudaſſet, Apostolis soporem indulget, vt reliquis noctis istius laborib. pares essent. Itaque & tu tuorum quoq; misertus famulorum, necessariam eis quietē indulge, neq; reputes tuo id derogare honori si in aliquā laboris, qui alio-

Exo.20.19

Heb.12.22

Naturæ humanæ terror.

1.Re.28.20

Dan.c.9. & 10.

Apoc.1.

Christi mansuetudo.

Luc.10.10

Ps.102. 4.

alioquin ipsis incumbit, partem succedas, ne à sua interpellentur quiete.

Qui Deū videant.

Tertio discis, diuinæ gloriæ conspectum dormientib. nullatenus obuenire: cuius si velis reddi particeps, oportebit cū hisce Apostolis euigilare, atq; à vitiorum somno resurgere. Christus namq; si aduenies, sopore te oppressum animaduerterit, in æternum, vti per Prophetam comminatur, sinet te obdormiscere; *Ier. 51. 39.* *Inebriabo eos vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant.* Peccatum grauis est somnus, priuans hominem omni sensuum suorum functione. Infernus vero pessimus est somnus, non ob quietem sed ob interiores pariter ac exteriores tenebras.

Sōnus excutitur dupliciter

Quarto: disces, quonam pacto hi Apostoli ex somno euigilauerint, duobus nimirum modis. *Primo* quidem ex Christi, quæ eorū stringebat oculos, claritate instar solis dormiētium corpora colluſtrans. *Secundo*, ex duorum Prophetarum cum Christo de suo excessu, hoc est morte ac passione differentium, colloquio. Duo sunt in homine sensus disciplinæ; visus nimirum & auditus: Vnde oculi videndo, experientiā capiunt, aures audiendo instructiores ad scientiam reddūntur. Totidem quoque sunt somni genera salutem nostram impedientia. *Primo*, per quietem nocturnam, qua fit, vt Dei audire verbum nequeamus, ad quod percipiendum sæpe sōnolenti sumus, *Act. 20. 9* Quemadmodum Eutycho adolescenti contigit, qui Paulo sermonem protrahente, sopore depressus de tertio cœnaculo, decidens expirauit. *Secundo*, per somnum animæ, peccatum nimirum; sunt autem duo quæ si attendere velimus, ab hoc somno nos excitent. *Primum* est Dominicæ passionis, de qua duo hi Prophetæ hic sermocinantur recordatio. *Alterum*, cœlestis gloriæ contemplatio. Qui namque studiose secum pertractauerit quæ pro nostris scelerib. perpessus sit Dominus, merito peccata detestans gratiam ei referet, neque facile adijciet ad peccandum, sed potius cupiet sacratissimæ ipsius passionis particeps effici: considerās quod multo plura postmodum pro proprijs suis peccatis toleraturus sit, cui hic Christi passio non opitulatur, prout alibi aiebat, *Luc. 23. 31.* *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*: hoc est.

Somnus duplex.

Sōnū duo excutiūt.

Siego

Si ego qui plenus sum gratia, & mortem nullatenus meritus pro hominum peccatis tam atrociter excarnificor: quantos aliquando cruciatus tolerare oportebit peccatores pro delictis proprijs, qui omni gratia virtutumque viriditate spoliati, prorsus aridi sunt! Hæc qui serio secum pertractauerit, non inquã solum à peccatis studiose sibi cauebit, sed & peruigil erit, cum de Christi cruciatibus mentionem haberi intelliget, abdens se cum spiritali sponsa *in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ*, hoc est demergens se in sacratissima *Christi Iesu* vulnera, vel sepulchrum, vti B. Cyrillus Hierosolymitanus exponit. Quisquis præterea magnam illam cœlestis gloriæ coronam, quæ bene viuentibus, ac pro Christi nomine aduersa patientib. est præparata, animo considerauerit, nullatenus se sopori tradet, aut socordię, sed potius omni conatu sese ad recte agendum componet. Cum S. Hadrianus adhuc esset gentilium imbutus errore, primasq; apud Diocletianum Imperatorẽ obtineret, videns tam inuictam in perferendis supplicijs Martyrum constantiam dixit ad eos; Adiuro vos per Deum vestrum pro quo hæc patimini, edicite mihi, quam remunerationem vel gloriam pro his tãtis tamque immanibus cruciatibus expectatis? cui martyres gloria, quam à bonorum omnium largitore Deo præstolamur, tanta est vt eã nec oculus visu, nec auris auditu, neque animus cogitatu vnquam quiuerit cõplecti. Et ille, itane, inquit nihil de his didicistis, neque ex lege, neque ex prophetis, neq; ex alijs scripturis? Responderunt Martyres. Nec ipsi prophetæ, qui homines fuere nobis similes, hæc plene perfecteque cognouerunt. Hæc audiens Hadrianus, alacri animo statim in medium prosiliens, Christianum sese clamauit, cupiens inter martyres suum referri nomen, ac cum ijs martyrij palma, quam & anno 306. quarto nonarum Martij adeptus est, potiri.

Can. 2. 14. *Cyr. Cat. 14.* *Apud Sur. 8. Septem.* *Isa. 64. 4.*

Quamquam vero tres hi Apostoli euigilantes, simul diuinæ claritatis gloriam conspexerint, Petrus tamen solus Christum alloquitur; partim ob ingentem feruorem, quem præ cæteris exerebat, vt Chrysostomus ait, partim quod à CHRISTO petra esset effectus super quam ædificanda foret

Petrus solus loquitur *Chryſ. ho. 57. in Mat.*

Mat.16. 18 ret Ecclesia: cuius consideratione motus, etiam pro suis re-
Explica- spondet. Nota autē verbum *respondens*, quod quanquā secun-
tio verbo- dum Hebraicæ vocis vsum accipiatur pro loqui, hic tamen
rū S. Petri. significare potest, quod sit idem quasi ad præmissa respōsum
1. dare: vt scil. Petrus *Primo* respōderit ad verba Moysis & He-
liæ; quos audierat de Christi cruciatibus differentes, iamq;
abitum molientes, quibus vt se opponeret, Dominum fuerit
alloquuturus, ac si respondens diceret. Hi quidem aiunt te
Hierosolymis mortem obiturum, verum ego respondeo
nullatenus id esse necessarium, faciemus.n. tibi hic certū do-
micilium, nē eo te conferas. Et vt duo hi viri etiam simul te-
cum commorentur, construemus & illis duo tabernacula.
Conabatur ergo ob nimiam magistri sui dilectionem, eius
impedire mortem. *Secundo*, ad Christi gloriam respondebat,
2. quasi Christus ad hanc sibi responderi vellet, quid de ea A-
postoli sentirent: Quemadmodum puero pomum à longe
ostentamus, scire cupientes, num illud affectaturus sit. Ad
quod Petrus ita respondit, vt sibi vehementer eam esse cordi
diceret, adeo vt perpetuo ea perfrui gestiret. Itaq; cū in con-
cione audis proponi tibi gloriam regni cœlestis, omnemque
eius voluptatem, honorem, dignitatem, opes, claritatē, pul-
chritudinem loci illius simul ac habitatorum splendorē, vna
cum ipsa quæ nunquam intermoritura est æternitate; cōtra
vero, cum exponi tibi vides inferni miserias, tenebras, ignita
loca, ineffabilem, intolerabilemq; illius cruciatum, abomi-
nabilem ac crudelissimam dæmonum tyrannidem, damna-
torum corporum fœtorem horribilem, gestus fletusque mi-
rabiles, maledictiones ac blasphemias in Deum, sanctosq; ac
creaturas omnes, ob infinita ac perpetua quæ tolerant tor-
menta, cum inquam, hæc vel in concione audis, vel in codi-
cibus legis, tunc animo tecum reputa, interrogari te, vtrum
horum seligas: Tibi cęlestis regni gloria præparata est, quam
citra ingentem laborem solo virtutum studio adipisci pote-
ris. Infernus autem non tam tibi, quam dæmoni est creatus,
in quem tamen ob vnum peccatum lethiferum facile te ip-
sum præcipitas.

Excusa- *Secundo* considera, Petrum de suo tam rudi responso à
tur Petrus

Luca

Luca & Marco excusari, dicentibus nesciuisse illum quid respondere debuerit: instar hominis præ ingenti pauore inopinato, nonnulla quæ ad rem nihil faciũt, effutientis. Audiebat quippe Christũ ex legis, Prophetarumq; decreto, Hierosolymis morte affectum iri, & tamen in monte eum detinere laborat. Videbat Moysen & Heliam gloriæ amictu circũdatos, & nihilominus ibidem casas ipsis ædificare conatur. Vnde nihil prudenter respondet. Christus namque pati venerat, nostraque abolere delicta, non autem vt gloriæ suæ ostenderet maiestatem. Duo vero hi prophetę alibi certiorem sibi habebant commorandi locum, vnus quidem in terrestri paradiso, alter autem in Limbo patrum, seu sinu Abrahæ: gaudentes illic vterque summa quiete, adeo vt tabernaculorum in monte ædificandorum nullo vel desiderio vel necessitate tenerentur. *Luc. & Mar. 9.*

Quæ tamen Petrus cũ diceret haud quaquam, vt Magdeburgenses ei adfingunt peccabat: quippe qui inconsiderate loquebatur, raptus in exstasin mentis, ac, vt Andreas ait Cretensis, *Spiritu S. plenus*. Itaque nihil hisce in verbis commisit mali: duo namque adstruebat, quorum primum; *Præceptor, bonum est nos hic esse*: vtique verum erat, inquit B. Leo, diuinæ dulcedinis suauitatem degustanti: alterum; *si vis, faciamus hic tria tabernacula*; neque hoc quoque malum maxime cum petita venia diceret: *si vis*: Ex quibus verbis duo possumus elicere. Petrus an peccarit. *Cĕt. cĕt. l. 2 c. 10. S. de Trãsf.*

Primo, quid fugere debeamus; si enim affirmare volumus Petrum ex se ipso locutum tunc similis vtique fuit sæcularibus hominibus, præsentia solummodo, & non futura cogitantibus: Non considerando, CHRISTVM mundum redimere, atque pro animarum in limbo degentium liberatione ad infernum descendere, ac inde demum cœlum repetere debuisse vt cuique pro meritorum suorum magnitudine certum illic præpararet locum. Neque illud quoque animo versabat, quod cæteris cum Apostolis mundum ipse peragrare, ad conuertendos homines, debuerit, ac tandẽ post varios exantlatos labores difficultatesque, pro Christi nomine fideique confirmatione effuso sanguine occidi, præsen- Duo documenta. 1. Petr. qũo imprudẽs

præsentis tantum gloriæ contemplationi ita erat immersus, vt cæterorum oblitus, de terrenis tantum cogitaret tabernaculis. Vnde merito quoque, vt Greg. ait, reprehensioni fuit obnoxius. Quotidie hoc à sæcularibus fit, vt & de Iudæis iã olim Moyses conquerebatur dicens: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent*, & de populo suo B. Iob: *tenent*, inquit, *tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos: & in pũcto ad inferna descendunt*. Ambitiosi de perpetua quam subituri sunt confusione non cogitant, nec auari de extrema paupertate, neq, potatores cõmessatoresque de siti ac fame gehennali; nec alij peccatores de morte imminente, aut iudicij seueritate, igneq; infernali. Immo parui faciunt, quid vel vxor vel liberi, domi miseriarum, ærumnarumque sustineant, dũ ipsi in tabernis exhauriendis poculis muneribusque elargiẽdis, opes dilapidant. Multo vero adhuc minus filij de parentum suorum, à quibus omnia corporis ac fortunæ bona cõsecuti sunt, animarum salute cogitant: an forte in aliquo tormentorum loco vel ob necdum soluta debita, vel *ob iniuste* acquisita bona, aut etiam quod testamentarij ordinationi satisfactum non sit, excrucientur.

Greg. 5. mor. c. 41. Sæculariũ imprudẽtia. *Deu. 32. 28* *Iob. 21. 12.*

Documẽtum 2.

Alterum est, quod cum Petro ex diuini spiritus instinctu loquentes ad cœlestis regni gaudia auide anhelare debeamus: cuius ipse vnicam duntaxat scintillulã viderat. Ex qua si tantum percepit dulcedinis, vt mente excederet, & instar ebrij ignoraret, quid diceret, cupiens semper in hoc monte degere, nihil omnino de amicis ac cognatis, nihil de facultatibus, aut rerum humanarum necessitate cogitans; quanta quæso in cœlis erit exultatio? Vbi Deus diuitiarum suarum thesauros liberaliter reserans, omni honoris, lætitiæ, ac voluptatis genere nos perfundet? dicens nimirum, *intra in gaudium Domini tui*, hoc est hæc gloria talis est ac tanta vt in te totaliter venire non possit, sed tu ipse in eam debes intrare, vt ea implearis atq; extrinsecus circumualleris, instar spongiæ in medio maris constitutæ. Cõsidera ergo quænam hæc scintillula fuerit, quæ Petrum adeo impleuerat: nempe externa corporis Christi claritas & gloria, ita Apostolica reuerberãs atque

Mat. 25. 21

que aperiens corpora, vt etiam ipſorum animas interiori perfunderet.

Et quanquam hic externus diuinæ claritatis ſplendor, in mundo hoc tempore non reluceat, attamen Deus Eccleſiæ ſuę ſanctę nō minores cœleſtis gaudij ſcintillas reliquit, quarum ſuos electos, (vnum tamen præ altero:) participes efficit; Quemadmodum feneſtræ vitreæ, pro ſua vel denſitate, vel raritate ſolaris tranſmittunt radios. Sic Salomone atteſtante, tranquillus animus magna profecto eſt ſcintilla: nam *ſecura conſcientia quaſi iuge conuiuium.* Vnde & Paulus: *Gloria,* inquit *noſtra hæc eſt; teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hæc ſcintilla eſt in omnibus Deum timentibus, qui fideliter ipſi inſeruiunt. Verum qui mundo ſeſe abdicantes, in monaſtica religione Deo famulantur, plures intra cordis ſui penetralia ſcintillas perſentiſcunt; adeo quidem efficaces, vt ad earum vel remotiſſimum aſpectum, omnibus ſeſe abdicent, vt ijs potiantur, atque in æuum perfruantur. Quemadmodum Chriſtus de cœleſti aiebat negotiatore, qui pretioſas quærens margaritas, cum vnam reperit, venditis omnibus eam emit, & de alio, qui in agro theſaurum inueniens abſconditum, venditis omnibus, eum ſibi comparauit.

Diuinæ gloriæ ſpecimen in eccleſia

Pro. 16. 15. *2. Cor.* 1. 12

In Religioſis.

Matth. 13. 46. *Ibid.*

Has autem parabolas Chriſtus ſolis Apoſtolis domi proponebat, vtpote religioſis, & omnia relinquentibus. Qui vt hiſce melius intenderent, aiebat *ſi quis aures habet audiendi, audiat.* Videmus autem indies, quantam diuitiarum vim multi homines opulenti deſerant, vt hoc potiantur theſauro. Qui non ideo ſolum renuntiant temporalibus ac huius vitæ commodis, vt pauperes tantum ſint, nihilque pro his recipiant, ſed vt cum multiplici fœnore, quemadmodum Chriſtus ipſis eſt pollicitus, *centuplum* in hac vita recipiant: hoc eſt dona ſpiritualia, quæ ad temporalia, vt Beatus exponit Hieronymus, comparata, centuplo ſunt his, quæ reliquerunt, maiora præſtantioraque. Potiuntur namque interiori gaudio atque admirabili conſolatione, quam quiſquis ſemel deguſtarit, cum Apoſtolo omnia *vt ſtercora* reputat. Hinc beatus Antoninus, Florentinorum Archipræ-

Matth. 19. 43.

Mar. 10 30 *Hie. Matt.* 18.

Phil. 3. 8.

Thabor Religio eſt.

ſul, hunc montem Thabor, religionem eſſe adſerit monaſticam; in qua Chriſtus alio conſpicitur habitu, quam in mundo. Hic namque cœleſtis, in rebus omnibus adfulget conſolatio, etiam in illis, in quibus ſeculares non niſi moleſtiam ſentiunt. Voluntaria etenim paupertas animum releuat, curarum ſarcinas adimit, ſoli Chriſto firmiter innititur.

Anto. 3. p. ti. 26. c. 10. §. 11.

Pactum Dei cum Religioſis

Nam vt Diuus Franciſcus aiebat hoc cum religioſis Deus pactum iniit, quod omnia relinquentes, ab ipſo ſint ſuſtentandi, perfecta inſuper obedientia corporis, voluntatis ac intellectus, tantam cordi conciliat quietem, vt religioſus de nullo penitus ſit ſollicitus. Obedientię etenim tam ſecurè innititur, quam infans brachijs maternis, certus quod ſecurè portatur, Quemadmodum Deus olim apud propheram: Ego inquit, *quaſi nutritius, portabam eos in brachijs meis.* At vero caſtitatis virtus, omnem exſuperat dulcedinem. Quemadmodum enim coniugati ex mutua commiſtione magnam carnis percipiunt voluptatem: ita Chriſtus ſponſæ ſuæ eam pollicetur animæ ſpiritalem delectationē, vt nihil omnino ſit, quod cum ea aliquatenus queat comparari. Carnalium namq; voluptatum dulcedo tanta eſt in meretricibus ac nebulonibus, illegitimè conuenientibus, item in beſtijs, muribus, gliribus, canibus &c. quanta in his qui legitimo iuncti ſunt matrimonio. Vnde æquum prorſus eſt, vt in Spiritali Chriſti cum virginibus coniugio delectatio & vehementior & purior ſit, Angelicæ conſimilis puritati. De qua Beat. Ephrem: O *caſtitas* inquit, *quæ homines Angelis ſimilis reddis, ô caſtitas quæ cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cœleſtia alas adiungis, ô caſtitas quæ ſpirituale gaudium paris, & mœrorem adimis, ô caſtitas quæ paſſiones minuis, & animum à perturbationibus liberas, pigritiam depellens, patientiam adferens hominesque diuinos efficiens* &c. Verum hoc ſeculares nec ſentiunt, nec intelligunt; eſt enim manna ſeu *panis* ille cœleſtis, nemini cognitus, niſi à quo percipitur. Vnde ſicuti cœleſtium dulcedo ſcintillarum in tribus hiſce virtutibus à religioſis ſentitur, ita & in rebus alijs mirabilem animaduertunt delectationem, nempe in meditationibus ac contemplationibus, in precibus ac orationibus, in exer-

Dulcedo ſpiritualis

Oſe. 11. 3.

Ephrem. ſ. de caſt. 10. 1.

Apo. 2. 17.

exercitatione humilitatis, in exhibitione charitatis, in ſtudio lucrandarum animarum, in omni deniq; opere, quod ad honorem Dei peragunt. Atq; ideo cœleſtis huius dulcedinis conſolationem meritò in ſe ſentire ac deguſtare deberent omnes quotquot probi religioſi ſunt. Quam quiſquis non ſentit, is ſe in loco religioſo animi timeat parũ religioſi. ſunt & alij qui ob ingentem pro Deo laborem, vel ob varias, quas eadem de cauſa tolerant, perſecutiones, peculiarem conſolationis dulcedinem percipiunt: Martyres dico qui in tormentorum cruciatibus tyrannorum crudelitati ac impotentiæ inſultabunt. De Daniele Stylita qui ann. domini quadringenteſimo ſexageſimo in ſublimi degebat columna, commemorat Metaphraſtes quod cum hyems eſſet valde aſpera, ſæuientibus ventorum procellis, ac niuibus omnia circumquaque operientibus, iamque habitus monaſticus vi tempeſtatis ei excuteretur, adeo vt præ frigore enecatus putaretur, immotus tamen manſerit in diem vſque ſecundum, vel tertium: donec monachi admotis ſcalis inſtar dormiturientis eum repererunt. Ad quos cum redditus ſibi eſſet inquit, moleſtiam mihi adfertis, & ſuaui oppreſſum ſomno, vexatis, Percipiebat namque cœleſtem illam conſolationem, quam & B. Maria Magdalena; quę ſepties die quolibet in pœnitentiæ ſuæ exercitijs ad cœleſtia rapiebatur gaudia. D. Bernardus per internarum conſolationum lætitiam, ita nonnunquam à temporalium rerum cogitatione abripiebatur, vt vbi locorum degeret, quoue, vel cibi aut potionis genere vteretur, penitus ignoraret.

Martyrũ dulcedo.

Apud Sur. 11. Decem. cap. 32.

Apud Sur. in vita.

Hinc Beatus Ephrem ob nimiam cœleſtium conſolationum dulcedinem, interdum exclamaſſe dicitur. *Remitte, ô Domine, vndas tuæ gratiæ.* Idem quoque literis proditum eſt de Patre Franciſco Xauerio, Societatis Ieſu Presbytero: cuius opera Indi, nec non & Iapones, ad Chriſtianæ fidei myſteria amplectenda, ſunt inducti. Hic Deo in precibus ſubinde aiebat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt: noli obſecro in hac mortali vita tantam mihi conſolationem indulgere, quin potius ad aliam me vocato cœleſtem patriam. Quia qui ſemel tuam expertus eſt dulcedinem, is ſine te vitam hic degit acerbam.* Hæc quiſquis

Metaphr. in vita eius apud Sur 1. Feb. Turſellin. li. 6. c. 5. & l. 2. cap. 10.

Via ad dulcedinem hac.

experiri vult, debet ſe omni mundana priuare conſolatione. Quo enim corporalis conſolatio eſt maior, eò minor eſt ſpiritualis. Nec mirum quod viri iſti ſancti, tam libenter frequenterque ſacris incubuerint precibus, tantas nimirum diuinæ dulcedinis ſcintillas ſentientes. Aiebant etenim cum Petro; *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, itaque hic conquieſcamus.

Precandi amor.

Nonnulli illorum quadraginta diebus continuis orationi vacabant, vti *a* Palladius de Machario, *b* Theodoretus de Simeone Stylita prodidit. Quidam vero tribus aut quatuor, aliqui, noctibus integris. Neq; tanti temporis diuturnitate tædio afficiebantur, ſicuti nos, qui vix vnico ſine nauſea poſſumus intereſſe ſacro, cum tamen citra vllum faſtidium multis horis menſæ accumbimus, imo & noctes integras ſaltationi, choreiſq; impendimus.

Preces diuturnæ.

a Pallad. in Lauſia.

b Theod. in Philot.

Quod vero ad tria, de quibus Petrus hic loquitur tabernacula pertinet, non diſces hinc in honorem Chriſti ac ſanctorum exigua erigere tabernacula templorum loco, tibi ipſi vero ingentia, conſtruere palatia: vel vt maiorem geras ædium tuarum curam, quam Eccleſiarum Dei. Quemadmodum Iudæos feciſſe olim nouimus, qui hoc nomine malè, apud Aggæum Prophetam audiunt. Deo pretioſiſſima quæque offerre, tibi autem ſimpliciſſima aptare debes. Vult Deus ſumptuoſa ſibi domicilia conſtrui: (Quemadmodum Moyſes, in ſolitudine præclarum diuino numini tabernaculum erexit,) nec non & templa plane magnifica, ſicuti Salomon ac Zorobabel fecerunt. Similiter & varij Imperatores, Reges, Magnates, in honorem tam Dei quam ſanctorum ſplendidas ædificauerunt Eccleſias. Pretioſa illa quæ tibi cõſtruis domicilia, Deo diſplicent, Vnde & per Prophetam Amos ijs comminatur dicens; *percutiam domum hyemalem cum domo æſtiua: & peribunt domus eburneæ & diſſipabuntur ædes multæ.* Quin potius tria ſpiritalia erigemus tabernacula, conſiderando quod in hoc monte Thabor, (vti ex Beda ſuperius retulimus) tres ſint ob perpetuam horum à Petro prolatorum verborum memoriam, ædificatæ Eccleſiæ. Vnde ſi per montem, Eccleſiam velis intelligere; Quemadmodum

Eccleſiæ cura.

Agg. 1. 4.

Exod. 26.

2. Reg. 6.

1. Eſd. 3.

Splendor ædium.

Amos 3. 15.

Tabernacula tria.

dum à Chriſto nominatur, comparante Apoſtolos cum ciuitate *ſupra montem poſita*, tunc tria hæc tabernacula, tria illa poſſunt denotare fundamenta, de quibus Paulus ait quod ſupra fundamentum Chriſtum, ſcil. tres ædificentur ſtructuræ: quarum *vna* ſit aurea, *altera* argentea, *tertia* ex lapidibus pretioſis. *Matt.* 5. 14 1. *Cor.* 3. 12.

Aurum eſt charitas, de qua CHRISTVS tepido iſti Laodicenſium Epiſcopo; *ſuadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum*, hoc eſt charitatem *vt locuples fias*. Hæc etenim eſt quæ ſola promeretur, ac virtutum nos locupletes efficit. Argentum eſt ſapientia, ex Dei verbo, de quo pſalmographus; *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Vnde in teſtamento veteri columnarum ænearum cælatura debuit eſſe argentea; propterea quod nemo in domo Dei columna, hoc eſt ſuperior, aut prælatus adſciſcendus ſit, quin ſapientiæ, iuxta ac eloquentiæ ſplendore reluceat. Aurum. *Apoc.* 3 18. Argentū. *Pſal.* 11. 7. *Exo.* 38. 10

Quemadmodum argentum lucidum ac ſonorum eſt. Lapides vero pretioſi ſunt opera bona, quibus cœleſtis illa Hieruſalem ædificatur incluſi auro pectoralis ſummi Pontificis, vt nos Chriſtiani qui ſpirituales ſacerdotes ſumus, ſemper ex charitate Dei bonis nos accingamus operibus. Hæ autem tres materiæ debent ad inſtar firmiſſimarum ædium ſeu tabernaculorum ſolidæ, firmæque eſſe. Charitate etenim Chriſto iungi ac vinciri debemus, cum ſit vt ait Apoſtolus *vinculum perfectionis*. Sapientia, quam ex fide haurimus, vacillare non debet, cum fides ſit *rerum ſperandarum ſubſtantia*, adeo nihil fide certius eſſe oporteat. In bonis autem operibus firmiter perſeuerandum eſt; non enim qui incipit, ſed *qui perſeuerat vſque in finem hic ſaluus erit*. Hæc autem tria ædificia ex auro, argento & lapidibus pretioſis conſtantia, quanquam hic magni momenti eſſe videantur, ad cœleſtia tamen palatia, non niſi exigua ſunt tabernacula: quippe cum charitas noſtra frigida imperfectaque ſit, ſapientia magnis ignorantiæ tenebris inuoluta, bona autem opera imperfectionibus plena. Lapides pretioſi. *Apo.* 21. 19. *Exo.* 39. 10. Charitas. *Coloſſ* 3. 14 Sapientia. *Hebr.* 11. 1. Bona opera. *Mat.* 10. 17 & *c.* 24. 13.

Religio mons. *Isa.* 2 2. *Mich* 4.1. *Bern. ser.* 2 *hac est generatio.*

Magnus in Ecclesia mons est Religio, de qua recte Propheticum illud: *erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles.* Hic namq; viuendi status, Apostolorum est; qui primum monastices iecêre fundamentum: imò & Angelorum. vti recte Bernardus ait; tum ob Angelicam puritatem, tum ob obedientiæ perfectionem, qua semper diuinæ inhærent voluntati, eamq; adimplêt: tum quoque quod à rerum temporalium cura cor habeant vacuum per voluntariæ paupertatis votum, omni renunciantes proprietati. In hoc autē monte tria sunt tabernacula, in quibus commoremur, nempe tria Euangelicæ perfectionis vota. *Obedientia* vt Christi exemplo, qui patri *vsque ad mortem* fuit *obediens*, in omnibus morem geramus. *Paupertas* ad exemplum Moysi, qui renuncians aulæ Pharaonis, maluit cum filijs Israel pauper ac contemptibilis haberi. *Castitas*, cum purissimo Helia, qui ex tribu Leui, vti Epiphanius ait prognatus; nullo se fœmineo maculauit coitu, neque vllos præterquam spiritales habuit Prophetarum filios: vtpote Christianorum religiosorum prodromus. sine tribus hisce votis *nemo* perfecte est religiosus: Quemadmodum nullus censetur in aliquo certo vitæ esse genere, qui in eo obligatus nō sit: siue per matrimonij Sacramentum, siue per voti obligationem. Itaque quemadmodum nemo in virginali ac viduali *statu* est, qui non suam Deo per votum castitatem promiserit, sic nemo in statu religiosorum, nisi tria supradicta obedientię, paupertatis, ac castitatis vota ediderit: quippe cum hæc, vti Innocentius Pontifex ait, de natura & essentia religionis sint. Tria autem hæc vota sunt domicilia ac tabernacula in hoc mundo, in quibus religiosi despiciuntur. licet apud Deum ac reliquos omnes cœlites, qui libenter cum talibus, vtpote cum suis sodalibus ac *domesticis Dei* conuersantur, in magna sint æstimatione: vt ex varijs quæ tum apud Gregorium, tum apud alios passim leguntur, constat historijs; significantibus Christum ipsum, nec non & sanctissimam ipsius matrem, quin & Angelicos spiritus aliosque sanctos religiosos nonnunquam inuisere solitos. Gordianus minister B. Placidi Martyris, testatur cœlestes illos beatorum Angelo-

Religio habet tria tabernacula. *Phil* 2.7. *Heb.* 11. 24 *Epip. hær.* 55.

Innoc. de statu Mona. ca cum ad Monast.

Eph 2.20. *Greg.* 4. *dial.* 11.12. 13.16.17.18

Apud Sur. 5. Octob.

rum

rum Spiritus, Sanctum Benedictum, ſuum inuiſentem monaſterium, comitatos.

Idem & Theobaldus Epiſcopus Beato Guilielmo accidiſſe ſcribit, quem mundo renuntiantem, ac pœnitentiæ exercitijs incumbentem, Angeli conſolationis gratia adiêre. Quam vero dulcem putas cõſolationem religioſis, hos beatorum ſpiritus adferre? Eſt namq; cœleſtis illa conſolatio, ob quam libenter omni ſeſe mundano ſolatio ſpoliauerunt, adeò vt fateatur D. Bernardus religioſos cœleſti rore frequenter irrorari. *Apud Sur. 5. Feb. c. 14* *Bern. ſer. de quarente bonas margaritas.*

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Lucas verò ſic. *Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbrauit eos, & timuerunt, intrantibus illis in nubem.* Videtur hæc nubes Chriſtum cum duobus Prophetis, ac tribus diſcipulis, Petro adhuc de tabernaculorũ erectione mentionem faciente, cooperuiſſe. Volebat namq; Deus vti Beatus ait Ephrem: oſtendere; nullo opus eſſe labore, ad tria conſtruenda tabernacula; cũ ſine alicuius opera tale hic è veſtigio fieret palatiũ, q; ſua claritate oẽs cõtegerer. Nos ſc. erudiendo, vt magis ſoliciti ſimus, quo cœleſtis claritatis fruamur habitatione, *nõ manufacta, ſed æterna*, vt inquit Paulus. Hæc autẽ nubes haudquaquã, naturalis fuit, quippe quæ ad vocẽ Patris cœleſtis cito & apparuit, & euanuit: quod naturalibus nõ contingit nubibus; quæ certum habent & oriendi & occumbendi tempus. Quę tamẽ quinq; de cauſis à Deo creata fuit. *Primo*, vt corporis Chriſti claritas eo magis reluceret, cuius radij oculos Apoſtolorũ ita reuerberabant, vt eã nõ poſſent intueri. Vnde Euangeliſtæ dicunt nubem hanc *obumbraſſe* eos. *Secundo*, vt duos hoſce prophetas occulte rurſus abduceret, nõ videntib⁹ Apoſtolis, quonã deueherentur. Quemadmodũ & ipſis dormiẽtibus eò aduenerãt. *Tertio*, ne Apoſtoli oculis ſuis cernerẽt vbi Chriſti gloria, ſplendorq; remaneret, quippe necdũ iſto tempore cœleſtiũ capaces myſteriorũ. *Quarto*, vt Deũ è nube loquentẽ audirent inquit Ambr. veluti olim Moyſes, cum veterẽ in monte perciperet legem, Dei digito exaratam. *Quinto*, vt Dei maieſtas oſtenderetur, qui vti cœlorum dominus cum cœleſti aduenit creatura, omnis terrenæ concretionis, cõtagioniſq; experte. VII. *Luc. 9. 34.* Nubes hæc quid nos doceat. *Ephrem. ſerm. de Transfig.* Nubes qualis. *2. Cor. 5. 1.* Nubes hæc cur? 1. 2. 3. 4. *Exod. 19.* 5.

*Pſal.*103.3. *3.Reg.*8.12 *Exod.*40.

Eam ob rem ſæpe Deus in veteri Teſtamento amictus nube ſolet apparere, dicente pſalte Regio, *qui ponis nubes aſcenſum tuum*, & Salomone, *Dominus dixit vt habitaret in nebula.* Moyſes enim cum compleſſet tabernaculum, ac Salomõ celeberrimi nominis templum ædificaſſet, mox diuinæ gloriæ maieſtas ita vtrumque nube obumbrauit, vt ſacerdotes ſacrificium perficere non poſſent. Quin immo annis quadraginta nubes hæc obumbrabat in ſolitudine tabernaculum, præcedens filios Iſrael cum mouenda eſſent caſtra. Sic & Chriſtus cum magna maieſtate in nube ad iudiciũ veniet, Quemadmodum in eadem quoq; aſcendit. At vero notandum cum *a* Chryſoſtomo, in veteri *b* Teſtamento tenebroſam fuiſſe nubem, hic vero lucidam. *Primo*, vt quid diſcriminis inter antiquam & nouam eſſet legem, edoceremur. Item quid inter Moyſen & Chriſtum, inter æternum ac momentaneũ. Ante huius aduentum tenebris operta erant omnia, & vt Paulus ait, erant tunc ſolùm modo *vmbræ ac figuræ* rerum futurarum, terroribus plenæ. Debebant enim mancipiorum inſtar à famulo, hoc eſt Moyſe, ad officium compelli: nihil ijs erat ſtabile, quorum promiſſiones de rebus ſolum corporalibus tẽporalibuſque erant; Nunc vero Deum ipſum Præceptorem ac directorem conſecuti ſumus, qui lucidiſſimam nos veritatem docet: adeo vt in modum filiorum, ſuauiter humaniſſimeq; tractemur. *Secundo*, quod nullatenus decuiſſet, Chriſti glorioſiſſimam transfiguratione tenebroſę nubis obſcuritate deformari. Qui ad nuptias eunt, cultiori veſtium ſplendore compârent; ne quotidiano amictu ignominia illas afficiant. volens hic Chriſtus ſuam exhibere gloriam, venit vt Patrem ſuum cœleſtem, nec non & Spiritum S. cohoneſtaret. Beatus *c* Anſelmus poſt *d* Andream Cretenſem notat, tres ſanctiſſimæ trinitatis perſonas hic non minus præſentes fuiſſe, quam in Baptiſmo: vt demonſtrarent Chriſtum largitorẽ eſſe glorię, Quemadmodum illic teſtabantur illum gratiæ donatorem: vt de cætero ipſum audiremus, ſequeremur, ac fidem ei in omnibus haberemus. Pater quidem cœleſtis vtrobiq, p vocem, ſuam manifeſtauit præſentiã, Filius Dei in humanæ naturæ forma ſe ſtitit, Spiritus verò Sanctus illic in columbæ

*Num.*9.16

*Matt.*24.30. *Actor.*1.9. *a Chryſ. hom.*57. *in Matth.* *b Exod.*19.16.

Nubes hic lucida 1.

*Hebr.*10.1. 1.*Cor.*10.6

2.

*c Anſelm. Matt.*17. *d Andr.or. de Transfi.*

Trinitas tota hic præſens.

Matth 3.

columbæ ſpecie apparens, innocentiam quæ per baptiſmum confertur, denotabat: hic vero per nubis claritatem cœleſtis gloriæ ſplendorem inſinuat, in qua erimus omnibus exonerati malis, corporis non minus quam animi ſplendore amicti: carentes qualibet miſeria ac certi nos cœleſti illa quiete in æternum nunquam ſpoliandos. Itaque hæc nubes lucida vmbram illam, de qua in canticis loquitur ſponſa, deſignat, dicens; *ſub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi & fructus eius dulcis gutturi meo.* Beati ergo qui hac nube obumbrati, in huius vmbræ quiete reſident: quia haud procul abſunt à corpore, vnde vmbra illa procedit, Quemadmodum hic Apoſtoli haud longè à Chriſto diſtabant.

Nubes quid? *Cant. 2. 3.*

Diuus Bernardus tria dicit eſſe hominum genera, qui vmbra hac teguntur. *Primi* ſola fide Chriſto adſunt. *Alij*, qui in ea etiam viuunt, de quibus Propheta: *Spiritus* inquit, *ante faciem noſtram Chriſtus Dominus in vmbra eius viuimus. Poſtremi*, qui etiam in vmbra illa ſedentes, quiete commorantur. Quod Chriſti ſponſæ potiſſimum conuenit, quæ non ſolum in hac vmbra habitat, ſed & ibidem de dulcedine Chriſti refrigeratur, reficitur, ſaturatur. Hæc eſt nubes vitę, efficiens in nobis vt Deũ ac res diuinas diſtinctius aſpiciamus, agnoſcamuſq;. Hac etenim de cauſa venerat, ſicuti ſupra dictum eſt, Apoſtolos obumbratura. Labora igitur ꝓ viribus, vt profundius altiuſque diuini Spiritus gratię te immergas, ac per quotidiana virtutum incrementa, ſemper ad maiorem perfectionem contendas: ſic enim maiorem diuinarum rerum cognitionem aſſequeris. Multi in vmbra mortis, in qua à dæmone collocati ſunt, ſecurè conquieſcunt ne mortis ſentiant horrorem. Diabolus ſepiæ ſeu marinæ feli ſimilis eſt, quæ iuxta Nazianzenum, atro emiſſo cruore, ſuum in aquis occultat iter, ne conſpiciatur, comprehendaturque. Ita & ipſe non vult, vt vel infernum aſpiciamus, vel de illo vnquam cogitemus, ne horrore illius abſtrahamur. Itaque in vmbram mortis nos præcipitat, hoc eſt vti Beatus Gregorius exponit, à diuini amoris notitia, in ignorantiæ tenebras detrudit, intellectum noſtrum obſcurans, ac nouiſſimorum recordationem tollens vt ſimiles nos ſui efficiat, qui in ſacra-

Ber. ſer. 48 in Cant. Vmbra vel nube teguntur tria hominum genera. *Thr. 4. 20.*

Naz. car. de vita. Plin. li. 9. ca. 29. Gregor. 4. Mor. c. 20.

Apoc. 6. 8. rum eloquio litterarum *mors* nominatur. Si lethali implicatus es peccato, iam in vmbra mortis degis. Vnde Deum, vt te illuminet, ora, nam de Chriſto vaticinabatur Zacharias quod Luc. 1. 79. illuminaturus eſſet omnes, qui *in tenebris & in vmbra mortis ſedent*. Hęc quippe vmbra mortis, ad veram gehennæ mortem, cuius ſolummodo eſt vmbra, perducit.

Luc. 9. 34. Refert inſuper B. Lucas Apoſtolos fuiſſe exterritos ac pene exanimatos, cum in hanc ingrederentur nubem, ſacræ Trinitatis perſentiſcentes, præſentiam. Vnde fecêre idem quod olim Eſaias Vates, qui ad diuinæ maieſtatis intuitum Iſa. 6. 5. perculſus exclamabat: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito*: inſinuare volens, ſe per diuinæ claritatis lumen, defectus næuoſque ſuos (qui tamen non niſi veniales erant) accuratius æſtimaſſe. Qui in vmbra conſiſtit, res communes tantum videt; verum ad intuitum radiorum ſolis etiam minimos conſpicimus atomos, ac puluiſculos in aëre volitantes. Simili modo qui vitam ducit communem facile mortalia agnoſcit peccata, ac grauiora venialia, verum minorum, (quorum multitudine quotidiè inquinatur:) non tam accuratam habet notitiam, eaque vix peccata reputat. At vero qui cum Apoſtolis: in diuinæ claritatis lumine ambulant, atque à Deo illuſtrantur, etiam minima quæque peccata grauia æſtimant, eaque ita deflent, vti alij vix mortalia: certi ne minimas quidem peccatorum nubeculas in illud mundiſſimum cœleſtis regiæ palatium, niſi vel hic, vel alibi emundatæ fuerint, ingreſſuras. Hæc itaque cum hiſce Apoſtolis & B. Iob Iob 42. 6. penitius conſidera. Quorum hic; *oculus*, ait, *meus vidit te, idcirco me ipſum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*. Deus multo accuratius ſingula quæque rimatur, quam tu, quidquid clariſſimis ipſius oculis non ſufficienter ſplendet, per emendatorium ignem purgari debebit. Ideo nihil mirum, homines pios tam rigida pœnitentia leuibus ſe expiare delictis, cum in diuinæ claritatis lumine, lucidiores habeant oculos; quibus quantum adhuc à perfectione (vt Gregorius Greg. 5. Mor. c. 21. & 24. ait) diſtent, contemplantur.

Deus ſuo lumine docet nos de peccatis.

Raimun-

Raimundus Capuanus, eximiæ ſanctitatis vir, de filia ſua ſpiritali Catharina Senenſi, quæ anno domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo obijt, annum ętatis agens triceſimũ tertium ſcribit, quod quodam die feſto Conuerſionis Sancti Pauli, tam ſublimiter ſpiritus eius in Deum raptus fuerit vt tres dies integros, & noctes immota manſerit, nullis corporeis ſenſibus vſa. Tandem redditam ſibi, dormitare viſam; adeo ægre ſpiritum ab illa cœleſti viſione ad hanc vitam redire potuiſſe; Interea acceſſiſſe ad illam duos Dominicanos Patres, ſciſcitantes num ſe vellet comitem præbere, ad inuiſendum inſignem quendam in heremo degentem anachoretam; illam quaſi dormiturientem reſpondiſſe, ſe velle; ſed ſimulatque id protuliſſet, tantam ei iniectam religionem eſſe, tamque acerbum conſcientiæ dolorem, (quod non ex animo; ſed quaſi per iocum locuta eſſet) vt præaffliction e animi tres dies atq; noctes ſine intermiſſione leuiſſimam illam culpam luxerit. Memini quoque me alibi retuliſſe ex Theodoreto inſignem illam S. Euſebij pœnitentiam, qui quod ſub priuata Euangeliorum lectione oculos, animumq; in quoſdam aratores coniecisſet, tali ſeſe obſtrinxit lege, vt per totũ vitæ ſpacium, (fuit autem hoc annorum quadraginta) de cętero oculorum aciem non niſi ad vnius palmi menſuram eſſet directurus. Scribunt de B. Lutgero, primo Monaſterienſium Epiſcopo, VVerdenenſis cœnobij Monachi, quod in itinere, iuxta focum horas legerit. Vnde tectis cinere prunis, cum fumus in faciem eius dirigeretur, illum quidem quaſi nihil ſenſiſſet, clericum verò quendam incommodo huic ſubuenire volentem, curuato genu carbones detexiſſe, inſufflandoque ſopitum ignem ſuſcitaſſe. Quem mane ſeuerè increpans Ludgerus, aliquot dierum pœnitentia, quod orationis tempore foco ſeſe occupaſſet, mulctauit. Secularibus hæc ſcrupuloſa forent: Verum quibus Dei cultus explorate cognitus eſt, ſerio cogitãt, quo pacto in extremo iudicio ſingula quæq; Deus dijudicaturus ſit: q Hieronymo teſte, in Hilarione adhuc adoleſcẽtulo exiguã ſub precib⁹ diſtractionẽ, adeo ſeuerè puniuit vt permitteret dœmonem in eius inſilire dorſum, & latera calcibus, ceruicem flagello verberare, prout

Apud Sur. 29. April.

Dom. Sept. §. 2. Theodor. in Philoth. c. 4.

Apud Sur. 26. Mart. li. 1. c. 27.

Hier. in vita Hilar. c. 3.

Dom. 8. poſt Pent. §. 8. Luc. 24.

prout alibi à me relatum. Si ergo vis illuminari intellectum tuum, frequenta diuinum lumen, ac cœleſte illud ſacratiſſimi corporis Chriſti epulum, ſic fiet, vt oculorum aciem recludat, ad inſtar duorum illorum in Emaus tendentium diſcipulorum. nouit dœmon quantum hinc commodi, ideoque omni conatu à frequenti S. Euchariſtiæ ſumptione te ſtudet retrahere; agitque vt & Epiſcopi & concionatores multi, raro populo inculcent, vt hebdomadatim illam frequentent; excitat nonnullos qui id diſſuadeant; procurat vt coniuges ſibi mutuo obſtaculum ingerant, inijcit præterea conſcientiæ ſcrupulos, quaſi indignè adituri ſint, maxime coniugati, opifices, mercatores atque id genus alij, qui mundanis ſe intricant negotijs: effuſcat interea homines, magna inſcitia, vt vix quid bonum, quid malum ſit, diſcernant.

Frequens communio.

VIII. *Et ecce vox de nube, dicens: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Hac voce præſentia Dei Patris inſinuatur, cuius eſt loqui, ac verbum Dei, hoc eſt filium ſuum, loquendo generare. Aduerbium *ecce* ſignificat *inprimis* rem admiratione dignam accidiſſe, nempe vocem aliquam eximiam inopinatè auditam. Deus etenim magno cum ſonitu loquitur, aliquando vocem edens inſtar tonitrui, ſicuti cum Chriſtus Hieroſolymam pergeret, nonnunquam in modum tubæ, Quemadmodum Ioannem in Apocalypſi ſeruator eſt allocutus. Quod quidem ideo partim facit, vt nobis ſuum oſtendat affectum, quo nos alloquitur: amor namq;, quo cor plenũ eſt, vocis ingenti ſonitu proditur: partim vero vt profundius ſua nobis verba inculcet, eaque penitius cordi infigat: Quemadmodum clauus magno adactus malleo, efficacius lignum penetrat, firmiuſque inhæret. *Secundo*, quod hæc verba ſingulare aliquod Chriſti denotent myſterium, tum ad ipſius gloriam, tum ad doctrinam noſtram pertinens. Triplicem namque continent ſententiam, triaque diuerſa ſunt, quæ hic à patre cœleſti dicuntur. Quorum *primum*: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Vbi quinque ſunt notanda verba myſterijs referta: *Primum* HIC, Chriſti denotans perſonam, ad cuius ſolemnem transfigurationis cohoneſtandum diem, Pater

Ioan. 12. 19 Apoc. 1. 15.

Ecce, quid? 1.

2.

Verborũ poſitorũ triplex ſenſus.

Quinque verba. 1.

cœleſtis

cœleſtis aduenerat. Antequam in mundum Chriſtus prodierat, Iudæi credebant quidem aliquem certum futurum Meſſiam; verum nullus vel ſciebat, vel ſcire obligatus erat, quis nam is præciſe eſſet. Aſt in mundo poſitus, atque executioni, ob quam venerat, intentus; debuit neceſſario agnoſci, vt poſſet quis ipſum adire, audire, ſequi, atq; adeo per ipſum ſalutē aſſequi. Poterat quidem Ioannis agnoſci teſtimonio, indice eum demonſtrantis ac dicentis, *Ecce Agnus Dei*, ac per miraculorum quibus clareſcebat manifeſtiſſima indicia: Verum his nequaquam contentus cœleſtis pater, voluit & ipſe infallibile huius rei ferre teſtimonium, ne vllam nobis dubitandi occaſionem relinqueret. Promiſerat namque olim per Moyſen Filijs Iſrael, ſe ſuſcitaturum illis prophetam, de quo iam nunc apertè pronuntiat, quis nam ille ſit. Solet enim Deus clare eloqui illa, quæ ſalutis noſtræ ſunt. Hinc quippe eſt, quod cum baptiſmi lauacrum ſit neceſſarium ad ſalutem, nō ſolum oretenus, de illo Chriſtus locutus ſit, dicens: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, verum etiam modum illud adminiſtrandi Apoſtolos edocuerit, volens vt in ſua præſentia homines baptizarent. Quin imo teſte Euodio, proprijs manibus Petrum abluit, iuſſitque vt is Ioannem & Iacobum baptiſmo expiaret: qui vna cum Petro, reliquos deinde Apoſtolos omnes baptizarunt.

Ioan. 1. 29.

Deu. 18. 19

Ioan. 3. 5.

Ioan. 4. 2.

Apud Niceph. l. 2. cap. 3.

Similiter & ſacri altaris Sacramentum, eodem atteſtante, ſaluti conſequendæ neceſſarium eſt: *niſi enim*, inquit, *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Atque ideo copioſe hac de re diſſeruerat, promittens nobis cœleſte hoc ſacratiſſimi corporis ſui edulium: verum quia eius pollicitatio ad plenum nō demonſtrabat, vbi, & quo pacto hoc fieri oporteret, eam ob rem, in vltima ſua cœna enucleatius id aperuit, dicens: *Accipite & mãducate: hoc eſt corpus meum*: ac ſi diceret. Promiſi quidem vobis panem cœleſtem, nempe corpus meū, ſed nunc tandem huic promiſſioni meæ facio ſatis, donando ac diſtribuendo vobis panem hunc in corpus meum commutatum.

Ioan. 6 52.

Matt. 26.

Quin

Quin & illud magnopere ſaluti conducebat, vt ſubditi ſuos agnoſcerent ſuperiores, ac Rectores; quibus Chriſtus Orthodoxæ fidei doctrinam, ac myſteriorum ſuorum theſaurum, Sacramentorumq; diſtributionem cõmiſſurus erat; ne de ijs aliquando oriretur ambigendi occaſio, inualeſcentibus nimirum hæreſibus, veræ ſibi Eccleſiæ, prout ſectariorum Synagogę omnes ſolent, titulum vendicare conantibus. Ex cuius labyrinthi perplexitate vt nos eriperet, non ſolum hanc congregationem, hoc eſt ſanctam ſuam Eccleſiam, digito ſuo Chriſtus demonſtrauit, dicens nimirum Apoſtolis;

Matt 5. 14 *Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ: qui vos audit me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*; verum etiam nominatim huius eiuſdem Eccleſiæ Primates expreſſit; quidve functionis habituri eſſent,

*Matt.*16. 18 Petro efficaciter inculcauit; *Tu es*, inquiens, *Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, hoc eſt, ſuper te, ac ſuper fidem

*Ioan.*21. tuam, quæ in te non fluctuabit, & tu reges paſceſque oues agnoſque meos. Eodem plane modo Pater cœleſtis hic noſtrum nobis agnoſcendum exhibet ſaluatorem, dicens; *Hic eſt filius meus*, vt omnes ipſum diſtinctè in propria perſona cog-

2. Verbũ. noſcerent. Alterum eſt, verbum *Eſt*, diuinum prorſus, quo

*Exod.*3. 14 Deus Moyſen quaſi clypeo armauit, aduerſus Pharaonem regem Ægypti, dicens, *Ego ſum, qui ſum*: & : *qui eſt miſit me ad vos.* Denotat ergo immutabilem Chriſti æternitatem; quippe qui in omne æuum perpetuus Dei filius eſt, Et licet in ea perſona naturam aſſumpſerit humanam, in perſona tamen dei-

*Mala.*3.6. tatis nulla facta eſt mutatio, cum per prophetam dicat, *Ego ſum Dominus & non mutor*, Huius verbi virtus & energia apud Euangeliſtas notabiliter exprimitur, quando ad illius pronunciationem, nonnunquam mira accidêre. Chriſtus namq;

Ego ſum: facit miracula. quoties hoc verbum *Ego ſum* vſurpauit, toties fere res aliqua admiratione digna ſubſecuta eſt. Samaritana in primis ad

*Ioan.*4. hanc vocem conuerſa, mox relicta ad puteum hydria, etiam ciues ſuos ad Chriſtum ſtuduit allicere.

Ioan. 6. Quin & graſſante vehementi maris procella, eandem protulit, & confeſtim omnis conſopita eſt tempeſtas, adeo vt

*Ioan.*8.8. nauicula tuto ad littus appelleret. Dicebat & Iudæis, *antequam Abraham fieret, Ego ſum*: qui vocis huius efficaciam non

per-

perferentes, ad lapides confugerunt; Verum Saluator subducens se ipsorum oculis, egressus est de templo. In horto denique cum quæreretur, & aiebat, *Ego sum*, omnes tam Iudæi quam Romani supini in terram ilico corruerunt. Significatur ergo hic Christi diuinitas, qua Patri est consimilis. Tertium verbum est, *Filius*; vel vt Græcus habet textus ὁ υἱὸς, *hic filius*, hoc est non vulgaris aliquis hominum filius, sed maxime Deum timentium: quorum liberi solent Dei nominari filij, tum quod ad diuinam, quæ tam in malis quam in bonis relucet, facti sint imaginem; tum quod per Dei Spiritum qui in illis est, Deo sint similes: Verum Christus verus Dei naturalis est filius, habens eandem cum Patre diuinam essentiam. Quemadmodum enim nemo hominis potest esse filius, qui non eadem humana præditus sit natura, cum ex homine prodeat, (pulices namque ac pediculi, quanquam ex carne nostra nutriantur enascanturque, nostri tamen haudquaquam sunt filij) ita & naturalis Dei filius eandem cum patre debet participare naturam. Non quidem eo modo, quo liberi nostri nostram assumunt naturam: quippe cum filius tuus non ipsam eandem habeat naturam, quam tu, cum non sit vnus idemq; tecum, sed suam habeat propriam, tibi consimilem, cum sit diuersus à te: at vero cum non nisi vnus tantum in rerum natura existat Deus, idcircò Filius Dei omnino ipsam eandem habet naturam, quam Pater, quo cum vnus idemq, est Deus prout alibi aiebat: *Ego & Pater vnum sumus*, diuersæ tamen personæ. Quod quia intellectu assequi non quimus, firma fide apprehendere debemus, quo adusque per virtutum merita digni efficiamur, qui facie ad faciem glorioſissimam Trinitatem speculemur.

Ioan. 18. 6.

3. Verbū.

Christus eandem habet naturam cū Patre. *Ioan* 10. 30

Quartum verbum est, *Meus* per quod *in primis* significatur proprietas illa, quam sibi Christus in Diuinitate vendicat; quod Filius sit Patris, & non Spiritus Sancti, & quod ipse nō sit Spiritus Sanctus, qui neque ex patre gignitur, neque Dei filius nuncupatur, sed vtriusq; spiritus; procedens ex patre & Filio, tanquam ab vno principio. Item quod Filius Dei naturam assumpserit humanam, & non Pater, neq; Spiritus Sanctus.

4. Verbū significat. 1.

Secundo,

2. *Secundo*, Chriſti dignitas ac maieſtas qui filius eſt altiſſimi ac ſummi Dei ne parui eum faciamus. Vti enim hic in terris pater aliquis familias ſibi factum reputat, quod filio eſt præſtitum; ita & Pater cœleſtis omnia quæ filio ſuo facimus, ſibi facta arbitratur. Eam ob rem cum indigne ad ſacram accedis ſynaxim, illamq; exiguo dignaris honore, vel etiam Chriſti in terris Vicarium deſpicis, aut ſponſam eius Eccleſiam calumniaris, tecum reputa, quod Patrem cœleſtem in filio dehoneſtes, ac dedecore afficias.

3. *Tertio*, deuotorum dignitatem Chriſtianorum, qui per ſancti Spiritus, quam in ſe habent gratiam, eundem Patrem cœleſtem, pro ſuo habent & agnoſcunt patre; vocitantes illum eodem nomine cum Chriſto, dicentes: *Pater noſter qui es in cœlis.* Et quanquam eandem Dei naturam non habeamus, appellamur tamen Dei filij, adeo vt aliquid in nobis diuini habeamus, nempe Spiritum Dei, per diuinam ipſius gratiam, quæ efficit vt non ſolum *Dei nominemur filij, ſed & ſimus.* Hinc eſt quod B. Athanaſius inquit, *Filium Dei in nobis in vocando Patrem, facere vt etiam is noſter pater ſit: in cuius autem corde filius non eſt, illius Patrem Deum vocari haudquaquam poſſe.* Vitam ergo Dei filio condignam agito.

Matt. 6. 9.

1. Ioan. 3. 1 Atha. or. Ex Deo Deus.

Quintum verbum.

Quintum verbum eſt, *Dilectus*, vel vt Græcus habet textus ὁ ἀγαπητός, *hic dilectus*, qui alio modo à me diligitur, quam vlla alia creatura, Deus etenim cum Angelos, homines, aut res vllas creatas diligit, non hoc facit per aliquam immutationis operationem: veluti nos amando alios, aliquem in nobis affectum ſentimus. Ipſius quippe diligere, eſt bene operari, aut boni aliquid nobis largiri, ſuumque nobis amorem infundere. Quod tum maxime fit, cum id quod inter ipſum & nos reperitur, amouemus; nempe peccatum, prauamq; voluntatem. Quemadmodum ſolis radij tũc corpora noſtra calefaciunt, cum obſtaculum nullum, nulluſve obex obijcitur. Verum Pater cœleſtis ſuum diligit Filium, & ab eodem diligitur per internam operationem producendo Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate perſonam, procedentem ex his duobus tanquam ab vno principio. Quæ

dilectio

dilectio; vt perpetua eſt, ſic ad Deitatis naturam pertinet. Diſce ergo Chriſtum Dominum ac redemptorem tuum diligere, qui tam ineffabili modo à Patre ſuo diligitur. Atque hæc de prima ſententia dixiſſe ſufficiat, in qua diuina eſſentia, tres diſtinctę perſonę, Chriſtique humana natura, deſignatur; dicendo namque *Hic* demonſtratur Chriſtus homo, per *Eſt*, ſempiterna Diuinitas, quę nunquam exiſtit. *Meus* ſignificat primam patris perſonam, *Filius*, ſecundam; *Dilectus*, tertiam, quæ eſt Spiritus ſanctus. Compendiū primę ſententię.

Secunda ſententia eſt, *In quo mihi bene complacui*: Loquens nimirum de Chriſto, quaſi de homine, pro vt licet ex verbo *complacui* colligere; quod eſt præteriti, non tamen præſentis temporis. Vnde non dicit *complaceo*, ſicuti merito poſſet; cum Chriſtus ſemper Patri complaceat, ſed volens quaſi de re præterita loqui, *complacui* inquit, idque duabus potiſſimum de cauſis. *Primo*, vt nobis inſinuaret ſibi de natura humana ſermonem eſſe, habente nimirum prius & poſterius, non de diuina, quæ ſine vlla temporum mutatione ſemper vniformis atque inuariabilis perſeuerat. *Secundo*, vt Pater cœleſtis nos doceret, ſe non tunc prius cœpiſſe in ſuo filio complacentiam habere, ſed longe ante, hoc eſt, cum in vtero matris conceptus eſſet. Cur dictū Complacui, non cōplaceo. 1. 2.

In verbo autem *complacui*, quatuor denotantur. *Primo*, Chriſtum ab omni peccatorum vitiorumq; labe purum fuiſſe, ac incontaminatum. Vnde licet per internam gratiam virtutumque exercitationem nonnulli homines Deo placeant, Salomone atteſtante, ac dicente, placere eos, Deo, *qui fideliter agunt*: attamē nemo illi tantopere, placet, quam Chriſtus, qui nec peccato, nec vllis vnquam ſuccūbuit, obnoxiuſue fuit vitiorum paſſionibus, aut inordinatis motibus. *Secundo*, omnibus fuiſſe eum virtutum generibus ornatū, plenum nimirum *gratia, & veritate*, vti Ioannes ait, mira animi concoratum pulchritudine, vtpote *ſpecioſum forma præ filijs hominum*. *Tertio*, quod ſingularem de ipſo conceperit voluptatem, magnoperè de tali exultans filio. Quemadmodum enim Deus mundo iam creato omnes ſuas creaturas conſiderans, vidit, quod vniuerſa eſſent *bona valdè*; ita & hic videtur filium ſuum Cōplacui quid ſignificet. 1. *Prou.* 12. 22. 2. *Ioan.* 1. 14. *Pſal.* 44. 3. 3. *Gen.* 1. 31.

ſuum exploratè velle cognoſcere, antequam ad diuini verbi ſementem eum releget, nobisque commendet. Quem idcirco reperit ſecundum voluntatem ſuam non quidem obſtreperũ, ſed in omnibus parentem, ac iuſſioni ſuæ morẽ gerentem; In quo dicit ſibi bene cõplacuiſſe, vtpote ſupra omnes res creatas eum diligendo, quippe omnium nobiliſſimum, præſtantiſſimũque. Quod autẽ bene de ipſo ſenſerit (ſic nãque legit B. Cyprianus) ipſiq; firmiter fiſus ſit, ac tuto in ipſo conquieuerit, tanquam qui omnem ſuam voluntatem impleturus eſſet, teſtatur per Eſaiam Prophetã, vbi ait; *Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum: electus meus, cõplacuit ſibi in illo anima mea.* Quem quia pro tali habuit, idcirco eum mundo doctorem præpoſuit, vtque eum audiremus, voluit. *Quarto*, redditur in his verbis ratio, cur nam à Patre in mundum relegatus ſit Chriſtus, nempe vt in ipſo, & per ipſum hominem diligere inciperet, ſatisfaciendo nimirum pro hominum peccatis, ſicque eos Patri reconciliãdo; adeo vt hæc verba, *in quo mihi bene complacui*, hanc habeãt ſignificationem, ac ſi diceret: per quem filium meum mundum in gratiam recepi, ita vt propter ipſum omnem vindictam deponam; immo tantum mihi complacet, vt omnes per eum placeant, quotquot ſe ipſi reconciliant, vniuntque: ſolos illos diligo, qui in ipſo ſunt, qui ipſius ſpiritu vegetantur, ac meritis veſtiuntur. Vis itaque Deo Patri eſſe charus, Chriſto iungere, ipſius ſacroſanctum corpus frequenter ſuſcipe, per quod & ipſe in te manet, & tu in illo.

Cyp l.1. ad Quir. c.10

Iſai.42.1.

4.

Per Chriſtũ omnes Deo placent.

Ioan.6.56.

Sententias has etiam Pater cœleſtis protulit, cum Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, vt tria nimirum nos doceret. *Primo*, CHRISTVM gratiarum eſſe largitorem, aquas baptiſmi corporis ſui contactu in remiſſionem peccatorum, quæ ibidem in hoc Sacramento primo acquiritur, ſanctificantem. *Secundo*, nos per lauacrum regenerationis filios Dei effici ſuſceptione Spiritus ſancti. *Tertio*, homines humilitatis virtute, magnopere apud Deum honorari, ac exaltari; adeo vt filij Dei efficiantur: Quemadmodum hæc verba tum ad Chriſtum prolata ſunt, cum humiliatus coram famulo ſuo Ioanne ca-

Cur verba hæc dicta in baptiſmo Chriſti?

Ioan.3.17.

1.

2.

3.

ne caput ei lubens ſubmiſit, humilitati itaque ſtude, mundano faſtui, per quem & Deo diſplices, & dæmoni ſimilis efficeris, renuntia.

Tertia ſententia conſiſtit in duobus verbis, *ipſum audite*, Dixerat olim Deus Moyſi; *Prophetam ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Vnde & Moyſes ad populum, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Itaque iam in hoc mõte Thabor Pater cœleſtis Moyſi, Heliæ, tribusque Apoſtolis oſtendit, ſe promiſſioni ſuæ feciſſe ſatis, quaſi diceret: hic eſt iſte Propheta, quem in monte Sinai me vobis miſſurum pollicitus eram; quem idcirco audietis, eiuſque dictis, ac præceptis morem geretis. verbum autem *Ipſum audite*, in Hebraico idem eſt, quod *obedite*. Vnde tria in ſe complectitur. *Primo*, ipſum audite, hoc eſt nullatenus ei fidem derogate, ſed potius ſtudioſè quidnam velit, auſcultate; Quemadmodum olim Dauid: *audiam quid loquatur in me Dominus.* plurimi verbum Dei audire recuſant, concionem negligunt, Caiphæ inſtar & Herodis, aliorumque qui ob animi elationẽ, Chriſtum audire dedignantur. *Secundo*, ipſi credite, quia omnia quæ loquitur vera ſunt, neciſtis increduli, ſed fideles. Nolite Iudæis effici ſimiles, qui CHRISTI verba contemptui habebant. *Tertio*, ſequimini, & ſecundum ea viuite; & (vt mater Domini in nuptijs miniſtris aiebat) *quæcunque vobis dixerit, facite.* Tria itaque ſunt, quæ nobis Pater, præcipit cœleſtis: nempe vt filium ſuum audiamus, audiendo credamus, credendo ſequamur. Illum namque nobis Præceptorem largitur, cuius verba, ac doctrinam ſemper proponere nobis debemus cum ſint, vt Petrus ait, *verba vitæ* (CHRISTVS enim ipſiſſima vita eſt) Debemus quoque ipſi credere, quia *veritas eſt*; ipſum ſequi, quia *via* eſt, per quam ad cœleſtis vitæ viæque ſemitam peruenitur.

Deut. 18. 18.

Ibid. v. 15.

Audire quid?

1.

Pſal. 84. 9.

2.

3.

Ioan. 2. 5.

Ioan. 6. 68.

Ioan. 14.

An liceat audire alios quã Chriſtũ.

Cæterum, cum Pater cœleſtis præcipit, filium ſuum audiendum, ac ſequendum, non prohibet, quo minus etiam credamus

damus illi, qui non est Christus aut Deus, vt nonnulli perperam impieque colligunt. Alias etenim, nec filij obedirét parentibus, nec serui Dominis, nec subditi Principibus, nec plebs Magistratui, immo, nec Christiani Ecclesiæ: cũ tamen Deus hæc omnia iubeat. vnde & Paulus *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et Petrus, *subiecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis. Non solum propter iram*, hoc est vltionis metum; *sed etiam propter conscientiam*, ne scilicet animam inobedientia maculet. Vnde & alibi Paulus iubet, vt obediamus *præpositis nostris*, ipsisque subiaceamus, Et Christus ipse, *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Itaque nullo pacto Deus prohibet obedientiam, sed potius decem nobis inculcare studet. *Imprimis*, vt Tertullianus notat, non esse amplius Moysi, aut Prophetis adhærendum (qui per Christum impleri, ac inefficaces redditi sunt) sed nouæ legi. *Secundo*, vt CHRISTVM nobis ducem agnoscamus, qui instar boni principis plurimas regiones possidentis, prudenter ac benigne nos gubernat, licet corpore absens, princeps, vbi præsens est per se ipsum quæ vult, imperat, absens autem vicarios habet, quibus populi regendi modum præscribit.

Coloss.3.20
Eph.6.5.
1.Pet.2.13.
Rom.13.15.
Heb.13.17.
Matth.18.17.

Decẽ pũcta in verbis Christi citatis.

1.

Tert.4. cõt. Marc. 2.

Similiter Christus in cœlis, omnibus ibi per se imperat, quia ipsum vident, audiunt, alloquuntur: verum in terris habet vicarios, ac ministros, qui ex eius voluntate populum regunt; nempe Apostolos, eorundemque legitimos successores, Episcopos, Presbyteros &c. quibus aiebat: *qui vos audit, me audit.* Quæ quidem non de Apostolis tantũm, tunc præsentibus intelligi voluit, sed & de ijs, qui officio ipsis erant, diuina voluntate successuri. Hinc Paulus, qui longè post Christianus, & Apostolus est effectus; de se ipso aiebat; quod *si quis nõ obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate*, hoc est, quisnam sit ille, litteris mihi significate: *& ne commiscearnini cum illo*, vt confundatur. Iubetque, vt non solum Episcopi, sed & Presbyteri Christianos regãt, de quibus Petrus in hunc modum. *Seniores qui in nobis sunt, obsecro consentior, pascite, qui in vobis*

Luc.10.16

2.Thess.3.14.
1.Tim.5.17

1.Pet.5.1.

est,

est, gregem Dei, &c. Quin & Beatus Ignatius, Ioannis Apostoli discipulus, in omnibus fere suis epistolis vult, vt Laici omnes tam nobiles, quam ignobiles, immo Cæsares & Duces, Episcopis, Presbyterisque sint subiecti. *Ign. ep. 2. 3. 4. 5.* *Tertio*, non omnes, qui huiuscemodi obediunt superioribus facere contra voluntatem Dei Patris, sed potius Christo in suis obedire Vicarijs: licet nonnulli subinde nobis præscribant, quorum Christus nullibi expressam facit mentionem. Docet nos id suo exemplo manifeste Paulus, de matrimonij Sacramento hunc in modum disserens: *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.* Nam *cæteris dico ego, non Dominus: si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consenserit habitare cum illo, non dimittat illam*, &c. *1. Cor. 7. 10.* *Quarto*, Christum multa Apostolos docuisse, quæ in scripturis nusquam reperiuntur: quorum tanta potuisset esse frequentia, vt Ioanne teste, si omnia literarum monumentis fuissent cõsignanda, mundus libros omnes capere nõ potuisset. *Ioan. 21. 25.* *Quinto*, Spiritum sanctũ adeoque Christum ipsum Apostolos multa docuisse; Quorum hic in terris capaces non erãt, vt ipse alibi testatur. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modo. Cum autem venerit spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem.* *Ioan. 16. 12.* *Sexto*, quod quidquid Apostoli per spiritum didicerunt, debeamus ita acceptare, ac si à Christo id didicissent cum ipsius, qui eos docuit, fuerit spiritus. Hinc vnanimi cõsensu in primo Hierosolymitano Concilio, pronunciabant. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* *Act. 15. 28.* *Septimo*, ipsos nihil omnino subticuisse primis Christi fidelibus, eorũ quę Spiritus sanctus ipsos docuerat, sed potius sincere eadem ipsis tradidisse: quippe cum nõ sibi solis, qui haud superuicturi erãt, hæc dicta scirent, sed potius toti Ecclesiæ, vsque ad mundi finem perseueraturæ. *Octauo*, Multa Ecclesiæ ab Apostolis tradita, quæ etsi in Bibilis nusquam scripta reperiuntur, pro vero tamen Dei verbo dici, ac haberi debeant; quod primis Christianis ab Apostolis ea sint præscripta: vtpote quæ vel ab ipso Christo oretenus perceperunt, vel post eius resurrectionem, cum per totos *quadraginta dies, de regno Dei*, hoc est sancta Ecclesia, eis dissereret, in- *Act. 1. 3.*

tellexerunt: vel poſt eius ad cœlos aſcenſum, ab ipſo Spiritu ſancto hauſerunt. De quibus euidens nobis tradit documẽtum Beatus Auguſtinus, dum inquit: *quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec conſilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Talia etenim apud Patres illos, qui ante mille, & plures floruere annos, plurima reperiuntur, quæ ab Apoſtolis nimirum nobis ſint tradita. Nempe de *a* inuocatione ſanctorum, de ſacrarum *b* cultu imaginum, *c* ſacrificio Miſſæ pro defunctis, *d* tonſura ſacerdotum, *e* Miſſæ cæremonijs, *f* ſacri chriſmatis confectione, *g* Clericorum cœlibatu, *h* Monachorum habitu, ac votis, *i* vita monaſtica, *k* quadrageſimali, nec non & *l* quatuor temporum ieiunio, alijſque his ſimilibus; quorum nullum principiũ ſcimus, niſi quod Apoſtolis ea accepta ferimus. *Nono*, prohiberi hic nobis, ne illos, qui à Chriſto miſſi non ſunt, vllatenus audiamus, quales imprimis ſunt hæretici, ac nouarum rerum commentatores, de quibus per Hieremiã Dominus, *non mittebam*, inquit, *Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant, vaticinantes mendacium, prophetantes ſeductiones cordis ſui.* Tales autem, pſeudoprophetæ, vti dæmonis diſcipuli, euitandi ſunt, quippe qui à Lucifero præceptore ſuo particulas tantum, ac fragmenta ſcripturarum, ad hominum deceptionem, animarumque ſeductionem, perceperunt. *Decimo*, prohiberi etiam nobis, ne vllum audiamus, qui contra Chriſti præceptum, vel conſilium quidquam docet, vti ſunt mundus, ipſaque caro; cum CHRISTVS dicat: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* m *Diligite inimicos veſtros.* n *quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* o *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: Mundus autem & caro multo ſecius docent; Volentes vt homo ſit ſuperbus, auarus, iracundus, inuidus, acedioſus, vacans commeſſationi, & ebrietati, impudicitiæ, & immunditiæ, &c. quibus nullatenus morem debes gerere, ſed potius CHRISTO, Filio Dei, à quo cœleſtem hauries ſapientiam: cui ſi obtemperare recuſas, pro certo habe-

Aug. l. 4. de bapt. cõtra Don. c. 24.

a *Iren. l. 3.*
b *7. Syno. act. 2. ex Baſil.*
c *Chryſ. ho 69. ad pop. Ant.*
d *Turo. de glo. Mart. c. 98.*
e *Dion. c. 3 Hier. Eccl.*
f *Fabi. Papa epiſt. 2.*
g *Conc. Cart. 2. c. 2*
h *Dion. c. 6 Eccl Hier.*
i *Caſſ. l. 1. inſt. c. 4 & 5.*
k *Hier ad Marcellã.*
l *Leo ſer. 9. 9.*
Hier. 23. 21
10
Matt. 18. 3
m *Matt. 5. 44.*
n *Matt. 16 26.*
o *Matt. 12 29.*

habeto, magnas te diuinæ vltioni daturum pœnas. ſi etenim olim Iudæi acriter à Deo ſunt puniti, quod Angelos, Moyſemque audire detractarunt, quid nobis putas expectandum, ſi *ſalutem* noſtram quam Chriſtus Dei filius nos edocuit, *neglexerimus*. *Heb.2.3.*

IX.

Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde? Diſcipuli quidem primo (vt ſuperius dictum) timuerunt, cum nube lucida fuiſſent obumbrati; at verò hic grauiori fuere terrore correpti, ad diuinæ vocis ſonitum. Qui terror adeo, Gregorio Nazianzeno teſte erat ingens, vt niſi Chriſti Saluatoris contactu confortati, erectique fuiſſent, exanimari potuiſſent. Itaque in terram procubuere, non tam deuotionis, vt Deum adorarent, quam timoris cauſa. Quod & Ioanni poſtmodum ſeparatim contigit, videnti CHRISTVM in mirabili figura, adeo vt ad pedes eius tanquam mortuus prolaberetur. Vnde duo notanda occurrunt, quorum *primum* eſt terror ille Apoſtolorum ex voce Patris cœleſtis, qui ſex potiſſimum modis hominem alloquitur. *Primo*, quidem valde dulciter & ſuauiter, ad inſtar (vt ſicuti Heliæ accidit) ſibili auræ tenuis. Ita namque Deus dilectos ſuos intrinſecus alloquitur, vt inquit Oſee, ſignificans illis voluntatē ſuam, & ad cor loquens. Quem idcirco libenter audiunt dicentes cum Samuele; *loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*: nec non & cum Dauide; *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; Hoc pacto cum omnibus ſermocinari geſtit; verum multi per internarum paſſionum tumultum, vocem eius non exaudiunt: vnde cogitur pulſando foris ſubſiſtere, vt alibi conqueritur. *Ecce ſto ad oſtiū & pulſo.* Cuius tamen internas inſpirationes plurimi non curant, immo audire detrectant, transferentes animum ad externarum occupationum delectationes, ne conſcientiæ remorſu crucientur.

Terror Apoſtolorum. *Nazia. or. 49. de fide.* *Apoc.1.17* Duo notanda. Deus 6. modis loquitur nobis. I. *3. Reg.13.12* *Oſee 2.14.* *1. Reg.3.10.* *Pſal.24.9.* *Apoc.9.20* Deum nō audiunt aliqui.

Nonnulli verò internas quidē inſpirationes audiunt, ſed quia prauis referti ſunt affectibus, idcirco ea deguſtare non queunt; habentes eas loco ſcrupulorum, aut ſuperſtitionis: veluti lingua amaris plena humoribus, etiam dulcia pro amaris habet. Alij autem ſentiunt quidem, quid loquatur

Alij non guſtant.

Alij timent.

Deus, eaque deguſtant, ſed timore inde corripiuntur, ad inſtar ſerui iſtius inutilis, qui pecuniam Domini ſui ſibi traditam, metu in terram defoderat. Et cur quæſo homines Chriſtum audire formidant? Loquitur enim Deus, pſalte regio

Matth. 25. *Pſal.* 84. 9. atteſtante, *pacem in plebem ſuam.* Itaque nulla nobis ſuppetit iuſti timoris cauſa, cum omnia quæcunque ipſe nos docet, non tantum bona, ſed & vtilia ſunt.

2. modus loquendi. *Secundo*, clara contentaque voce loquitur, dum aliquid vult inſinuare, ſine vllius incuſſione metus. Ita namque Pater cœleſtis ad filij ſui

Matt 3. 17 baptiſmū loquebatur; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi com-*

Ioan. 12. 28 *placui*, & in itinere cum Hieroſolymam pergeret: *Et cla-*

1. *Reg.* 8. *rificaui, & iterum clarificabo.* Nec non & ad Samuelem, cum ad Heli Sacerdotem deſtinaretur, vbi nemo legitur ad Dei vocem perterrefactus.

3. modus. *Tertio*, dilucide loquitur cum aliquid imperat: quod interdum ita fit, vt homo metu concutiatur, ne Dei voluntatem perficere differat,

Exod. 20. timens ſe forte punitum iri. Ita namque Deus Filijs Iſrael loquebatur, tradens eis decalogi obſeruationem. Quin & eodem modo hic cum diſcipulis egit, *incutiens* illis metum, ac dicens, ipſum audite, vt magni facerent

4. modus. præceptum hoc. *Quarto*, Satis loquitur apertè, cum alicuius punit malitiam, prout olim Eccleſiæ ſuæ perſecutori aiebat;

Act. 7. 4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* quo audito tremefactus, *in ter-*

Nu. 12. 10. *ram corruit.*

Eodem modo & Mariæ ſorori Moyſis loquebatur murmuranti aduerſus fratrem, cui horrendā immiſit lepram. De

Gen. 3. 10. qua equidem locutione aiebat Adamus ad Dominum; *vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem*, Et Pſal-

Pſal. 28. 5. mographus; *vox Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutien-*

5. modus. *tis deſertum*, &c. *Quinto*, terribili voce, immo leonis inſtar, in extremo iudicij die rugiet, cum diram illā intonabit ſententiā; *ite maledicti in ignem æternum*: quemadmodū & Amos cōte-

Mat. 25. 41 *Amos* 3. 8. ſtatur, *leo rugiet, quis non timebit?* Hic metus adeo erit ingens, & horrēdus, vt terra in duas diſciſſa partes dānatos magno cū

6. modus. ſonitu ad tartareā ſit abyſſum præcipitatura. *Sexto*, Eodē tē-

pore

pore ingenti cum voce Christus bonos consolabitur, dicēs: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum.* Ad quā vocem quotidie meritò anhelare deberes, audiens & exaudiens Dei vocem, quam in hoc mundo percipis. Interim vero extremam illam nouissimę maledictionis vocem magnopere pertimescito, & sic tecum cogitato. Si Apostoli ad vocem Patris cœlestis ita fuere exterriti, vt pene mortui in terram concíderent, quæ tamen nihil ipsis mali intendebat, quam terribilis erit illa, quam ad inimicos suos proferet, sententia, Christus, animo scilicet penitus irato, vultu prorsus minaci, ac firmissimo perpetuæ damnationis proposito. *Mat.25.34*

2. notabile. *Greg.31. moral. c.8. & ho.9. in Ezec.*

Lapsus diuersi.

Secundo, notabis lapsum Apostolorum, qui proni ceciderunt, in facies suas. Sunt namque, vt bene Greg. animaduertit, diuersi bonorum, & malorum lapsus. Mali quippe deorsum cadunt, vt Iudæi quærentes Iesum apprehēdere, & Heli Sacerdos: idq; tribus de causis. *Primo*, quia longius recedunt à Deo. *Secundo*, quia ignorant vbi concidant, prout alibi Salomon: via, inquit, *impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* Quinque autē sunt quæ ignorant. *Primo*, an bene agant, vel male, dicentes, vt Esaias ait, *bonum malum, & malum bonum.* *Secundo*, peccati magnitudinem, putātes se venialiter peccare, cum mortaliter delinquunt. *Tertio*, quæ nam mala post peccatum sequātur, nempe paupertas, infirmitas, &c. *Quarto*, q̄ sint morti ꝓpinqui: *ducunt* namque, vt Iob ait, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* *Quinto*, quæ nā sit perpetua peccatorum merces. Antequam .n. peruiderint vbi sint, in inferno erunt, ꝓput Sodomitis, Chore, Dathan, & Abyron accidit. *Tertio*, cadunt deorsum, quod à Deo profligantur, ad instar Iudæorum, quos suo verbo *ego sum*, Christus in terram prostrauit, tum vt diuinæ maiestatis potentiam ostendat, tū vt vel inuitos cœlum intueri faciat, quo eos conuertat. Iusti aūt in facies suas cadunt, veluti *a* Paulus, *b* Daniel, *c* Ezechiel, *d* Abdias: alijque: *Primo* quidem, vt Deo à quo trahuntur, ꝓpinquiores sint. *Secundo*, vt videant quid agant, rerum ac verborum suorum statum pensicultantes. *Tertio*, quia suorum memores sunt nouissimorū. *Quarto*, quia se humiliant, faciē in terram cum Christo declinantes, cogitantesq; se non nisi

Mali cadunt deorsum. 1. 2. *Pro.4.19.*

Mali ignorant. 1. *Isa.5.20.* 2. 3. 4. *Iob.21.13.* 5. *Gen.19. Num.16.*

3. cadunt deorsum. *Ioan.18.*

Iustorum casus in faciem.

a *Act* 9.4.
b *Dan.*11.9
c *Ezec.* 3.3.
d 3. *Re.*18.7
Mat. 26. 39.

Luc.18.13. terræ puluerem, ac cinerem esse, immo indignos, qui cum Publicano oculos in cœlum leuent.

Apostoli: quando cæciderint. Notant tamen nonnulli, Apostolos tunc non cecidisse in facies suas, cum Christi intuerentur gloriam, sed cum vocem illam Patris cœlestis audirent: quippe cum mundani homines raro ad diuinæ maiestatis gloriæ recordationem, permoueantur suorum habere contritionem peccatorum, sed potius ad verbũ vel exemplũ aliquod terribile. Non etenim vllus tã magnus reperitur peccator, quin si ab eo sciscitaris, num se leuandum speret, responsurus sit ita, dicẽs se circa vitæ finem cum latrone pœnitentiæ lamentis, facinorum suorũ delicta expiaturũ, prauosq; mores in melius emendaturũ. Verũ enimuero, si quẽ à Deo propter peccata grauiter puniri videant, animo cõmouentur: Quemadmodum cum terra absorberet Dathan, & Abyron, metu consternatus populus, aiebat, *ne forte & nos terra deglutiat*, eandem pertimescẽtes vindictæ diuinæ vltionem. Eam ob rem nonnunquam notabili plaga, aut subitanea morte animaduertit Deus in homines enormiter & palã delinquentes, vt cæteri illorum exemplo à malo sibi caueant. Huius rei horrendum nostra tempestate scimus accidisse exemplum, nempe anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo nono, ipso diui Andreæ peruigilio in quadam Flandriæ vrbe (Gerardimontium vocant) quinque circiter miliaribus Alosto distante: vbi Anthonius quidam Haeck agebat; cui cum esset lis cum proximo, quem iniquè opprimere conabatur, se ipsum dira execratione detestatus, aiebat, si quẽ defraudaui precor vt Deus nocte hac me cũ adipe meo in puluerẽ redigat. Audijt Deus; & exaudijt: nã die sequẽti repertus est mane in foco, vna cũ vestibus totaliter in fauillã & cinerẽ exustus, exceptis pedib. & summitate cranij, nec nõ & pecunia. Quod quidẽ naturaliter accidisse haud potuit, cum non nisi carbones tantum in foco fuissent, neq; ipse repertus fuerit in igne iacens, sed ignẽ inter & camini parietẽ, cui cũ capitis caluaria incũbebat. Per quod horrendum facinus monere voluit Deus iniquos oẽs, vt vitam in melius commutantes, à iuramentis & execrationibus abstineant. Hæc mihi quidam Ecclesiasticus retulit

Præ-

Prælatus, qui hunc infœlicem hominem eo quo dixi modo in cinerem conuersum conspexerat.

Et accessit Iesus & tetigit eos, dixitq; eis: Surgite & nolite timere. ostendit hic saluator inprimis amorẽ suũ erga discipulos, quos noluit in metu isto relinquere, in quẽ ipsius causa inciderãt; edocens nos, vt in ipsum spẽ omnẽ defigamus, maxime ijs in rebus quas amore ipsius suscepimus. Veluti cũ diuinæ inspirationis admonitu, religiosæ vitæ semitã es ingressus, renunciãs omnibus, vel cũ erga pauperes insigniter fueris liberalis, nolito tũc vllã pertimescere pauperiẽ, infirmitatem, aliudue vllũ incõmodum, certo sciẽs, Christũ haud quaquã te deserturũ, sed potius præsto semper futurũ, cũ necessitatem tuam ipsi ꝓponis: quemadmodũ Apostolos suos ex quauis necessitate & afflictione nunquã non benigne eripuit. Itaque humani timoris metu, nolito à bono vnquã ꝓposito desciscere. *Secundo*, animi sui demissionẽ hic ostẽdit, humiliãs nimirũ se, & Apostolos in terrã ꝓstratos eleuãs, cum tamẽ paulo ante in maiestatis suæ gloria, mirabili claritatis splẽdore refulsisset. Vnde nõ egit nostrorũ more magnatũ, qui cõtracta cũ principib. familiaritate, pauperculos ne respiciunt quidem, multo minus bene alloquuntur: Christus vero semper in sua se cõtinuit humilitate, q̃ & cęlis secũ inuexit: vbi nõ solũ clementẽ vultũ in pauperes dirigit, verũ etiã eosdẽ in necessitatib. exaudit, iuuat, tuetur. Considera ꝓinde fuisse discipulos Christi quos hic cõsolatur, cõfortatque: vt & tu discas ipsum sequi, eiusq; parere monitis, si ex tuis cupias eripi periculis.

X.

Amor Christi

Cæterũ, nota duo esse malorũ genera, in terrã nos ꝓsternentia. Horũ *primũ* est peccatũ, per q̃ & anima deprimitur & cor terrę defigitur, p̃cipitãs peccatorẽ post obitũ in abyssum tartarcã. *Secundũ*, pœna, q̃ & ipsa hominẽ affligit prægrauatque. Ex his tamẽ malis omnib. Christus nos liberare gestit, atq; erigere, ꝓut hic discipulis re ipsa ostendit: de quibus tria legimus. *Primo*, quod ipsos accesserit; in quo salutis nostræ cõsistit initium. Quã diu etenim peccator in delictis suis obstinate cõquiescit, Christus lux mundi lõgè ab eo distat: q̃ tunc prius appropinquat, cum suorum enormitatem facinorũ, ac discriminum in quibus agit, magnitudinem agnoscit. Tunc

Mala quę nos prosternunt. 1. 2.

Christi humilitas

Christi accessus.

namque

namque aliquis conscientiæ exoritur remorsus, veluti Petro
Luc.22.62 accidit, qui postquã ter Dominum negasset; tãdem è domo Caiphæ ad Christi intuitum salubriter resipiscẽs, ac lachrymis vbertim faciẽ rigans, discessit. Interim tamen hic Christi aduentus & intuitus, non omnib. sufficiens est peccatorib⁹; quippe cum multi reperiantur, qui sua agnoscentes delicta, scientesque se in statu damnationis existere, immo deflentes quoq; suorum miseriam peccatorum, non tamen sese emẽdant, aut melioris vitæ ꝓpositum concipiunt. Dicunt quidẽ: vtinam alius essem, vtinam à peccatis possem desistere: vtinã ornamentorum meorum nenias quisquiliasq; deponere valerem, & deuotarum virginum vestigijs insistere: Verum nõ possum animum ad hoc inducere, non possum tale quid effectui mancipare. Atq; ita in fecibus suarum imperfectionũ permanent: nam quamuis Christus haud longe ab ijs sit, qui intellectum illorum per peccatorum agnitionem illuminat, necdum tamen illos tetigit, necdum corda illorum emolliuit. Hi in magno viuunt discrimine adeò vt in ægritudinem incidentes, quanquam peccata sua confiteantur, omnibusq; Ecclesiæ sacramentis muniantur, in sordib. tamen delictorum suorum, ob sinceræ contritionis defectum, moriantur. Quanquã etenim videantur ad meliorem sese velle frugem recipere, intrantes tamen conscientiæ examen, reipsa cõperiunt, quod ad præterita redirent peccata, si longiori possent
Cæsarius l.2.15. vita potiri. Hinc est quod Cæsarius Heisterbachensis, qui vixit circa annum Dom. 1222. scribit sua fere ætate fuisse Lutetiæ Parisiorum in æde Diuæ Virginis Canonicum quendam opulentum, qui ante obitum peccata confitens, ac reliquis Ecclesię sacramentis sese muniens insigni cum pompa ad sepulchrum perducebatur, idq; tanta cum aeris serenitate, vt melior optari vix potuisset. Qui tamen paulo post cuidã suo familiari apparens, dixit se damnatum. Cumque ille miraretur, respõdit defunctus: Vnum mihi bonum defuit, quo sine nullum mihi prodesse sacramentum potuit. Licet enim Deo ad confessarij mei consilium emendatiorem vitam promiseram, cõscientia tamen dictabat mihi, quod ab ægritudine consurgẽs, rursus ad pristinam peccandi consuetudinem redijsse:

dijssem. Atq; hinc cum vera fuerim destitutus contritione, nullius omnino peccati relaxationem promerui. Itaque syncera cordis cõtritio, magnum profecto ac peculiare donum Dei est. Quin & *secundum* necessario requiritur, quod etiam Christus Apostolis præstitit, tangendo illos. Quod tunc potissimum facit quando per diuinæ suæ gratiæ contactum, peccatorum corda mentesq; emollit, per quam homo totaliter se Dei manibus resignat, paratus in omnibus eius se voluntati subijcere: firmum habens propositum, veteres peccatorum sordes deponendi, ac noxias consuetudines procul amandandi. Quam quidem gratiam si necdũ in te animaduerteris, ex imis cordis visceribus Deum, vt eam tibi largiatur, orato: ita tamen, vt non nimis rem differas, cum nõnulli dicere soleant. *Licet pœnitentia vera nunquam sit sera, tamen sera, raro est vera.* Eam ob rem dum sanus es, vitam emendato, cum membra in potestate tua habes, quæ ægritudinis tempore torpentia languentiaque, nullatenus tuæ sese voluntati accommodabunt.

Christus tangit.

Legimus autem, Christum diuersis modis homines tangere solitum: nõnullos sputo, quosdam luto, alios nudæ manus contactu. Horum *primum*, diuinarum designat gustum contemplationum, vti author est Gregor. Lutum autem, humanæ sordes naturæ: in quibus corpus animam detinet, veluti aqua terram in luto. Itaque Deus quosdam homines tãgit per recordationem ineffabilis suæ charitatis cœlestisque gloriæ: alios vero per considerationem prauitatis nostræ, ac certitudinis mortis, horæque incertitudinis: nonnullos vero etiã per se tangit siue pœnam ijs, vti Paulo in terram prostrato accidit, infligẽdo, siue per internæ compunctionis (sic namq; Petrus ad sese redijt) suggestionem. *Tertium* est, quod Christus Apostolos allocutus sit. Cum etenim homo diuino emollitus est cõtactu, tunc idoneus ad suscipiendum Dei allocutionem, & ad sinceram Christianæ vitæ institutionem efficitur. Vnde duobus solum verbis discipulos alloquitur: Quorum *primum, Surgite*, hoc est, ante omnia, peccata, quib. immersus es, deponito. Deinde, nolito amplius tuis circumagi passionibus, sed tu ipse potius eas comprimito. Tũ quo-

Tactus diuersi. *Mar. 7. & 8. Ioan. 9.* 1.

Greg. 8. mor. c. 21. & l. 9. c. 36

Act. 9. Luc. 22. 62

Christus alloquitur.

Duo verba. 1.

que

que in mundana imperfectione non amplius permaneto, sed potius ad perfectiorem vitam adspirato. Postremo, bonam viuendi normam adhibeto, ne caput cæteraque membra æqualiter in terram propendeant. Itaque caput sursum, pedes deorsum sint, hoc est, vt mens, ratioque rerum potiantur, atque ad cœlestia anhelent. Surge ergo, & pro viribus adnitere. Nam etsi difficulter te erigis, Christus tamen suo te contactu subleuabit, suaque gratia corroborabit: licet velit vt vim aliquam tibi inferens, etiam ipse tibi opitulesis.

2. *Alterum* verbum est: *Nolite Timere*, Qui etenim modo quo supra diximus, surrexerit, haud quaquā debet metu angi, maximè pœnæ, de quo Ioannes: *Timor*, inquit, *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Verba hæc admodum sunt consolatoria, quæ fiduciam nobis magnam erga Deum conciliant, nolentem vt metu pœnæ eum timeamus. Itaque sollicitι esse debemus, ne Deum offendamus, sed potius in ipsius amore perfecti simus, vt ab ipso diligamur. Quem etenim diligit, inquit Beatus Augustinus, non deserit. Si autem quotidie contingat te venialiter delinquere, statim cum bono proposito dolorem concipito, & Christus sponsus tuus, qui plus te diligit, quam tu teipsum, omne tibi auferet malum. Et licet frequenter in temporalibus te constitutum videas miserijs, nolito tamen ideo cogitare Christum longe a te distare, quippe cum suis est *in tribulatione*. Ora ergo eum, vt te tangat, alloquaturque hoc est, in rebus aduersis confirmet, & bonis inspirationibus exhilaret.

2. Ioa. 4. 18

Aug. tr. 49 in Ioan.

Psal 91. 15.

XI. *Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Lucas ita ait: *Et cum fieret vox, inuentus est Iesus solus.* Marcus vero: *Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.* Nube etenim apparēte, euanuere tam Moyses, quam Helias, quisq; in locum suum, idq; antequam vox Patris cœlitus insonaret: ne quis scilicet arbitraretur, illā Moysi potius vel Helia, quam Christo dictam. Corpus quidem illius ab Angelis denuo redditum est sepulchro, in valle Moab.

Luc. 9. 63. Mar. 9. 8.

Elias & Moyses vbi manserint.

vbi

vbi prius, Epiphanio teste, humatum, ac terra traditum erat. Quin & anima ipsius ijsdem ductoribus, in sinum Abrahæ, seu limbum Patrum, Christi aduentum ibidem expectantium, est prælata. Huius vero corpus quod necdum subijt mortem, Angelico quoque comitatu in Paradisum, vbi cum Enoch, quem ante diluuium Deus eo transtulit, vitam agit, est translatum. Ibi namque vterque in summa animi degens tranquillitate, extremum mundi diem, ipsiusque Antichristi præstolatur aduentum; quem postquam sua instructione, ac miraculorum virtute superauerint, ab eodem internecione delebuntur. Itaque necdum sunt mortui, necdum cœlo potiuntur, aut viuifica æternæ beatitudinis fruitione, de qua scilicet ad Moysen Dominus, *Non videbit me homo, & viuet.* Neque tamen ideo in statu merendi sunt, sed extra omnẽ peccati aleam meritiuè acquisitionem positi: cuius postea participes reddentur, donandi nimirum tam doctrinæ quam Martyrij aureola. Quemadmodum nec Lazarus quatriduanus mortuus, illo temporis interuallo vel merebatur, vel demerebatur, sed ante & post; donec denuo moreretur. Vnde etsi nec boni nec mali quid promereantur, certum tamen est, quod in hoc mundo inter homines viuentes, magnam sibi meritorum palmam acquisierint, per amorẽ & resignationem in Deum, cuius iucundissimo aspectu priuari paratos sese tanto tempore exhibuere, quo tamen plurimi, qui post ipsos vera fide eo peruenerunt, nunc suauissime perfruuntur.

Deut. 34. *Epip. hæ.* 9

Eccl. 44. 16.

Elias & Enoch vb.

Apoc. 11.

Exo. 33. 20

Quod autem Christus ad vocem Patris cœlestis solus sit repertus, designat *in primis*, legem ac Prophetas cessare debere postquam Christus mundo in magistrum à Patre est adsignatus.

Christus cur solus. 1.

Secundo, quod is solus nobis sit sufficiens, quippe in quo plus inuenimus, quam vel in lege, vel in vllis alijs Prophetis. Hinc namque est, quod Petrus hic apud Matthæum, *Dominum* cũ vocitet: vtpote qui nos regit, alit, gubernat, protegit omnibusque bonis ac donis cumulat: Apud Lucam vero & Marcum, a *Rabbi*, seu b *Præceptorem*, omnem nos perfectionis veritatem plene docentem. Cæterum, nolite cum hæreticis

2.

Mat. 17. 4.

Luc. 9. 33. *Mar.* 9. 5.

hic

Sanctorũ inuocatio

hic delitare, ex his verbis colligentibus nullatenus Sanctorũ implorandum auxiliũ, si Christus nobis omnia est, soluſque sufficiens. Hæc namq; adstruentes, nullo pacto media, quibus sub Christo vtimur, excludimus. Non fastidimus namq; panem, aut diuitum operam, siue medicorum, aliorumque hominum auxilium, licet Christus solus sine his nos queat pascere, iuuare, sanare &c. Quippe qui suarum nos creaturarum, siue hic in terris degentium, siue in cœlis secum regnãtium, iuuamine nobis opitulatur. Vnde illa solummodo excludimus, quæ in hoc statu gratiæ sub Christo non sunt, nẽpe antiquæ legis cæremonias, mundanorumque hominum cõsuetudines, sine quib. Christus nostris in necessitatib. opẽ nobis feret, atq; ad æternam beatitudinem proueher. *Tertio*, significatur ait Anselmus, Christus, vt Apostolus loquitur futurũ nobis *omnia in omnibus*, cum electis suis in cœlesti patria conspiciendum sese exhibebit. adeo vt ijs sese coniuncturus sit non minus, q̃ caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. *Quarto*, neminem præter Christum humano potuisse subuenire generi, aut sigillorum arcana reserare. Sacerdos namq; ac Leuita transierunt, lex Mosaica nihil poterat præstare, necesse erat, vt ipse Christus deposita maiestate sua ad nos veniret, nosq; contingeret, doceret, eleuaret. *Quinto*, quod cum hisce Apostolis neminem videre debeamus, quam Christũ, quemadmodum Paul. ait, se *nihil scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Vnde *ex hoc*, inquit, *neminem nouimus secundum carnem*. Hinc bonorum officium est Christianorum, res creatas non per se aspicere, admirari, adamare, appetere, sed in eis super omnia Christum, siue Deum, qui in creaturis omnibus suã nobis ostẽdit charitatem, pulchritudinẽ, ac maiestatis suæ potentiam. Vnde recte sapiens nos docet, vt per creaturarũ pulchritudinem, creatoris magnitudinẽ, viresq; consideremus, cogitando quam potens pulcherq; sit earum creator. Hinc etenim D. Franciscus, ac Pater noster Ignatius Loiola, ex creaturarum meditatione, rapiebantur ex visibilibus ad inuisibilia. Quod qui non facit, sed solus ipsas admiratur creaturas, is in graue incidit peccatum. Quemadmodum gentiles Philosophi, de quibus Paulus ait, quod

3. cur Christus solus. *Anſ. in com.* 1. Co. 15. 28

4. *Apoc. 5.* *Luc. 10.* 5.

1. *Cor. 2. 2.* 2. *Co. 5. 16.*

Sap. 13. 5

Rom. 1.

enormia

enormia aliquot inciderint delicta, quod Deũ in ſuis creaturis nõ honorauerint. Hinc namq; oritur luxuria, auaritia. ſuperbia, gula, omniaq; alia peccatorum genera, propterea nimirum quod pulchritudinem mulierum, pecuniæ amorẽ, honoris elationẽ, cibi, potuſque dulcedinem, aliarumque creaturarum dilectionem, ad Dei, qui eas condidit, amorẽ non transfers, ſed in ijs animo manes defixus, præferens illas Deo, ijſque contra ipſius voluntatem vtens.

XII.

Et deſcendentibus illis de mõte, præcepit eis Ieſus, dicẽs: Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Marc. & Luc. adiungunt: *Et verbum continuerunt apud ſe, & nemini dixerũt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.* Vnde diſcere poſſumus, hoc taciturnitatis præceptũ tam de reliquis Apoſtolis, quam de cæteris omnibus hominibus, quibus Chriſtus hæc necdũ manifeſtari volebat, intelligendum. Cuius rei rationes poſſunt dari ſeptem, aut plures etiam. Quarum *prima* eſt, vt exemplum nobis præberet humilitatis, noſque doceret opera noſtra, aut quidquid ad noſtrum facit honorẽ, in hac mortali vita ſubticere; immo ne cogitare quidẽ de his, maximè in precibus, quando quaſi cũ gratiarum actione ea videmur velle prædicare: cùm interim ſubinde tacita ſubrepit vanæ cõplacentiæ gloriola, quemadmodum ipſi contigit Phariſæo, qui peracta oratione, minor de templo deſcẽdit; quam aſcẽderat, vnde & à Deo Publicano fuit poſthabitus. Quin potius tuarum hic memor eſto imperfectionum, ne in iudicio extremo ad tuam propalentur damnationem. Mitte igitur virtutum tuarum cogitationes, vt Chriſtus ſingulatim quaslibet tibi tunc recẽſeat, quemadmodum pollicitus eſt, ſe iuſtorum res bene geſtas, & præcipuè miſericordiæ opera in illa die accuratè enumeraturum: dicendo: *Eſurijui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c.* Reprobis autem etiam ad longum ſua enarrabit delicta, ſingula quæque eorum obijciendo oculis, ijſque exprobrando; *Eſurijui & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potũ, &c.* Quod quidem tædioſum erit auditu, erubeſcentibus nimirum, ac timentibus oculos in res ſuas prauas, quibus damnationem meruere, conijcere. Vnde confuſo ordine præcipitantur, replicant

Mar. 9. 10. *Luc.* 9. 36.

Cur tacere præcipiat Chriſtus. 1.

Luc. 18.

Matt. 25. 41.

Matt. 25. 35.

plicant dicentes: *Quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut*
Ibid. v. 44 *hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in tarcere, & non ministrauimus tibi?* verum boni consistentes ad dexteram, prolixius suâ enumerant, dum aiunt: *Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus, sitientem & dedimus tibi potum: &c.* Itaque quemadmodum vini haustus salubrior, suauiorque est senibus, quam pueris, sic & cogitatio commemoratioq; virtutum nostrarum, hic quidem damnosa nobis est, verum in altera illa vita
Esther 5. erit iucundissima. Vnde grauis est diaboli tentatio, quod de rebus bene à nobis gestis, tam libenter cum superbissimo Amane mentionem facimus, nempe de nobilitate nostra,
Virtutis propriæ commemoratio. dignitate, opibus, honoribus, meritis, delictorum interim nostrorum, ac prauarum actionum prorsus immemores. Bona quippe opera cum res sint cœlestes, non debent hic in terris multum moueri, aut contrectari, ne manuum nostrarum contactu commaculetur: sed potius diuinæ relinquendæ sunt dispositioni, qui in cœlis ea cum fœnote nobis restituet.

2. Ratio. *Secunda* ratio est, ne mors ac passio ipsius impediretur si populo de hac tam glorioſa transfiguratione quidquam constitisset.

3. *Tertia* ne homines maiorem peccandi haberent occasionem, videtes eum tempore passionis tam acerba & indigna perpeti. Ad quorum intuitum potuissent de fide diuinitatis
Matt. 27. 42. ipsius ambigere, & cũ scribis exclamare: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Vnde qui Christi diuinitatem negat, grauius haud dubito deliquit, quam qui nunquam fidem agnouerunt,
2. Pet. 2. 21 vt inquit D. Petrus. Eam ob rem Christus ante mortem raro admodum, ac parce de diuinitate sua sermonem habuit, quam tamen miraculorum exhibitione satis testatam fecit: adeò vt etiam principes Sacerdotum nũquam apertè quieuerint intelligere, ipsum veri Dei naturalem esse filium, licet haudquaquam ambigerent, quin esset Messias in lege promissus, hoc est Christus. Si etenim diuinitatis Christi habuissent cognitionem, *Dominum gloriæ* vti Paulus loquitur,
1. Cor. 2. 8. *non crucifixissent.* Itaque hoc tam ingens secretum, debuit post eius resurrectionem prædicando celebrius fieri.

Quarta

Quarta, quod oportuerit Christi mortem potius, quam gloriam alijs innotescere: vnde instruimur, neminem de cęlestis patriæ gloria cogitare debere, qui non prius de rerum aduersarum perpessione cogitat. 4.

Quinta, quod quilibet non sit diuinorum capax mysteriorum. Vnde communis plebecula imperfecta est, & homines degunt humi in vallibus, & non in altis montibus, hoc est magis sunt terreni quam cælestes. Hinc quippe est, quod Euangelistæ Christum hæc locutum in montis descensu scribunt, veniendo nimirum ad dimissos ac imperfectos homines. Vnde D. Bernardus quinque esse ait hominum genera. Quibusdam enim nõdum natus est Christus, vtpotè superbis, & paupertatem Christi despicientibus. Sunt quibus nõdum est passus, nempe qui labores fugiunt, & mortem metuunt. Nonnullis necdum resurrexit, qui in laborum anxietate, & afflictione pœnitentiæ, morte afficiuntur tota die, nõdum spirituali cõsolatione recepta. Alijs nondum in cœlum ascendit, his scil. qui orationes, operationes bonas interiori perficiũt dulcedine. Postremo ijs ascendit in cœlũ, qui hac dulcedine, amore Dei libenter carent, vt postmodum perfectius ea perfruãtur. Itaque quo quis altiorem gradũ in his quinque cõscenderit, eo aptiorem se facit ad Christi gloriosam transfigurationem intelligendum, degustãdumque. 5. Hominũ 5. genera. *Bern. s. 4. de resurr.* 1. 2. 3. 4. 5.

Sexta ratio, ne cæteros Apostolos adhuc imperfectos cõtristaret, ac zelo quodam inuidentiæ stimularet, si intellexissent hisce tribus tale donum contigisse. Vnde superiores, parentesque omnes condocefacere vult, ne in adamandis subditis personarum sint exceptores, nisi eminentior virtus, aliud exposcat. Hinc namque magnum enatum est in filijs Iacob odium aduersus Ioseph, quod viderant illum plus cæteris à Patre adamari. 6. Ratio tacendi.

Septima, vt reliqui Apostoli aliquid ab his suis collegis addiscerent. Quamquam etenim, vt Cyprian. ait Apostoli authoritate fuerint pares, vnus tamẽ inter illos eminebat, nempe Petrus, sicq; oportebat, vt vn⁹ ab alio instrueretur. Quemadmodũ & Angeli in cęlis qui etsi oẽs diuinam intueãtur essentiã, sunt tamen alij alijs superiores, illuminãtes, vt inquit 7. *Cypr. s. de vnit. Ecclesiæ.*

Diony l. de cæleſti hier. c. 7. & 9. Anaclet. Epiſ. 1.

Dionyſius Areopagita, inferiores, eoſque plurima docentes. Quin & in Eccleſiæ S. ordinatione, idem obſeruatur, in qua Apoſtolorum ſucceſſores, hoc eſt Epiſcopi omnes (vt inquit Anacletus Papa) eandem quidem omnes ordinationem ſuſcipiunt, cũ interim alij ſimplices ſint Epiſcopi, nonnulli Archiepiſcopi, quidam verò Patriarchæ: quos omnes gradus & honoris dignitate ſuperat ipſe Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, ad quem omnes fidei diſceptationes referri debent, vt eas ab ancipiti vindicet.

Itaque terni hi Apoſtoli, Chriſti obedientes mandato, nemini hæc ante eius à mortuis reſuſcitationem patefecerunt, taciti interim hæc alta mente ruminantes, ac ſe mutuo pertentantes, quid ſibi vellet hoc, *donec à mortuis reſurgat.* vt nimirum hinc diſceremus *in primis*, Dei verbum non audire ſolum, ſed & ruminando nobiſcum pertractare, ac opere adimplere, antequam de eo proximum doceamus. *Secundo*, vt ſtudioſè eo ſilentio premamus, quę Chriſtus ſilenda præcipit: nempe aliorum peccata tibi ſoli cognita. Item illa quæ ſub ſigillo ſecreti tacenda ſuſcepiſti, & maximè quæ in confeſſione ſunt prolata. Alia etenim qualiacunque ſint ſecreta, licet interdum pro euidenti vtilitate aut neceſſitate, ſiue ad commune promouendum bonum ſiue ad impediendũ malum, manifeſtare. Verum enimuerò, quæ in confeſſione dicta ſunt, nulla ratione ſiue pro his, ſiue pro illis, palam facere licet. Adeo vt ſacerdos iuramento queat adfirmare, nihil inde ſibi conſtare, quippe cum ea non norit vt homo, ſed vt Deus, cuius in excipiendis aliorum confeſſionibus, vices gerit. *Tertio*, quod non debeamus ceſſare Chriſti manifeſtare gloriam, poſtquam pro nobis mortem ſubijt, cœlumque conſcendit; horum nimirum more Apoſtolorum, qui ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem fideles omnes, qua ſcriptis, qua viua voce erudiebant. Ex quorum relatu Matthæus, Marcus & Lucas qui tunc præſentes non erant, hauſerunt ea, quæ poſtmodum literarum monumentis ad inſtructionem noſtram conſignarunt. Vnde & B. Petrus per huius transfigurationis veritatem, Chriſti diuinitatem aduerſus

Dei verbũ ruminari debet.

Tacenda quæ?

Chriſti gloria inuulganda.

uersus Hæreticos in posteriori sua epistola cõfirmauit propugnauitque, dicens : *Non indoctas secuti fabulas, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præscientiam : sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus Dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Itaque par est vt in omnibus Christi decantemus gloriam, eamq; proximo pro maiori gratiarum actione prædicemus, inculcemusque, quatenus vel sic peccatores per diuinæ maiestatis suæ (quæ vti reprobis terribilis admodum, ac nociua, sic electis iucunda, ac proficua erit) agnitionem, ad melioris vitæ semitam perducantur. 2. Pet. 1. 16

ORATIO.

O *Dulcissime Domine Iesu Christe, Fili Patris cœlestis, largitor Spiritus sancti, hominum Doctor, qui charissimis tuis Apostolis in monte Thabor scintillulam aliquam diuinæ tuæ gloriæ conspiciendam exhibuisti, vbi & sublimitatis tuæ testimonium tum à patre per vocem cœlitus delapsam, tum à Spiritu Sancto in clarissima nube apparente, nec non & à duobus nobilissimis Prophetis, Moyse & Helia, es consecutus, declaratus nimirum sincerissimus veritatis Doctor, ac mundi præceptor: obsecramus te, illumina corda nostra, eaque sursum ad te pertrahe. Doce nos proinde viam regni cœlestis, excita in nobis feruens desiderium seruiendi tibi, transmuta nos carnales in Spirituales, terrenos in cœlestes, humanos in diuinos. Effice etiam in mundanis hominibus bonam transmutationem per quam prauas vitiosarum passionum affectiones deponentes, per sancti Spiritus gratiam, aliam adsumant vitam, Christiani confessioni conformem. Beatam quoque in quouis vitæ genere mutationem procura : vt quilibet secundum vocationis suæ normam decenter viuat, quatenus seculares vacent acquisitioni virtutum, religiosi votorum suorum obseruationi, Sacerdotes vna cum reliquo clero in omni castitate viuentes, lucrandarum zelum animarum adsumant, eas verò quas lucrati sunt, conseruent.*

Rogamus te insuper pro hæreticis nostris, qui se ipsos Reformatos, ac Euangelicos nominantes, ab omni vera reformatione, ac Euangelicæ perfectionis obseruatione (quippe cui ex professo reluctantur) alieniſsimi sunt. Pro his, inquam, oramus, vt secundum diuinum tuum verbum, eos vere reformes, eosque sincere in eo instituas. Quin immò, nos omnes & hic reforma per gratiam tuam, & post hanc vitam per gloriam sempiternam, Iesu Christe, qui verus existens Deus, & homo viuis, regnasque cum Patre & Spiritu Sancto in sæculorum sæcula, Amen.

DOMI-

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Luc. 11.

IN illo tempore, erat Iesus eiiciens dæmoniũ, & illud erat mutum. Et cũ eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se ipsum diuisum, desolabitur, & domus supra domũ cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi iudices vestri erũt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens, vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immũdus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domũ meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatã. Tunc vadit, & adsumit septẽ alios spiritus secum, nequiores se: & ingressi, habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. Factum est autẽ cum hæc diceret, extollẽs vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: quin imò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Compendiosa Euangelii Exegesis.

EX tribus Euangelistis, qui præsens enarrant Euangelium, nempe Matthæo, Marco, & Luca, historiam ita possumus explicare. Christo in Capharnaum hospitante in domo B. Petri (ad illam namque diuertebat, quoties illic ageret) ac populum docente, idque varijs miraculis; ob frequentem hominum concursum, ac recursum, ita occupabatur, vt nec ipse, nec discipuli commodum refectionis haberēt tempus. Inter cætera autem miracula dæmonem ex quodam obsesso eiecit, qui eum cęcum, mutum, surdumque reddiderat: quo ciecto, cæpit videre, audire, ac loqui. Erāt autem tria istic hominum, diuersimodè de Christi rebus loquentium, genera.

Tria hominum genera.

1. Nā vulgus *in primis* cum admiratione stupebat, dicebatque inter se, Essetne hic Messias seu Christus
2. ex Dauidica natus stirpe? *Alij* vero erant ex cognatione, ac propinquis Christi: qui etsi à pueritia eum nouissent, nunquam tamen tale quid in eo viderāt. Vnde putabant eum mania, aut phreneſi correptum, noua commenta propalare, prout tales interdum solent. Atq; ideo studebant eum comprehendere, atque è manibus Pharisæorū eripere, timentes eum ab his, ratione suæ dōctrinæ, in carcerem, ac rem malam abripiendum, vnde totī familiæ aliqua ignominiæ macula, potuisset conciliari: quemadmodum magna probis Catholicis inuritur infamia, si quē stirpis eorum hæreseos causſa supplicio affici

affici cõtingat. Nonnulli autem, Phariſaicę erãt fa- 3.
rinæ, qui Hieroſolyma venientes, vt verba factaq; eius obſeruarent. Qui cum viderent Chriſtum ob ſuam doctrinam, ac res præclarè geſtas, pluris fieri quam ſe, putabant ſe per hoc contemni: vnde pro viribus adlaborantes, vt tantæ virtutis claritatem obnubilarent, aiebant: Hic homo nullatenus diuina potentia ex obſeſſis dæmones eijcit, ſed ope diabolorum, quorum omnino plenus eſt: vt hac ratione populum à Chriſto alienarent, ſibiq́ue eum arctius deuincerent. Erant & alij, qui ſignum aliquod cœleſte expeterent, tentantes, ac vexantes Chriſtũ, vt declararet ſe poteſtatem ſuam cœlitus, hoc eſt à Deo accepiſſe, & non de inferno, diabolo ſcilicet. Ipſe autem cum probe perſpiceret, non ſolum ſermones, ſed & ſingulas cogitationes eorum, prauaſq́ue intentiones, quibus populo conabantur imponere, blaſphemijs Deum laceſſentes, nullatenus ſibi ſilendum exiſtimauit; ſed potius quatuor validiſſimis argumentis ex quotidiano vſu (vt melius à plebeis intelligi poſſet) eorum calumnias refutat. *Prima* eſt. Videmus quotidie regna quantumcunque magna ac valida, priũatis diſcordijs funditus euerti: cum per ſeditiones non ſolum diuites pereant, ſed & integræ ſtirpes & familiæ exſcindãtur. Certũ autem eſt, diabolũ adniti, vt regnum ſuũ ſtabiliat, ac multos ad ſe pelliciat. Vnde fieri non poteſt, vt dæmones ſeſe mutuo eijciant, alioquin enim inter ſe diſſiderent, nec homines ad ſe concordi ſtudio pertraherẽt. *Altera*, Fatemini ipſi filios veſtros, hoc eſt, reliquos inter vos degentes Iudæos, diuinæ virtutis potentia, & nõ diaboli opera dæmones eijce-

Quatuor argumẽta Chriſti.

1. Ex amore quo quodque ſeipſum cõſeruat.

2. Ex facto Iudæorũ.

re, nempe tam Exorcistas, qui ex Salomonis libris huius rei peritiam hausere, quam meos Apostolos, qui in meo nomine & iussu eos profligãt, sine vlla ergo ratione me de his culpatis. Quin imo, colligere hinc potius potestis, Dei regnum præ foribus iã esse, de quo prædixerat Ioann. Baptista, appropinquasse nimirum regnum Dei. Quia plures profligo dæmones & maiori virtute, quã vestri faciũt Exorcistæ. Similiter & Apostoli mei, mea virtute, meoque nomine eosdẽ eliminant. Et idcirco à proprijs vestris filijs, hoc est à Iudaica vestra natione, in extremo iudicio accusabimini: manifeste contestantibus, malitiosè vos criminari me, qui multo potentius hæc ago, quam illorum quisquam. *Tertia* est. Quod non solum dæmonem tanquam capitalem meum hostem eijcio, sed quod & Dei regnum præsto esse denunciem, ad cuius confirmationem hac Christus vtebatur similitudine. Quam diu magnus aliquis princeps atrium, seu castrum suum vigilanter custodit aduersus hostilem incursum, tam diu summa potitur pace, quieteque omnia possidet: verum si alius quispiam superueniens, viribus sit præstantior, eumque superet, is victum vinctum asportabit, atque armis quibus se protegebat, spoliabit: insuper & ædes depilabit, supellectilem auferet, & rapinas quas cõquisierat, militibus suis diripiendas committit, viritim singulis ea distribuẽs. Et hæc quidem per me iam fiunt. Hactenus namq; Diabolus, ceu mundi Princeps, suo pro arbitratu eundem rexit, ac gubernauit: verum ego viribus longe potentior, veni eum expugnatum, demendo ei vires armaque eius, hoc est, peccatum diripiẽdo; nec non & mundum ab infidelitate, ac superstitio-

3. Ex expugnatione & captiuitate diaboli.

so

ſo idolorum cultu expurgando, mundanumque faſtum ac peccandi inſtrumenta, atq; iniquam ſuppellectilem, ad nihilum redigẽdo: atq; omnia tam Eccleſiaſtica quam ſæcularia dignitatum officia, quæ diabolus tanquam fur & latro diripuerat, pro mea voluntate inter ſuperiores diſtribuendo, eiq; adimendo, ac meis fidelibus diſpertiendo. *Quarta*, Diabolus ex diametro mihi contrarius eſt: oppoſito modo agens omnia, quam ego. Ego etenim colligo, ille diſpergit: ego homines charitatis vinculo vnire ſtudeo, ille peccatorum multitudine diſiungere. Vnde certo certius conſtat mihi nullatenus cum ipſo conuenire, aut eius virtute dæmones me profligare. Cum probaſſet itaque Chriſtus, quod nec cum dæmone quicquam haberet commercij, nec ab ipſo eſſet obſeſſus, docet per ſimilitudinem, quod ipſimet potius ab hoc ſpiritu nequã poſſiderentur, à quo plurima eſſent perpeſſuri. Diabolus quippe ab homine eiectus, huc illucque diuagatur, idoneum habitationis domicilium quærens. Verum in nulla alia creatura reperit quod affectat: nuſquam paſſionum inuenit humorem, per quem liberum arbitrium ad peccandum queat pertrahere, cum nullæ aliæ creaturæ peccato ſint obnoxiæ. Vnde ad hominem rediens inuenit illum à peccatorum ſordibus emundatum, ac forinſecus ornatum, ſed bonarum cogitationum vacuum, atque optimè, vt denuo in eum ingrediatur, diſpoſitum. Aduocans itaque ſeptem alios ſe nequiores, domicilium tale ingreditur, ibique ſtabilem ſibi ſuiſque deligit commorandi locum, quem multò vigilantiori ſtudio cuſtodit, ne facile eijciatur: ſicq; plus nocumenti homini inferat. Adeo vt vltimus

4. Ex operibus contrarijs.

An Iudæi non poſſideantur à dæmone?

hic

hic hominis iſtius ſtatus multo ſit miſerior priore, antequam ſcilicet dæmon inde eſſet expulſus. Eodem igitur modo vobiſcum agetur, qui non ſolum me non recipitis, ſed & ſacrilegè blaſphematis. Nã cum adhuc in Aegypto ſub grauiſſimo Pharaonis iugo ingemiſceretis, dirè admodũ à diabolo eiuſque ſeruis affligebamini. Ex quibus equidem afflictionibus, miſericorditer vos Deus eripuit, cũ in deſerto diuinæ legis tabulas vobis tradidit, voſq; in peculiarem ſibi populum præ cęteris nationibus elegit. Diabolus vero à vobis expulſus, cõtinere ſe non potuit, quin iteratò rediret. Redeundo autem reperit vos ab inani idolorum cultu vacuos, atque externo cæremoniarum ornatu pulchrè decoratos; verum virtutum ſinceræque fidei cultu vacuos. Itaque alios plures, nequioreſque adſciſcẽs ſocios, poſtliminiore reuertitur, voſq; arctius conſtringit, ac obſtinatiores in perfidia veſtra efficit, vt in multos errorum labyrinthos præcipites vos agat, multiſq; ærumnis, ac miſerijs implicet. In quas quidem incidetis, cum Veſpaſianus Imperator, eiuſque filius Titus, vrbi veſtræ, adeoque toti regioni cladem ingentem inferet, plurimos veſtrum interimens, nonnullos vinctos aſportans, quoſdam hinc inde variè diſpergens, atq; ad mundi vſq; finem miſerrimè affligens. Chriſto itaque de his, (per quæ Iudæi minarum terrore reſipiſcere atque ad ſaniorem mentem redire potuiſſent) diſſerente; nemo ex omni numero conuerſus fuit, præter ignotam quãdam mulierem, quæ inter reliquam, conſtituta turbam, Chriſti ſermonem ſedula audiebat: hæc namque ſalubriter compuncta, contenta voce exclamabat, *beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxi-*

Nemo cõ uerſus p̃ter vnam mulierẽ.

ſuxiſti: Deiparã Virginẽ hac periphraſi innuẽs: quã felicẽ merito prædicabat, quod talẽ, tantumq; mũdo genuiſſet filium. Porrò non commendat felicitatẽ Patris; quod Spirit. S. cuius inſtinctu hæc proferebat, indicare vellet, eũ non carnali fuiſſe aliquo genitũ parẽte, ſed matrem ſolã, huius beatitudinis (quæ alioquin vtrique parenti ex æquo communis eſſe debuerit) priuilegio nobilitatã. Huius aũt vocis prẽconium, Chriſto perq̃ extitit gratum; quippe Angelico cõforme oraculo, quod Gabriel cœlitus attulit, dicens: *benedicta tu inter mulieres*; adſtipulãte quoq; ipſa ſacratiſſima Virgine: *Eccẽ, ex hoc beatã me dicent oẽs generationes.* Verũ enimuerò, quia neque ſufficienti laude Chriſti puriſſimam matrẽ deprædicabat, neq; in quo huius beatitudinis felicitas conſiſteret, enucleabat; idcirco Saluator ei reſpondit: *Quin imò:* hoc eſt multo ampliꝰ; ac ſi diceret. Eſt quidem eatenus beata, quatenus mihi cauſa ortus extitit, meq; virginalibus ſuis vberibus lactauit; verũ hæc corporis laus eſt, maior beatitudinis pars in animę nobilitate cõſiſtit: de qua olim Elizabeth ad illã; *Beata,* inquiens, *quæ credidiſti, quoniã perficiẽtur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Hæc autẽ beatitudo in eo poſita eſt, ſi Dei verbũ attẽte audiamus, opereq; cõpleamus: quod adeo qdẽ perfectè illa adimpleuit, vt hac de cauſa, mea meruerit eſſe genitrix. Me etenim ſpiritaliter concepit, audiendo verbũ Dei; meq; ſpiritaliter educauit, conſeruando idem illud in corde ſuo, atq; eximiarũ virtutũ ſtudio fouẽdo nutriendoque. Et quanquã nulla aliarũ fœminarũ mea queat eſſe mater, niſi hæc ſola; poteſt tamẽ hominum quilibet ſpiritaliter me concipere, ac enutrire, audiendo, conſeruandoq; Dei verbũ; adeoque

Cur mulier hæc nihil dicat in laudẽ Patris Chriſti.

& ſal-

& saluari, ac beatus esse: quippe cum omnes illi beati censendi, prædicandique sint, qui diuini verbi auditioni, executionique, sedulo sunt intenti.

Documenta huius Euangelij.

I. Dominica hæc quid significet.

ERAT *Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Hęc sexta, est post septuagesimam Dominica: sextam mundi ætatẽ designans; quæ cum Christo inchoata, ad mundi vsque finẽ duratura est, quoadusque supremus ille cœli terręque Iudex à Regali descendens solio in singulorum hominũ actiones cogitationesq; inquiret, vnicuique pro meritorum suorum ratione præmium assignaturus. Cuius equidẽ temporis durationẽ, solus nouit (vt Christus ipse testatur) Deus. Cęterũ, quę hoc temporis interuallo euenere, literarũ nobis prodũt monumenta: & quæ indies contingunt videmus hac ætate. Christus Dęmoni suas vires fregit, eumq; ex hominum cordibus eiecit, vinxit, spolijs priuauit: liberans è limbo Patres antiquos tanto annorũ spatio illic vinctos: nec non & illorũ animas, qui emendatorio igne purgabãtur. Cum B. Gregor. teste suorum illic electorũ penitus neminẽ reliquerit. Quin & Apostolos, postquam à mortuis resurrexisset, *de regno Dei*, hoc est Ecclesia, edocuit, & de sanctissimis Traditionibus, quas tunc maximè instituit. Quarũ meliorem partem, sine vllis Scripturarum monumentis, de manu ad manum nobis traditam, iã inde ab ipsis Apostolorum temporibus inuiolabiliter etiamnum custodimus, ac sartam tectam tenemus. Similiter & post suam in cœlum ascẽsionem Spiritum S. misit, ac per Apostolos, eorundemq; discipulos mundum conuertit & mirabiliter eundẽ gubernat, ac nihil obstante horrenda illa, quam sæpenumero à Iudæis, Ethnicis, hæreticis, omniq; infidelium genere patitur. persecutione S. suã Ecclesiam in Orthodoxæ fidei vnitate cõcorditer sub vno visibili capite, Vicario nimirum suo, ac S. Petri successore protegit, & conseruat. Quæ quidẽ omnia in præsenti hoc Euangelio nobis insinuantur, dũ Christus dęmonem mutum, surdum, ac cæcum eijcit. Qui in sexta hac ętate, surdas hominum aures, ad Dei audiendũ verbũ, reserauit; oculos ad lucidissimæ veri-

Matt. 24. 39
Mar. 13. 31.

Greg. hom. 22. in Euang.
Act. 1. 3.

Ecclesiæ conseruatio.

Euangelij applicatio.

veritatis claritatē intuendam, aperuit, oraq́; ad diuinas vbique terrarum deprædicandas laudes, reſoluit. Homo cū ad ſextam hoc eſt vltimā peruenerit ætatē, decrepitus efficitur, nihilque præter mortē præſtolatur, & viribus quidē corporis deſtituitur, verum ſpiritu vegetior, intelligētior, ſapientiorq́; redditur. *Oēs* etenim *pœnè virtutes corporis*, B. adſtipulāte Hier. *mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia decreſcūt cætera: ieiunia, vigiliæ, & eleemoſynæ, chameuniæ, hucque illucq; diſcurſus, peregrinorum ſuſceptio, pauperū defenſio*, &c. Idē in hac ſexta mundi ætate cōtingit, poſt cuius decurſum, nihil præter generalem mortē, totiuſq́; mundi deſtructionē expectamus. Et in hoc tēpore Eccleſia corpore quidē imbecillior eſt, cum per ieiuniorū, aliarūque pœnitentiarū mortificationē ſeipſā frāgit, atteritque: ſubtrahens carnalibus deſiderijs noxias cōcupiſcētias ac vires: verū intellectu prudētiaq́; auctior validiorq́; efficitur, tū quod diuinorū myſteriorum arcana liquidi⁹ intelligamus, tum ꝙ horū intelligētia cōmunior generaliorq́; ſit, non vna dūtaxat in regione, ſicut olim Deus, vti Regius concinit pſaltes; *notus*, tm̄ *in Iudæa* fuit, ſed per vniuerſum diſperſa terrarū orbē, vbi *omnes erunt docibiles Dei*, provt Chriſt⁹ ex Eſa. & Paul. ex Ierem. vaticinio cōprobat: & vbi infans ac paupercula fœmina plus ſolidæ cœleſtium diuinarūq́; rerū cognitionis habent, quam omnes gentiliū Philoſ. ac Sapiēt. etiā doctiſſimi: quippe cum Eccleſiæ ſapientia maius quotidiè incrementū ſumat. Nā quemadmodū aurora quo magis ꝓgreditur eo quoq; lucidius inclareſcit, ita & Eccleſia, quæ per aurorā in Scripturis S. ſignificatur teſte Greg. eò plenius in cognitione Dei ꝓficit, quō propinquior eſt dies Domini. *Vrgente etenim mūdi fine ſuperna ſciētia proficit & largius cū tempore excreſcit*. Quod prudentia cū ſeculo auctior limpidiorq́; fiat. Quod & quotidiana experiētia ꝓbat, cū ad oculum cōſtet, ꝙ hoc æuo Eccleſia ſt. Dd. in rebus fidei cognitio, cōſummatior ſit, q̄ olim ante an. 100. inualeſcētib. maximè hæreſibus. Quæ q̄is deformes enormeſq́; doceāt errores, atq; in ignorātiæ tenebris verſentur, hoc tamē illis vtilitatis debemus, ꝙ Catholici attentius iā nunc ſtudijs inuigilēt, veritatiq́; indagādæ maiorē impendāt operā. Quēadmodū follis ignē à cineribus ſuo flatu lucidius diſcernit, ac vehemētius ad ardē-

Hominis 6. ætas.

Hier. ep. 2. ad Nepot. 6. 2.

Eccleſiæ ætas. & robur.

Pſal. 75.

Ioan. 6. 45.

Iſa. 54. 13.

Heb. 8. 11.

Hier. 31. 34

Aurora.

Greg. 9. Mor. c. 8.

Apoc. 10. 4

Cur Euangel. hoc hodie legat Eccleſia?

dum incitat. Atque hinc *primam* licet colligere cauſam cur S. mater Eccleſia, hac præſenti Dominica, nobis hoc proponat Euangelium: nempe, vt ſextæ mundi ætatis ſtatum ac cõditionem indicaret, in qua Chriſtus quotidie per fidem ſuam, atque Eccleſiæ Sacramenta, dæmonem ex obſeſſis corporibus expellit. *Secunda* eſt. Vt & nos hoc tempore eundem per peccatorum cõfeſſionem à nobis eijciamus; abſtinentes de cætero à vitijs, & Chriſtũ frequentius in Sacramento altaris ſuſcipientes, eiq; per melioris vitę ſtudia conuenientius hoſpitiũ præparantes. *Tertia*, vt cum hoc obſeſſo homine à dæmone liberato, ſenſus membraq; noſtra ad Dei ſolius obſequiũ impendere diſcamus, *omnia in gloriã Dei*, vti Paulus monet facientes: audientes verbũ Dei potius quam vllas detractiones: inſuper & ore diuinas laudes alacriter decantãtes, non autem vanitates, aut proximorum defectus enarrãtes: oculos proinde ad carnalia occludentes, & ad pauperum inſpiciendas ſubleuandaſque miſerias, reſerantes. *Quarta*, vt cum Chriſto aduerſus diabolum viriliter decertãtes, Chriſtum in profligãda mundi malitia, adiuuemus. Præſens etenim hoc Euangeliũ de duobus loquitur capitaneis, ſuo cũ exercitu mundum oppugnantibus, Chriſto nempè & Lucifero. Quorum quilibet ſuos habet ſatellites: ille quidem bonos Angelos, ac Deum timentes hoẽs, hic vero dæmonum ac ſceleratorum hominum colluuiem, vtrique proinde cordi eſt, hoẽs, diuerſa licet intentione, ad ſe pertrahere. Chriſtus amore inflammatus, omnes cœleſtium ſuorum bonorum participes quam maxime cupit efficere: atque eodem amoris ſtudio ſinguli, quotquot in ipſius caſtris militant, accenduntur: qui ſola charitate, proximorum ſtudẽt commodo ac ſaluti. Lucifer vero ſuo cũ exercitu mero odij rancore incitatus, nihilque ſua oppugnatione intendit aliud, quam extremum hominis interitum, ac miſeriam: licet ipſorum commilitones ac cooperarij, id eſt, homines mali idipſum nõ ſemper cogitent. Nemo quippe ſibi ipſi extremum malũ quærit & perpetuam damnationem: ſimiliter multi proximorum damna non appetunt, ſed propriæ ſtudent voluptati, promotioni, commoditati, corporaliumque rerum de-

1. Ratio.

2. Ratio.

3. ratio.

1. Cor. 10. 31. Col. 3. 17.

4. Lucta noſtra cõtra diabolũ.

Hominẽ & Chriſtus quærit & diabolus.

Chriſti amor.

Diaboli inuidia.

lecta-

lectationi: quibus vt potiantur, peccant, proximos opprimũt, dæmonique obediunt, qui non minus ipſis per hæc perpetuum intendit exitium, quam cæteris omnibus. *Quinta*, vt horrendam dæmonis tyrannidem perfectius cognoſcamus, omnique conatu corda noſtra aduerſus nequiſſimas inſidias, cuſtodiamus iuxta illud: *omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Si enim ſemel cor inuaſerit, vitam inde ejiciet, teque in ſummas miſerias præcipitabit. *Sexta*, vt hoc ſacratiſſimo tempore exemplum petamus ex Sanctiſſimæ Dei genetricis Mariæ, omniumque beatorum ſpirituum vita, ipſos honoremus, interceſſionemque eorum deprecemur, veluti mulier hæc in confertiſſima turba, Deiparam Virginem eximijs laudum prœconijs extollebat, honorabatque. *Septima*, vt iam nunc pro viribus adnitamur, quo pro noſtra vocatione Chriſtianaque dignitate vitam tranſigamus; conſiderantes non ſatis fore, ſi tantum Chriſtiani ſimus: ſicuti nec plena fuit ac conſummata Beatiſſimæ Virginis Mariæ laus, quod Chriſtum Dei filium peperierit, educaueritque. Quin & neceſſario requiritur, vt verbum Dei audiamus, cuſtodiamus, compleamus.

5. Ratio. Diaboli tyrannis. *Prou.* 4. 23.

Sancti nobis exempla.

7. Ratio. Vocatio Chriſtiana.

Quod vero ad obſeſſum hunc attinet, nota, dæmonem, quatuor modis occupare hominem.

Diabolus hominem obſidet 4. modis.

Primus eſt, cum ſola obſidetur anima, quomodo Iudam diabolus eſt ingreſſus; ex cœnaculo ad Iudæos vt Chriſtum eis traderet, ſeſe recipientem, hoc autem modo eſt in omnibus malis quorum per peccatum magiſter exiſtit; Chriſto atteſtante, *omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Hoc etiam pacto Phariſæi, quorum in hoc Euangelio fit mentio, prout Chriſtus ſua inſinuat ſimilitudine, erant obſeſſi. *Secundus*, cum corpus ſolummodo occupatur, & non anima: nempe cum homo bonus, Dei permiſſu, à dæmone obſidetur aut obſeſſus peccata ſua confitetur, totoque corde ſe ad Deum conuertit. Quemadmodum inceſtuoſus ille Corinthius quem Paulus Sathanæ tradiderat, vt corpore vexatus, animo reſipiſceret, ſuaque peccata deteſtaretur. Quod quidem adeo efficaciter fecit, vt triſtitia fere nimia abſorptus fuiſſet, atque in deſperationem prolapſus. Cæſa-

1. *Ioan.* 13. 27

Ioan. 8. 34.

2. Modus.

1. *Cor.* 5.

2 *Cor.* 2.

Cæſar. l. 5. c. 26. rius refert de puellula quadam quinquenni & adhuc innocente cui pultem comedenti, pater ira percitus diabolum inquit comedas, & ſenſit mox dæmonis ingreſſum, à quo ad maturam vſque ætatem vexata eſt, donec Anno Dom. 1222. Romam ad Beatorum Apoſtolorum limina veniens, ibidem priſtinæ reddita eſt ſanitati. In cuius ingreſſu dæmon exclamans; nullum, inquit poſt hanc vitam hæc aliud ſentiet purgatorium, quam quod à me perpeſſa eſt.

3. Modus. *Tertius*, cum & anima per lethale obſeſſa eſt peccatum, & corpus à diabolo; adeo vt ille membra pro ſuo moueat libitu, nulla hominis addita opera aut voluntate. Quemadmodum oculis ſæpe cernimus, energumenos propter mala, quæ diabolus per ipſos operatur, ligari nonnunquam ac vinciri. Imo vix vlla interdum vincula talibus proſunt; vti ex duobus illis obſeſſis conſtat, qui in ſepulchris commorantes, Geraſenorum regionibus plurimum inferebant damni. Hi diuerſis ſæpe vtuntur idiomatibus, hominumque occultiora peccata in publicum proferunt.

Matt. 8. 29

4. Modus *Quartus*, omnium eſt deterrimus, cum nimirum dæmon in corpus hominis peccatoris irruit, quem iam per mortiferum peccatum ſecundum animam poſſidet, ac pro ſuo arbitratu eo vtitur. Non per ſe ſolum, ſicut in ſuperiori accidit, ſed per obſeſſi voluntarium conſenſum, cuius non ſolum membra à maligno ſpiritu mouentur, regunturque, ſed propria etiam voluntate delinquit. In hunc modum Saul à dæmone poſſeſſus videbatur, cum Dauidem lancea conaretur

1. Reg. 18. & 19. transfigere. Quin & veneficæ hoc pacto corporaliter obſidentur, cum per nefandum dæmonis congreſſum, poſſidentur; adeo vt & ſanguinem, cæteroſque ipſarum humores ita immutet, vt vix eædem videantur. Ideo nonnunquam fit, vt tales in aquis non ſubſidant, demerganturq;, ſiue dæmone id impediente, ſiue per humorum immutationem, aut Dei omnipotentis ordinationem; qui ſacratiſſimi corporis ſui attactu, baptiſmi tempore, aquas ſacrauit: nolens vt hi diabolici homines, eas ſuo deſcenſu contaminent. Caueto itaque tibi ab omni diabolico conſortio, neq; ei locum vllum

Matt. 3.

vel

vel in corpore, vel anima, domoque tua, concedito: Non enim ipſius eſt intentio prodeſſe tibi, ſed potius malum omne inferre. Quem ſi vel minimo nutu ad te allexeris, præſentem mox ſeſe exhibebit, prout ſuperius de Stephano quodam presbytero ex Beati Gregorij dialogis, commemorauimus. Hic autem obſeſſus, dæmonis opera redditus erat *mutus*. Quem Matthæus etiam *oculis* fuiſſe *captum*, adſerit: & Theophylactus *auditu caruiſſe* inſuper teſtatur; quippe cum verbum κωφὸς nō ſolum *mutum*, ſed etiam *ſurdum* ſignificet. Propterea quod muti plerumque ſurdi ſint, prout Regius Pſaltes videtur innuere, dum ait: *aures habent & non audiunt*, quia, *non eſt ſpiritus in ore ipſorum*. Hoc eſt ideo non audiunt, quod vſu linguæ deſtituti ſint. Vides ergo malum quod dæmon in homine, quem poſſidet, operetur: priuat namque illum ſenſibus, quibus ad ſalutem poſſet peruenire, ſi videat bona aliorum exempla, audiat diuinos ſermones, Deumque vocaliter oret. Hæc autem ſalutis conſequendæ præſidia, homini eripit; cum eum cæcum, ſurdum, mutumque efficit. Vnde quatuor illi infert detrimenta.

Dominica 1. quadr. §. 1.

Obſeſſi huius miſeriæ tres.

Pſal. 113. 5.

Dæmon quatuor mala homini infert.

Primum eſt, quod oculorum eum ſpoliet vſu, quemadmodum Philiſthæi fecêre Sampſoni, & Nabuchodonoſor, Sedechiæ Regi. Omnes etenim peccatores cæci ſunt: multa ſibi ſalutaria non videntes: ac *primum* in quanto verſentur vitæ periculo, cum ambulant ſecus infernum, & tamen nullatenus id videant: hinc eſt quod Sophonius de talibus ait: *ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*.

1. Excæcat. *Iud. 16. 21. 4. Reg 25. 7.*

Omnis peccator, cæcus & ignorat.

Deinde, neque ipſam peccatorum ſuorum malitiam cernunt, qua & Deum offendunt, & æternam ſibi damnationem conciliant.

1. Periculū. *Soph. 1. 17.*

Tertio, animæ ſuæ turpitudinem, ac deformitatem: quę dęmone pulchrior non eſt cum ijſdem ſint inquinati ſordibus, peccato nimirum: niſi quod illi adhuc mundari valeant, hic vero nequaquam.

2. Peccati naturam.

3. Animæ deformitatem.

Quarto donorum ſpiritualium eximium valorē. Vti enim cæcus eſt, qui pro aureo argenteoue nūmo calculum ſibi cupreū deligit, ita & qui rerū ſpiritualiū pretioſiſſimū theſaurū,

4. Virtutum dignitatē.

mundanis ac tranſitorijs poſtponit. *Quinto*, remedia aduerſus mala, quæ ſuſtinent. Quemadmodum cæcus cenſendus eſt, qui fame ſitique periclitans, cibum potumque qui in menſa eſt, non conſpicit. Peccatores namque ingenti fame ac cupiditate torquentur, vnde externarum rerum, quibus animum expleant, captant ſolatia: haudquaquam interim conſcientiæ internam delectationem intuentes, in qua iuſti magnam ſentiunt pacis quietiſque ſatietatem. *Sexto*, finem quo tendunt: putant namque ſe cœlum ſuis cum temporalibus rebus conſcenſuros, verum eheu in tartaream abyſſum poſtmodum præcipites dabuntur. Perſuadent quidem nunc ſibi, quod ſurſum pergant; adepturi *locum* ad dexteram iudicis, ſed collocandi cum hædis ad ſiniſtram, deorſum tendunt. *Septimo* bonorum hominum exempla, quibus quaſi ex hypocriſi fiant, offenduntur.

5. Remedia.

6. Finẽ ſuũ.

7. Exempla bonorũ.

Secundum eſt, quod *mutos* eos efficiat: quo quidem dæmone *inprimis* torquentur omnes illi, quibus incumbit ex officio peccata arguere; ſiue in genere, vti publice faciunt diuini verbi præcones; ſiue priuatim in ſpecie, quemadmodum ſuperioribus ac cõfeſſarijs competit: qui ſi id facere non audent, maligno hoc ſpiritu poſſidentur: quos ideo Propheta *canes mutos* ignominioſe nominat, non valentes latrare.

2. Malũ à dæmone omnis peccator mutus.

1. Præfecti.

Iſai.56.10

Deinde, qui occultum in corde fouent odium, ſilentes quoadusque ſeſe opportuna offerat vlciſcendi occaſio. Quemadmodum Abſalon fratri ſuo Ammoni nec bonum nec malum loquebatur, donec eum tacite interimeret.

2. Odia occultãtes.

2.Reg.13. 22.

Tertio, quos pudet publice ſuam profiteri fidem; maxime quando id res poſtulat; quippe cum Paulus aperte dicat, ore fieri confeſſionem ad ſalutem.

3. Erubeſcẽtes fidem.

Quarto, qui Reges Principeſque malitiæ arguere non audentes, pernicioſe ijs adulantur, laudantes ipſorum res male geſtas pro libitu. Quemadmodum quadringenti illi Prophetæ, qui vno ore Achabo Regi proſpera vaticinantes, eum inani pollicitatione decepere.

4. Adulatores.

3.Reg.22. 13.

Quinto, qui proximum ex fraterna charitate, iuxta Dei præceptum, non admonent, cum delinquit, & correptus,

5. Qui non corrigunt fratres.

ptus, facile ſeſe emendaret. *Sexto*, qui ſiniſtre de proximo loquuntur, non audentes id in eius facere præſentia. *Septimo*, Qui innocentes, de quibus mala audiunt, non defendunt, quaſi detractoribus fauentes. *Octauo*, qui raro Deum laudant, orant, aut grates ei agunt. Hinc eſt quod Rupertus ideo Adamum Euamque in peccatum corruiſſe adfirmat, quod diuinę Maieſtati ſuis pro beneficijs, gratias non rependerint. *Nono*, Hæretici qui idoneum ad diſſeminanda praua ſua dogmata tempus præſtolantes, ſilent quaſi Catholici eſſent; quam diu nimirum horum negotia belle ſuccedunt. Ita etenim Luthero Erphordiæ in conuentu Auguſtinianorũ, cum præſens hoc Euangelium publice decantaretur, euenit: ad cuius recitationem quaſi amens, ac vere à dæmone poſſeſſus, contenta voce exclamans: Non ſum, inquit, Non ſum, ac ſi diceret: ego mutus diabolus necdum profligatus ſum, neque meum loquendi tempus adhuc aduenit. *Decimo*, qui ſua confitentes delicta, ea de induſtria ſubticent; ſiue in toto ſiue ex parte. Quocunque id etiam modo fiat, ſiue ex verecundia, metu, aut deſperatione, vt Bernardus ait, ſiue ex ſuperbia; quemadmodum *Phariſæi* ex animi elatione ſua Ioanni Baptiſtæ detrectabant confiteri peccata, cæteris omnibus id facientibus. *Quoniam tacui*, inquit Pſaltes Regius, *inueterauerunt oſſa mea*. Sicuti namque vulnus aut ægritudo non patefacta, indies fit deterior, ita & cum peccatis agitur, ſi ſilentio premantur.

6. Detractores.

7. Qui detrahentibus non reſiſtunt.

8. Qui Deũ raro laudant. *Rup. in c. 3 Geneſ.*

9. Hæretici. *Cochleus in vita Luth. & Naſus Cẽt. 5 v. 13.*

10. Qui non integre confitentur. *Bern. in ſent. Matt. 3. 6. Pſal. 31. 3.*

Vndecimo, Qui tentationes quas patiuntur diabolicas manifeſtare nolunt; quippe cum dæmon ſua ſecreta, taciturnitate velit inuolui; inſtar ſceleratiſſimi lenonis, qui honeſtam puellam cupiens decipere, ſilentium ei ſtudioſe imperat. Vnde Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha ſcribit, ſenem quendam fuiſſe Anachoretam, qui annis aliquot graui carnis vexatus tentatione, flens dæmoni aiebat. Cur non hinc te proripis? cur non me inquietare deſinis? ad quem ille: iura, inquit mihi, quod nemini indicaturus ſis, & ego te in pace relinquam. Dictum, factum. Et dæmon: nolito, ait, amplius coram hac imagi-

11. Qui tentationes ſuas non aperiunt. *Sophr. in pr. c. 45. Damaſ. l. 1 de imag. Bred l. 2. coll. c. 22.*

ne geniculari, ac precari, & ego à te impugnando deſiſtam. Habebat enim ſenex eo in loco imaginem Dominæ noſtræ, brachijs ſuis puerulum Ieſum ſtringentem, quam venerari erat ſolitus. Hoc audito, deliberandi poſtulauit inducias, remque omnem die ſequenti Abbati Theodoro Æliotæ, in Laura Pharan tunc habitanti, expoſuit. Qui reſpondit, vere illuſus es, Domine Abba, & peccaſti iurando dæmoni: ſed quod arcanum aperueris, recte admodum à te factum eſt. Certum itaque habeas, minus eſſe peccatum, omnia vrbis frequentare lupanaria, quam Chriſtum, eiuſque ſanctiſſimam matrem honore non afficere. Quod & de imaginum cultu intelligi poteſt, maxime ſi ex contemptu, hæreſi, dæmoniſque inſtinctu fiat: quippe cum crimen hæreſeos, vnum ſit ex præcipuis inter omnia flagitijs, ſi quis obſtinato animo detrectet Chriſto ac Deiparæ Virgini, imaginibuſque ſacris, vel quidquam honoris aut reuerentiæ. dæmonitaque vehementer ſuccenſuit huic Heremitæ, conſilia ſua in publicum proferenti. Nouit enim, omnia ſua in veritate turpia & deformia eſſe, vmbram ſolum boni habentia.

12. Qui vtilia non loquuntur.

Duodecimo, qui de rebus vtilibus boniſque cum exigit occaſio, ſermocinari nequeunt. in vanis autem & nugis quam expeditiſſimi, exercitatiſſimique ſunt, ſi vero quid boni ab alijs in medium proferri audiant, ibi plane muti, ac inſtar piſcium elingues, reperiuntur. Quemadmodum Propheta teſtatur, dum ait: *ſilui à bonis*. Multi, etſi articulatim vocem non edant, muſſitant tamen murmur aliquod ingratum. Quod & ſpiritaliter mutis contingit, qui multa quidem ineptiſſima effutiunt, nihil tamen quod ad regnum cœlorum pertineat.

Pſal. 38. 3.

Muti ſpiritualiter muſſitant aliquid.

Tales *inprimis* ſunt hæretici, quorum voces voci locuſtarum comparantur; alarum ſuarum ſtrepitu ſonitum edentium; quarum vox Beato Ioanne atteſtante, ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. Horum etenim omnis prædicatio, intentio, & ſtudium, ad ſeditiones, rebellionem, inobedientiam, bellumque dirigitur. Hinc quippe eſt quod melioribus vtilioribuſque poſt habitis, de Pontificum, & Cardinalium, aliarumque Eccleſiaſticarum perſona-

1. Hæretici. *Apoc.* 9. 9.

perſonarum vitijs ac defectibus, illorum ferueant conciones, vt populum ab eorum obedientia ſubtrahant. Talis & Elymas extitit Magus qui proconſulem Sergium Paulum à fidei veritate auertere conatus à Beato Paulo hiſce verbis eſt excæcatus: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus non videns ſolem vſque ad tempus.* *Act.13.8.*

Secundo, qui proximis ſuis detrahunt, quos idem Paulus *canes* vocat, *videte* inquiens *canes, videte malos operarios.* 2. Detractores. *Phil.3.2.*

Tertio, qui proximorum ſuorum virtutes mala intentione proferunt; veluti puella illa, quæ Pythonicum habens ſpiritum, Paulo acclamabat: *iſti homines, ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis*: nec non & dæmones illi, qui Chriſto Domino aiebant: *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei.* Ita nonnulli ſunt, qui in præſentia maritorum vxorem de deuotione, quaſi commendare videntur; aut filios coram parentibus, de bona ad ſtatum Eccleſiaſticum intentione, vt eo conuenientius hoc impediant. 3. *Act.16.17. Matt.8.29*

Quarto, qui ſordida, atque immunda proferunt verba, de quibus Paulus: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis.* Hi coaxantium ranarum vocem habent, de quibus B. Ioannis in Apocalypſi, quod mundum decipiant. 4. Impura lingua. *Eph.5.3. Apo.13.13.*

Quinto, qui iracundiæ ſtimulis concitati, furiunt & inſaniunt: iurant & peierant; maledicunt & blaſphemant, de quibus Sapiens admonet: *Noli eſſe ſicut leo in domo tua.* Hinc eſt quod idem Ioannes ſcribat, equos iſtos quibus dæmones inſidebant, habuiſſe capita tanquam leonum, & de eorum ore proceſſiſſe ignem, fumum & ſulphur. Ad inſinuandum videlicet, quod homines iracundi, non niſi à dæmone regantur. 5. Iurantes. *Eccl.4.35. Apoc.9.17.*

Sexto, auari, quibus ſemper de acquirendo eſt ſermo, quorum ora ac corda im̃undorum inſtar porcorum, in ſordibus ſemper ſunt, ac grunniunt. Quemadmodū Nabal, qui Dauidi exulanti, atque inedia periclitanti, nihil tulit ſubſidij, ſed potius tanquā fugitiuo ſannis contumelijſq; iniuriā intulit. 6. Auari. *1.Reg.15.*

7. Superbi.

Esther 5.5. *Dan 4. 27*

Septimo, superbi, qui sua libenter iactitant, sicuti Aman, opum, dignitatumque suarum magnitudinem prædicans; & Nabuchodonosor elato animi fastu magnificentiæ suæ splẽdorem plenis buccis efferens. Qui quidem deformem imi-

Eccl. 10.7. tantur pauonum strepitum, cum *odibilis sit coram Deo & hominibus superbia.*

8 Mendaces

Prou. 6. 19

Octauo, mendaces qui inter septem illos commemorantur, quos odit Dominus.

9. Loquaces

3. Malum à dæmone. Peccator surdus.

Nono, Qui ad loquendum plus æquo sunt proni, ac irreuerentes: decet namque Christianos, in loquendo maturos ac consideratos esse, non nugaces, futiles, vaniloquos, aut scurriles. *Tertium*, quod obsessis diabolus infert est, quod *surdos* eos efficiat: ne diuinas monitiones audiant. Vnde per Re-

Psal. 80.12 gium Psaltem conqueritur Dominus; *non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.* Deus autem varijs

Deus loquitur nobis.

nos alloquitur modis. *Primo*, per Catholicorum concionatorum sermones. *Secundo*, per bonas parentum, confessariorum, aliorumue admonitiones. *Tertio*, piorum hominum,

1. 2. vitam in melius commutantium, exempla. *Quarto*, per pro-

3. 4. sperum rerum temporalium, quibus boni interdum à Deo

1. Reg. 6. ditantur, successum. Quemadmodum domui Obededom, arcam Dei hospitio suscipientis, benedixit: vt ad idem faci-

5. endum, Dauidem commonefaceret. *Quinto*, per malorum

6. correptionem, vt à malo nos absterreat. *Sexto*, per res secun-

7. 8. das, quas interdum nobis indulget, vt ad se nos melius allici-

9. 10. at. *Septimo*, per aduersa quibus nos ad se compellit. *Octauo*, per conscientiæ tranquillitatem, quam bene rectèque agendo, experimur. *Nono*, per eiusdem remorsum, quem peccando sentimus. *Denique* per inspirationes diuinas, dulcemque tractum quem cælitus nobis immittit. Quas quidem omnes

Quis surdus.

Dei voce, qui non audit, surdus omnino censendus est: quales sunt qui conciones ad se nil pertinere putant; vel pia aliorum monita spernunt, neque quid proximo, aut sibi ipsis à Deo immittatur, considerant, aut ad conscientiæ vel quietem, vel inquietudinem, attendunt. Habentes nimirum hæc pro rebus nimis spiritalibus, aut subtilibus; occupantes

pantes ſe interim cum craſſis temporalibus negotijs: imitantes exemplum filiorum Iſrael, qui in Ægypto duriſſimis operibus luti ac lateris immerſi erant, grauiſſimoque onere oppreſſi. Vnde hinc diſce rationem cur multi in precibus adeo reperiantur diſtracti, nempe quia non attendunt ad Dei verbum, quod orationis tempore legunt, quippe cum omnino ſurdi ſint. Domi namque conſtituti, rarius de rebus diuinis ſermocinantur, intenti ſcilicet occupationibus vanis: itaque dum orant, ſurdi plane ſunt, adeo, vt nec ſeipſos quidem audiant intelligantue.

4. Damnũ à dæmone

Quartum detrimentum eſt, quod peccatorum animam poſſideat. Non quod animæ naturam, quæ ſolius Dei eſt, penetret, ſed quod vinctam detineat, eamque pro arbitratu ſuo trahat, rapiat, commaculet. Ex his quæ corporaliter poſſeſſi, patiuntur in corpore, aliquatenus licet colligere, quid ſpiritaliter obſeſſi interius ſuſtineant. Quorum quidem tria potiſſimum ſunt. *Primum*, ingens tormentum cum dæmon corpus interius excruciat. *Secundum*, magna corporis deformitas, quod mirabiliter à diabolo excarnificatum, nunc oculorum orbes longe lateque extendit, nunc ventrem inflatum reddit, aliquando poſt guttur faciemque enormiter indenſat, exerens linguam, intorquens os, ceruicemque inflectens. *Tertium*, membrorum violentia, quibus pro voluntate ſua dæmon vtitur; loquens lingua, operans manibus, currens ac calcitrans pedibus, dentibus morſicans ac ſtridens. &c. Quæ omnia etiam peccatoribus ſecundum animam à diabolo obſeſſis eueniunt. Sentiunt etenim *in primis*, non ſolum remordentis conſcientiæ pœnam, omnia tormentorum genera ſuperantem (Sapiente namque atteſtante, *omnis plaga, triſtitia cordis eſt*, quanquam plurimi eam non ſentiant) ſed & aliarum rerum diuerſos cruciatus; ſiue interius in anima, ſiue exterius in corpore; quippe, cum nullum peccatum ſine pœna ſit. Ambitio te excruciat, ſi Dominum qui te ad altiorem dignitatis ſtatum queat euehere, iratum tibi conſpicias: vnde ſollicitus es, vt ei reconcilieris. Quin imo vehementer affligeris, ſi pro ſpe & expectatione

Tria ſuſtinent ſpiritualiter obſeſſi.

1.

2.

3.

Applicatio.

1. Remorſus conſcientiæ. *Eccl.* 25. 17

Ambitioſi.

ctatione tua, honore non afficeris, prout luce meridiana clarius ex ſuperbiſſimo illo Hamane cernimus. Auari quoque pleni ſunt ſollicitudine, timore, ac deſperatione, quę nõnũquam adeo magna eſt, vt multi rerum ſuarum diſpendium pertimeſcentes, ſibiipſis laqueum inijciant, quemadmodum Achitopheli accidit. Quibus vero cogitationum fluctibus luxurioſi ac iracundi concutiantur; quando vel libidinis œſtro perciti, vel vindictæ cupiditate inflammati ſunt, impoſſibile dictu foret. Hæc etenim talia ac tanta ſunt, vt nulla vis orationis ea poſſit vel enumerando percenſere. Hinc eſt quod Ethnicorum quidam ait:

Eſt.5.13. Auari.

2.Reg.17.23.

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum.

Vnde quos oderant, altius prouehebant, vt ſic grauius eos deprimendo, affligerent. Neque vero in corpore minus ſentiunt tormentum. Quippe cum integras ſæpe noctes ducant inſomnes, vt choreis poculiſq; vacent, corpus quam ſtrictiſſimè comprimunt, capillos candenti calamiſtro criſpant, ac quaſi helciarij equi, graui indumentorum ſarcina onerantur. Inſuper & reluctante natura, poculis nimijs obruuntur, vt in ægritudinem incidant, totas noctes inſumũt, vt occaſionem captent: ex quibus omnibus nihil referunt, niſi poſt peccatum, inſignem infamiam, graue dedecus, morbos turpes, omne denique miſeriarum genus. *Secundo*: per peccatum fiunt deformes turpeſque in anima, quæ diaboli adſumit ſimilitudinem, cuius deformitas in Scripturis, multarum venenatarum ac truculentiſſimarum beſtiarum nominibus exprimitur. nempe *a* draconis, *b* ſerpentis, *c* ceti, *d* rugientis leonis, aliarumque conſimilium: vt per hæc ſignificetur, illum quidem omni ſpurcitiarum genere plenum, hominem vero peccatorem, duos in ſe habere dęmones, ipſum Sathanam, & animam (ſi ita loqui liceat) Sathanatam; item deformes fiunt in corpore, per omnium vitiorum inquinamenta, nam auari & inuidi carnem conſumunt, pleni melancholia, triſtitia, varijſque cogitationum fluctibus ita æſtuantes, vt vix vnquam hilarem ſumant vultum. Guloſi rubeſcunt in facie, inflati, ac puſtu-

2. Turpitudo animę.

a Apo.12.9
b Gen.3.1.
c Iob 40.10
d 1.Pet 5.8

Et deformitas corporis.

pustulis deformati, quorum venter, vt Bacchi filios queas agnoscere, extenditur, inde arthritis sequitur, vt nec pes nec manus suum officium præstent. Iracundi præ nimia ira, rubore ac tumore inflammantur. Mulieres superbæ, adeo deformiter sese vestiunt, vt monstro similiores sint quam hominibus. Vnde si peregrinas tali vestitu adirent regiones, vbi nũquam tale quid oculis vsurpatum, omnes cateruatim ad huiuscemodi conspiciendã monstra, in plateas se effunderent, & pueri eas ceu monstra stiparent. *Tertio*, Diabolus interioribus eorum sensibus, pro sua vtitur voluntate.

Vnde *in primis* fit, vt nec mortem, nec iudicium, nec inferni pœnas pertimescant; cum illorum intellectus ab huiuscemodi salutaribus cogitationibus impediatur, abstrahaturq;. *Deinde*, vt vanis carnalibusq; cogitationibus pleni efficiãtur, in ipsis etiam Ecclesijs, sacris concionibus, orationibus, &c. prout dæmon hoc illis ingerit. *Tertio*, quod difficiles ac tetrici reddantur in diuino frequentandq officio, in dandis Eleemosynis, adeundis templis, statutis ieiuniorũ diebus obseruandis, peccatis per confessionem abolendis, cæterisq; alijs pietatis exercitijs: nullam interim omnino difficultatem sentientes, dum per noctem integram, ad auroram vsque choreas continuant, dum ingentem pecuniæ vim in superfluum vestimentorum cultum, ferculorumque apparatum profundunt, dum facie laruati inhonesta adeunt loca; dumq; ideo ieiunant, vt corpore graciliores efficiantur; vt ad speculum se poliant, comantq;, vel alijs verum mundanarum vanitatibus vacẽt: diabolus etenim qui tales pro suo arbitratu gubernat, ita imperat. In hæc autem tam deformia mala duab. de causis homo præcipitatur. *Primo*, quidem iustissima Dei permissione: qui ideo summo iure nos in aliorum dominorum manus sinit incidere, quod ipsum suscipere recusemus: vt vel hinc quid inter diuinum ac diabolicum seruitium discriminis sit, exacte cognoscamus. Ita olim cum Iudæis ipsi seruire detrectantibus, egit, quibus ait: *seruietis dijs alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Hinc illi qui CHRISTI tempore proprio repudiato Messia, Cæsarem sibi in Regem

3. Abusus sensuum.

1. Non timent futura.

2. Pleni sunt libidine.

3. Difficiles ad diuina.

Malorum horum duplex causa.

1. Dei iusta permissio. *Hier.* 16. 13

Ioan.19.15. Regem adſciuerunt, aiebant: *non habemus Regem niſi Cæſarem*; hoc eſt, ſi Deus nullum nobis alium largiturus eſt Meſſiam, quam hunc, adhærebimus Cæſari. Quem adepti miſerabiliter admodum per totum terrarum orbem etiamnum premuntur, in perpetua degentes ſeruitute, cenſu annuo vitam redimentes; idque magis in Turcarum quam Chriſtianorum ditionibus. Itaque peccatoribus qui primum in diuino fuerant occupati ſeruitio, hanc Deus immittit tribulationem; vt conſiderantes vbi antea fuerint, & in quem nunc locum deuenerint, ad priſtinę dignitatis ſtatum pedem referant.

Oſee 2.6. Sic etenim per Prophetam loquitur: *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria*: hoc eſt peccata tua, tibi grauia efficiam. Huius autem oneris grauitatem, mox poſt peccatum, perſenſit primus humani generis parens, qui in innocentiæ ſtatu ingentem rerum diuinarum expertus erat voluptatem, quique idcirco magna animi contritione ad placandum Deum conuerſus peccati remiſſionem Sapiente atteſtante impetrauit, & prodigus ille filius qui ob peccatum in extremam incidit inopiam, inediamque.

Sap.10.2. *Luc.15.*

2. Cauſſa. Noſtra malitia.

Secundo, Per liberi arbitrij voluntatem, per quam peccatis nos reddimus obnoxios, atque in ijs perſeueramus: peccando namque diabolicæ nos poteſtati committimus, donantes illi chirographum noſtrum, quod CHRISTVS eidem eripuerat, *adfigens illud*, vti Paulus loquitur, *cruci*. Per hoc etenim Diabolicæ nos Tyrannidi vltro ſubiecimus, atque ad æternas gehennæ pœnas ſponte obligauimus. Sedulo autem notandum Euangeliſtas non dicere *expulit* aut *emiſit* dæmonium, ſed *eiecit*; vt hinc diſceremus, quam ægre diabolus ex homine ſemel obſeſſo, emigret. Siue enim exeundi ei poteſtatem facias, ſiue inuitum abigas, verbereſue, recuſat ceſſionem. Similis namque eſt felibus difficulter ex triclinio emigrantibus. Quas ſi fuſte coneris abigere, videbis, quod vel ſub lectica, vel menſa ſeſe abdent; ſi autem capere velis, mox huc illucque fuga ſeſe eripient; quod ſi forte iam ceperis, vnguibus ſuis vel tegmini vel tapetibus alibi adhęreſcent,

Coloſſ.2.14

Diabolus quem ſemel cepit difficulter deſerit.

ſcent, ex quibus, ſi euulſeris, coneriſque à te abijcere veſtes deportantis tenent ita, vt magno cum labore ex loco expelli debeant. Idem omnino facit dæmon cum homine quem ſemel occupauit. Vnde ſi ex ore eum eieceris, abſtinendo nimirum à ſuperflua cibi potuſque ſumptione, mox ad linguam ſeſe tuam recipiet, inſtigando te ad futilem loquacitatem. Inde ſi eum profligaueris. per taciturnitatis diſcretionem, aurium confeſtim occupabit domicilium, vt ad detractiones, vanaſque audiendas confabulationes libens eas accommodes. Quod ſi ex his quoque eum emigrare compuleris, nolendo huiuſcemodi rebus aures intendere, in oculos inſiliet, vt eos curioſe huc illucque circumferas. Poſtmodum pedes inuadet, vt ambules in vanitatibus: deinde manus, vt eas ad res iniuſtas extendas, & quæ corraſiſti tenaciter teneas: nec non & caput ipſum, per inanes rerum mundanarum cogitationes. Adeo vt ne vnum quidem in toto corporis tui domicilio, vacuum tibi liberumque angulum relinquat, quem importuno ſuo inſultu non inuadat. Quem cum iam putes te comprehendiſſe, vt eum abs te proijcias, tunc tamen adhuc vnguium ſuarum tenacitate alibi adhæreſcet, vel per noxiam aliquam cupiditatem, vel per proprij ſenſus tui complacentiam, aut etiam occultam aliquam tui corporis ſuperbiam. Niſi enim & te, & tua omnia ab ipſo expedias, Deoque totaliter ſubijcias, nulli caducarum rerum inhærens, quin diuinæ eas voluntati charitatique libentiſſimè poſthabeas, non poteris vnquam plene à Diabolo te extricare. Qui non ſine cauſſa, cum aduncis pedum manuumque paſſim vnguibus pingitur; quippe, qui quod ſemel comprehendit, tenaciter retinet, locumque ſemel occupatum difficulter relinquit.

Hinc eſt quod Beatus Lucas dicit mulierem quandam, *annis decem & octo*, à Sathana fuiſſe occupatam. Quin & Indicæ literæ commemorant, in barbaris iſtis regionibus, dæmones nonnunquam ex parentibus in filios ſucceſſiue demigrare. Quod in Europa quandoque Chriſtianis vſu venit: *Luc.13.16.*

nit: maxime liberis illis, qui prauis malorum parentum veſtigijs inſiſtunt. Nempe cum filij hominum ebrioſorum, ebrietati quoque vacant; vſurariorum, vſuras exercent, hæreticorum, hæreſin amplectuntur; ſaltatorum, ſaltatores fiunt, &c. Quorum poſteritas, vt pernitioſius perſeuerantiuſque hiſce immoratur vitijs, ſic dæmonis quoque vires auctiores validioreſque efficit, cum tales nō ſolum originem aliquam nociuam, ac procliuem inclinationem à parentibus inbibant, ſed & actu exercitationeq; nequiorem eam faciant, inſiſtēdo, peruerſis reproborum parentum veſtigijs. Eam ob rem Chriſtus cōminando Phariſęis, aiebat: *væ vobis Scribis & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proſelitum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* *Matt.* 23. 15

Sex notanda.

Diſce hinc *inprimis*, diabolo nullum in te aperire locum.

1. *Secundo*, oris repagula, ac quinque ſenſuum feneſtras firmiter obturare.

2. *Tertio*, quotidiano conſcientiæ examine diligenter ſcrutari, an etiam paruulus aliquis in te latitet diabolus: nempe occultus aliquis rancor, bona iniuſte acquiſita, carnalium deſideriorum cogitationes, in loquutione, veſtitu, ſtatione, ſeſſione, alijſque ſimilibus, philautia: quibus tanquam diabolicis vnguibus vinctus detinearis.

3. *Quarto*, ex toto corde diuinum implorare auxilium, conſignando & armando te eius cruce, eius gratia te operiendo, ac bono propoſito confortando.

4. *Quinto*, Deiparę Virginis, Sanctorumque omnium interceſſionem, humiliter experere: qui nunquam nō parati ſunt, tibi fideliter adſiſtere: & maximè Angeli cuſtodis, qui tibi in adiutorē iuxta ac ꝓtectorē à diuino numine adſignatus eſt.

5. *Sexto*, nullo vnquam tempore dæmonē aduocare, aut illius nomine ſine graui execratione, cruciſque conſignatione vſurpare. Qui enim ſæpe id facere conſueuere, arctiori aliqua ipſius vti familiaritate videntur: à quo viciſſim noti putantur, adeo vt frequenter eos inuiſat, ſuoſque vngues in ipſorum ora conijciat. Cogita illum facile aduentare, cum inuitatur: & ijs in locis præſto eſſe, vbi illius ingeminatur

natur nomen: tum quoque quam ægre ſemel occupatum deſerat, conſidera.

II. *Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Matthæus hiſce verbis hæc ita exprimit: *& curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant; nunquid hic eſt filius Dauid?* Marcus vero addit: *& cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum, quoniam in furorem verſus eſt.* Quatuor in vno homine hic facta ſunt miracula: *Primo*, namq; eiectus eſt dæmon. *Secundo*, cæcus videt. *Tertio*, mutus loquitur. *Quarto*, ſurdus audit. Vnde *Dei perfecta ſunt opera*, inquit Moyſes: qui ſuos integre perfecteque ſanat, auferens totius rei malæ initium, cum dæmonem abigit: quippe qui cæcitatis, ſurditatis, ac mutitatis cauſa exſtiterat; non minus quam ſicuti ſæpenumero ex peccato, corporales prodire ægritudines cernimus: quæ tunc primum nos deſerunt, cum delinquendi finem facimus. Quemadmodum Chriſtus duobus iſtis paraliticis palam ediſſeruit: quorum primo ait. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et alteri. *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid deterius tibi contingat.* Diabolus autem cum in homine eſt, duas nociuas admodum habuit mutitates.

Mat. 12. 22 *Marc.* 3. 21.

Quatuor miracula in vno.

1.
2.
3.
4.

Deut 32. 4

Peccatum radix morbi.

Matt. 9. 2. *Ioan.* 5. 14.

Peccator bis mutus

Harum *prima* eſt, quod ſuam nolit profiteri culpam: prout in illis licet cernere, qui ſuis reguntur, ſuperanturque paſſionibus: hi etenim quantumcunque ſint culpabiles, in alios tamen ſemper culpam conijciunt. Vnde facinoroſi carceribus detenti, raro ſuam agnoſcere volũt nequitiam: vel enim ex parte, vel ex toto innoxios ſeſe clamitant, aut in alios deriuare crimen, Adæ & Euæ inſtar, conantur.

1.

Deinde, diuina laus ex talium ore haud quaquam Deo eſt accepta, teſtante idipſum Pſalte regio: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas & adſumis teſtamentum meum per os tuum?* Dæmone vero profligato, mox oris clauſtra in diuinæ laudis encomium reſoluuntur. Quemadmodum filij Iſrael, Pharaone cum ſuis in profundum maris demerſo, carmen ſuauiſſimum, Deoq; acceptiſſimum cecinêre. Itaq; ſuperatis paſſionibus, homo prius ſuam conſpicit iniqui-

2.

Pſal. 49. 16

Exo. 14. 15.

Eccl. 15. 9. iniquitatem. Et licet *non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris*, non debent tamen, qui peccatis ſunt obnoxij, à diuinarum laudum ceſſare præconijs, precibuſq; abſtinere: ex quarum frequentatione duo naſcuntur commoda.

Duo commoda orationis.

Primo, namque dum precibus incumbunt, à peccatis vt Chryſoſtomus ait, abſtinent.

Secundo, ad immutandam prauam voluntatem præparantur; cum Deum & ore inuocant, & intellectu cogitant, licet voluntate necdum in eum ferantur. Peccator namque ſimilis eſt homini, magno in frigore denſiſque tenebris conſidenti; qui à longe luculentum conſpicatus focum, pedetentim incipit adrepere: Sic & ille, qui etſi ob peccatum penitus in amore Dei obtorpuerit, adeo vt diuinæ charitatis ignem nec videat, nec ſentiat, cum tamen ore eum inuocat, & intellectu de eius bonitate, ſuorumque peccatorum enormitate cogitat, frigus ſuum paulatim ſentire incipit, diuinique amoris flammam à longe intueri; & ſic data ſibi occaſione, Deo proximior efficitur, donec ſe tandem totum ipſi adiungat, offeratque. Hinc ergo cognoſcere potes, an penitus à dæmone ſis liberatus: ſi enim tantum virium in te non ſentis, vt libere perfecteque ea quæ decent, loquaris, adhuc locum in te habet vel aliquid ſaltem quod ſuum eſt: nempe ſi erubeſcis tua confiteri peccata, ſi te excuſas, ſi non audes delinquentes commonere, ſi non libenter oras, ſi libentius vana quam diuina loquaris, aut potius de proximorum defectibus quam virtutibus, ſi ex moroſitate magis quam ex charitate quempiam arguis, & mones, ſi adhuc procliuis es ad nugas, iocos, ſcurrilitates, prauiſque inhæres deſiderijs. Hæc magnum omnino ſignum ſunt necdum te dæmonū impoſturis, preſtigijſq; prorſus expeditum eſſe. Muto vero iam loquente, *admiratæ ſunt turbæ*, imo quatuor ſunt quæ fecêre, digna certè quæ & nos imitemur. *Primo*, ſequebantur Chriſtū, quocunq; ibat, eiuſq; verba audiebant, nam ſemper ferè frequentia hominum circumdatus erat. *Secundo*, obſeruabant beneficia, quæ in homines conferebat. *Tertio*, De omnibus his taciti admirabantur. *Quarto*, illorum plurimi, publicè Chri-

Peccator cui ſimilis

Chryſ. li 1. de Orat.

1.

2.

Quatuor imitanda?

1.

2.

3.

4.

Christum Messiam profitebantur, exclamantes; *Nunquid hic est filius Dauid?* Quin & tu idem facito; sequendo *inprimis* Christum, quocunque te vocat, eius verbis, diuinisque inspirationibus mortem gerito. *Deinde*, considerato, quam mirabiliter homines gubernet, quam potenter, quam prudenter, quam amabiliter. *Sic* etenim, vt pulchrè *Gregorius* ait, *intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis.* *Tum* quoque, admirare dicta factaque ipsius vere admirabilia. Disce *postremo*, ex his cognoscere, quam potens, prudens, amabilisque sit. Potens quidem, ad opitulandum tibi. Prudens ad cognoscendum secretiora cordis tui: Amabilis, vt & à te quoque redametur. Vnde B. Augustinus rectè obseruauit, homines quidem omnes Christi res benè gestas admitatos fuisse, sed non imitatos aut ad meliorem inde frugem conuersos. Nõnulli enim violentas in eum conijcere manus volebant, ac quasi mẽte captum, carceri mancipare. Hi autem erant ex cognatione eius, qui à teneris eum cognoscentes, necdum tamen, vti Ioannes testatur, in eum credebant. Alij vero miraculorum magnitudinem multitudinemque conspicientes, veluti attoniti nesciebant quid cogitarent. Disce sic *inprimis* neminem è turba Christum prædicationis tempore plus persecutum, quam cognatos: qui & hic capere eum conãtur, & alibi pro ambitioso habent, volentes per ipsum honorari: idque quia caro & sanguis non agnoscunt spiritum Dei. vnde nullatenus mirari debes, si vel à parentibus impediaris, vel ab amicis cognatisque arguaris, irridearisque, cum diuino obtemperare cupis instructui. Nihil quippe aliud habẽt præter carnales affectiones, quas cum corpore ab illis traxisti: si amatores mundi pro insanis ac mente captis habent eos, qui ea quæ ipsi magna æstimant, ardenterque affectant, despiciũt, abijciuntque. Verum in his non est spiritus Dei, quem potius à spiritalibus, doctis, diuinoque timore præditis hominibus hauries. Sæpè ergo animo tecum versa, quod *inimici hominis domestici eius.* Disce *secundo*, quod inter diuinæ creationis opera, summa admiratione digna, maximè excellat hominis conuersio, & diaboli expulsio: Hoc etenim D. Augustino

Mat.12.23 Applicatio. 1. 2. *Greg. 25. Mor. 6.19.* 3. 4. *Aug tr.29 in Ioan.* *Ioan.7.5.* Tria discenda. 1. *Ioan.7.* *Matt.10. 36.* 2. *Aug.tr.72 in Ioann.*

stino adstipulante, plus est quam cœlum, terramque ex nihilo creare: quippe cum in peccatoris conuersione aliquid sit, quod obstet; nempè praua hominis voluntas, in mundi autem creatione non item. Propterea Deo ex corde gratias agito, cum vel vnicum tantum peccatorem conuersum videris: quin & eum de tua conuersione lauda, cauens de cætero à peccatis; ne forte hoc tam ingens miraculum denuo tibi præstare nolit. Imò, & pro peccatoribus ora, vt miraculorum suorum potentiam, in eorum conuersione ostendat,

Dom. 10. post Pent. cum Deus, prout Ecclesia in publico diuino concinit officio. *Omnipotentiam suam parcendo maximè & miserando manifestet.* Disce *tertio*, non solum Dei admirari opera, sed & imitari. Vti namq; parum adfert emolumenti, multa scire, & abscondere, quemadmodum Ecclesiasticus ait; ita non satis

Eccl. 20. 32 hauries vtilitatis, si admirator tantum diuinorum operum

Ioan. 14. 12 fueris, & non sectator. Hinc est quod Saluator ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet & maiora horum faciet.*

Aug. tr. 72 in Ioan. Quem locum Beat. Augustinus exponens tunc maiora nos opera facere dicit, cùm proximorum conuertimus animas. Adnitere ergo pro viribus, vt per Christi gratiam, primum tuam ipsius conuertas animam; misertus nimirum *animæ*

Eccl. 30. 24. *tuæ.* vt Sapiens loquitur, & placens Deo: deinde vt & proximos Christo lucrifacias. Attende præterea, vt hæc tua conuersio non solum interius in corde fiat, sed & per externam

Matt. 5. 16. immutationem hominibus innotescat: *Vt videntes opera vestra bona glorificent Patrem qui in cœlis est:* imitantes nimirum virtutes tuas, sibique persuadentes, ea quæ tibi sunt possibilia, etiam se per Dei gratiam posse. Itaque si te forte ex hæresi ad Catholicæ Ecclesiæ gremium postliminio receperis, ne erubescas profiteri fidem tuam, sacro Missæ officio interesse, peccata confiteri, sacram synaxim frequentare, hæreticorum commercium deuitare, & id genus alia. Et si diuino te velis mancipare seruitio, oportet vt mundanis vanitatibus renunties, comessationes fugias, saltatoriam ac gladiatoriam deseras, superfluum vestimentorum ornatum abijcias, &c. nec confundaris profiteri te talem qualis esse velis. Si autem religiosus es talem te exterius quoque exhibe, cauens

tibi

tibi à proprietatis vitio, propriaque voluntate: tecum cogitans non vitio sed virtuti esse tibi, si in dictis factisque humilem obedientemque te exhibeas, paupertatem secteris, si in visu, auditu, loquutione alijsque actionibus circumspectè modestè casteque te habeas. Quemadmodum enim Doctori alicui, qui se expertum indicat medicum, magnæ fuerit infamiæ si suam prodat inscitiam; ita religiosis, Deo per votum paupertatis, castitatis, ac obedientiæ obstrictis atq; in perfectionis schola constitutis, summum est dedecus, cū in dictis factisque aliquam præ se ferunt iactantiam, proprietatem, immunditiam, proprij sensus pertinaciam, murmurationem; aut aliud quid, quod ipsorum reptignet professioni. Contra vero, magnę hoc tribuitur laudi, si quid suę conforme professioni, bene recteque fecerint. *Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum, ejcit dæmonia.* Matthæus hæc ita enarrat. *Pharisæi autem audientes, dixerunt: hic non ejcit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Marcus verò sic: *Et Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: quoniam Beelzebub habet: & quia in principe dæmoniorum ejcit dæmonia.* Videntur Scribæ hi qui ab Hierosolymis descenderant, partim ideo ad Christum venisse, vt quæ diceret, curiosè obseruarent, eaque ad Hierosolymorum Primates, quibus de his sententiam ferendi authoritas incumbebat, deferrent. partim vt plebeiorum animos ab ipso alienarent; audientes nimirum quod conciones eius non facerent ad suum palatum, cum eorum sceleratam vitam publicè argueret, maiorique cum gratia & attentione, quam illorum quisquam, à populo audiretur. Itaque inuidiæ zelo accensi Christi exaltationem, suum censebant contemptum; cùm tamen eorum studium in eo esse debuisset, vt Christi Saluatoris doctrinam, ac miraculorum gloriam, tanquam Doctores plebis qui Scripturæ sibi pollicebantur; pleniorem cognitionem, cum laude potius populo inculcarent, commendarentque. Verum superbię fastus, ac vitioſę animi passiones, ad inuidiam blasphemiamq; eos concitabant. Qui alterius negotiationis sunt, non sibi mutuo pretij inuident

Matt. 12. 24.

Marc. 3. 20.

magnitudinem, populive concurſum: quin potius aliorum merces promouent, ac dilaudant, cum aliorum emolumentum haudquaquam ipſis incommodet: veluti ſartores, ſutores, cæmentarij, lignarij, &c. Itaq; laici diuini verbi præcones commendant, de concionum eloquentia, doctrina, ac dexteritate: cum interim qui eiuſdē ſunt functionis ſeſe mutuo vituperent, vt in ſe totum quidquid eſt laudis deriuent: quemadmodum hoc nomine ſutor ſutori, cantor cantori,
Gen. 13. 8. mendicus mendico inuidet. Hinc iurgium erat inter paſtores Abrahami & Loth, cum vtriſque alendorum pecorum cura iucumberet. vnde cum ipſi quoque Scribæ ac Phariſæi haberent ad populum conciones, propterea Chriſto plebi magis grato, inuidebant. Tales Catholicorum, pro dolor nonnullos reperias, qui apertè ſe oſtendunt non animarum ſaluti, ſed propriæ ſtudere vtilitati. Fideles Chriſti ſerui, eo gaudent magis, quo plures iuuantur & acquiruntur animæ,
Philip. 18. per quoſcunque etiam illud fiat, vti de ſe Paulus ait. Horum vero inuidorum ac ſuperborum mores accuratè hic depinguntur: nam cum in verbis nihil quod reprehenſioni ſit obnoxium, reperiant; animum calumniantur quaſi hypocriſi, aut temporalis commodi gratia, non laboremus ſpiritu Dei. Sic Phariſæi, de duobus Chriſto conuitiabantur: *primo*, quod dæmonem vt Marcus ait haberet. *Deinde* quod diabo-
Tria notanda. lico ſpiritu, & virtute alios dæmones eijceret. Conſidera
1. hic *inprimis*, peruerſorum hominum malitiam, non ſolum præclara Chriſti opera dæmoni adſcribentium, verum etiam de vero Dei filio dicentium, quod dæmon, imo Beelzebub, dæmonum princeps, corporaliter eum poſſideat. Quæ reuera horrenda Dei eſt blaſphemia, de qua Chriſtus ait,
Mat. 12. 32 quod *neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, remittenda ſit: *tum*
Blaſphemia cur nō remitti dicatur. quod ex natura ſua nihil quod diuinam poſſit prouocare indulgentiam, contineat; veluti peccata illa, quæ vel ex fragilitate vel ignorantia committuntur; quippe cum blaſphemia
1. ex propoſita obſtinati animi malitia proueniat: *tum* quod
2. ex diametro ipſum authorem gratiæ, ac veniæ largitorem oppugnet, reijciatque. Quemadmodum incarceratus aliquis, qui Regem ſuum conuitijs proſcindens, cum volens

ſcienſ-

scienſque repudiat, haudquaquam veniæ promerendæ eſt capax. Hinc eſt quod ſummus Dei ſacerdos Heli, filijs ſuis aiebat: *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?* Studioſe ergo tibi ab hoc tam enormi diuinæ blaſphemiæ crimine cauē: quo tamen plurimi hoc tempore Chriſtiani, Diuinam prouocant vltionem. Blaſphemia namque cum ſit peccatum profeſſioni fidei contrarium, tunc potiſſimum committitur, cum cogitationibus, verbis, ſcriptis, operibuſque, vllam Deo irrogamus iniuriam: fitque quatuor his modis. *Primo*, quando Deo id adſcribimus, quod nullatenus habet; ſicuti hi Phariſæi calumniabantur Chriſtum à dæmone poſſeſſum. *Secundo*, cum aliquid eorum quæ habet, negamus, quemadmodum ijdem Chriſto laudem hanc detrahebant, quod diuinæ virtutis potentia, dæmones obſeſſis corporibus abigeret. Duobus autem hiſce modis multi blaſphemiam Deo inferunt; maximè verò hæretici, qui adulterinas ſuas ac commentitias diuinarum literarum expoſitiones, ſincerum Dei adfirmant eſſe verbum, prout Damaſus Papa alibi conteſtatur: qui negant ſanctam Eccleſiam Catholicam Chriſti eſſe ſponſam, corpuſque qui Chriſti præſentiam in Sacramento altaris diffitentur: qui ſacrarum reliquiarum, in quibus Spiritus S. habitat, veritati fidem derogant: qui ſeptem Eccleſiæ Sacramenta quaſi pro nullius momenti cęremonijs, deſpiciunt, qui cum Caluino, Deum peccati eſſe authorem denique profitentur, &c. Multi vero etiam Catholicorum, Deum blaſphemant; qui nimirum dicunt: Deus nullatenus amat me, nullam mei omninò gerit curam: vellem quod iniquitates meas non puniret, aut videret.

1. Reg 2. 25

Blaſphemia fit 4. modis.

1.

2.

Hæretici blaſphemi.

Habetur 25. q. 1. ca. violator.

Catholici blaſphemi.

Hoc etenim teſte ſancto Bernardo, Deo eſt ſuam detrahere diuinitatem. *Tertio*, cum aliquid, quod Dei ſolius eſt, creaturis adſcribimus: quemadmodum filij Iſrael vitulum conflatilem adorabant, & gentiles idolis ſuis ſacrificia immolabant. Ideoque hac ratione & auaritia, *idolorum* eſt *ſeruitus*, & guloſi, qui *ventrem* ſuum pro Deo colunt, blaſphematores iure dici queunt: quippe

Bern. ſ. 3. de Reſurr.

3. Modus, *Exod. 32.*

Coloſſ. 3. c. Phil. 3. 19.

qui omnium actionum ſuarum ſtudia ad acquirendas opes, poſſeſſiones, commeſſationeſque dirigunt; Cum Deum rerum ſuarum omnium finem ac principium conſtituere deberent. Inſuper cum quis dicit: hoc vel illud tam eſt verum, quam Deus ipſe, pro quadam blaſphemiæ ſpecie habendum eſt: nempè cum creaturas cum Deo comparamus; ac ſi diceremus, hic tam eſt bonus, ſapiens, veraxque vti Deus ipſe. *Quarto,* cùm inhoneſtè ac irreuerenter, res diuinas nominamus: nempè ſacratiſſima Chriſti vulnera, paſſionem, Sacramenta. Huc referri quoque queunt omnes qui in tabernis, alijſque locis, de diuinorum arcanorum myſterijs, ſine reuerentia diſputant; qui Sanctos Dei inhonorant, ipſorum imagines confringunt, Miſſæ ſacrificium, aliaque Eccleſiæ Sacramenta qua verbis, qua factis, exſibilant, ac ſubſannant. Peccatum hoc vnum eſt, è præcipuis, grauius adulterio, furto, homicidio, detractione; quæ omnia quidem, in hominem committuntur; quibus vxori, opibus, famæ vel proximorum vitę incommodamus; verum blaſphemiæ illud abominabile vitium, ipſi Deo omnipotenti directe contrariatur. Itaq; quemadmodum maximum malum quod vel pulici, vel formicæ infers, multo eſt minus quam minimum, quo hominem afficis; animal ſcilicet rationale, qui ſua dignitate reliqua omnia terræ animalia longe ſuperat; ſic eadem ratione, minima quæque iniuria, in Deum Opt. Max. omnem ſuperat iniquitatem, quã homini queas inferre. Deus namque infinitis modis non ſolum homine eſt & maior & dignior; verumetiam omnes aliæ creaturæ ad ipſum comparatę, ſunt *tanquam gutta roris antelucani,* inquit Sapiens, *qui deſcendit in terram.* Deus in veteri Teſtamento præceperat Moyſi, vt blaſphemus quiſque lapidibus obrueretur, vitaque ſpoliaretur: quippe cum blaſphemia infernale ſit peccatum, quo damnati in gehenna die ac nocte tam ipſum diuinum Numen, quam cœlites omnes proſcindunt, lacerant, laniant. Hinc Sennacherib Aſſyriorum Rex. Dum Iſrael blaſphemans, graui vindicta eſt ab illo percuſſus; deletis nimirum internecione, centum octo-

4. Modus blaſph.

Sap. 11. 23. Pœna blaſphemorũ. *Leu.* 24. 14

Apo. 16. 11. 4. *Reg.* 19. 22.

ginta

ginta quinque millibus de exercitu ipſius. Ob idem ſce- 2. *Mach.* 15. 33.
lus impius Nicanor, crudeli morte eſt interemptus; cuius lingua minuatim conciſa, auibus deuoranda proiecta eſt. Oza arcam Dei manu auſus attingere, ipſo momento, mortuus in terram concidit, indebiti ſibi vendicans obſequij miniſterium. Refert D. Gregorius, puerum quinquennem ſolitum fuiſſe petulanti lingua Deum blaſphemare: qui cum in parentis reſideret ſinu dæmones aduentaſſe, ad quorum incurſum, ſe videre Æthiopes appropinquantes clamauerit: qui vt rurſus blaſphemiam ingeminauit mox infœlicem exhalauit animam. Noſtro quoque hoc ſæculo, diuinæ maieſtatis ſubſannatores, calumniatoreſque, non raro diuinæ vltionis perſensêre vindictam. Quemadmodum in oppido Hardervvicenſi, quod tria circiter miliaria ab vrbe Campenſi diſtat, accidiſſe, compertum eſt. Vbi cum blaſphemus quidam hæreticus, Sacroſancto Miſſæ ſacrificio petulanter illuderet, eleuato nimirum ſuper capitis verticem, panis fruſtulo, mox corpore obrigeſcens, vitam miſere finijt. Similiter & Syluæducis alius quidam eiuſdem farinæ nequam, cum præcipiti furore D. Antonij ſtatuam ad ignem hiſce blaſphemis vocibus raptaret: *Antoni, Antoni, tu quidem ſoles in mortale genus igne deſæuire, eoſque, miſere vſtulare, at vbi nunc vires illæ?* illico ſceleratam linguam peſte ſenſit infectam, ſicque vna cum tota extinctus eſt familia: prout mihi à Reuerendiſſimo, ac fide digniſſimo viro Domino Franciſco Sonnio, eiuſdem vrbis Antiſtite, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, quo & accidit enarratum eſt.

Greg. 4. dial. c. 18.

Vide Brembl. l. 3. c. 27. 29. & 30.

Conſidera *ſecundo*, quo pacto ex ijſdem verbis dictiſque alij ſcandalizentur, alij ædificentur. Bonis quidem omnia in meliorem partem interpretantibus, quippe cum boni ſint; malis vero, quod mali ſint, in deteriorem. Nam quemadmodum porci qui raparum ac radicum pabulum, quo homines quoque veſcuntur, in alimentum ſumunt, cibum iſtum in porcinam conuertunt carnem; & homines in humanam: ita boni cum aliquid in proximo

Nota hominum diuersam indolem.

vident, audiuntque, mox illud in suum conuertunt spiritale lucrum; laudantes ad minus facientis intentionem, si fortè opus ipsum per se malum, laudare non queant. Hoc et-
1.Cor.13.5. enim Christianæ charitatis exigit ratio; quæ quidem, Paulo attestante, non cogitat malum. Christus cruci adfixus suorum inimicorum quidem multiplicia non potuit excusare peccata, tamen vehementi fraternæ charitatis flagrans amore, ignorantiam prætexens patri suo cœlesti sese pro ijs intercessorem exhibuit; excusando nimirum illos ac dicen-
Luc.23.34 do; *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Idem fecit &
Gen.50.20 Iosephus venditus à fratribus: nec non vates Regius, qui
2.Reg.16.7 cum ab impio Semei varijs esset impetitus blasphemijs, & vir sanguinum ac Belial vocatus: omnem tamen excusandi iniurias sibi captarunt occasionem dicentes; diuinæ id fuisse voluntatis, vt propter melius aliquod bonum à Deo præuisum ita fieret.

Contra vero, reprobi omnia bonorum hominum quantumcunque laudabilia opera, in suum conuertunt detrimẽtum: qui cum opus, quod per se bonum esse conspiciunt, calumniari nequeunt, ipsam culpant intentionem. Quemadmodum Princeps calumniatorum diabolus, de innoIob1.9. centissimo Iob Deo aiebat, quod nullatenus ex amore ei famularetur, sed vt in rerum temporalium maneret commo-
2.Reg.10.3 dis. Quin & consiliarij Hanonis Ammonitarum Regis Dauidis legatos quos ad ipsum, vt eum super obitu patris Naas consolarentur, miserat, ignominiosè exceperunt; obiectantes, quod proditionis ergo venissent. Itaque quantumcunque opera factaque bona sint & laudabilia; nihilominus tamen à malis in sinistram detorquentur partem: mala vero à bonis in bonum. Ex ijsdem Christi Saluatoris dictis & factis boni in melius proficiebant; reprobi in peius. vnde si
Ioan.6.2. fortè populum hunc, qui hic, alijsque in locis Christum cum admiratione magna sequebatur, percontcteris, cur id fecerit; respondebit haud dubio quia dæmones ex obsessis corporibus eijcit. Si vero Pharisæos super hac eadem re sciscitcris, cur scilicet Christum à dæmone obsessum adfirment, idem omnino respondebunt, quod nimirum dæmones abigat.

gat. Nicodemus ob gloriam miraculorum CHRISTI *nocte* ad eum venit. Caiphas eandem ob causam vno cum toto concilio neci eum adiudicauit, dicens: *Quid facimus, quia hic homo signa multa facit?* Capharnaitæ à CHRISTO defecerunt cum sermonem de Eucharistia captum eorum superantem instituit: adhærescentibus interim eidem eandem ob causam, Apostolis omnibus ac constanti voce dicentibus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes?* Quotquot probè sunt Catholici, magna animi deuotione erga hanc Venerabilis Sacramenti doctrinam afficiuntur, adeò vt inde ad frequentem eius sumptionem animentur. Hæretici autem per hoc in horrendas incidunt blasphemias, hæresesque diuinam Sanctissimi huius Sacramenti institutionem inficiantes, conuitianteſque. Tepidi vero Catholici, per eandem doctrinam, à frequentiori sacræ synaxeos sumptione, deterrentur; summam diuinæ maiestatis, quam illic præsto esse credunt, præsentiam pertimescentes; ita vt ex vna eademque re, nonnulli vehementiori inflammentur amore, alij timore nimis infrigidentur: quidam vero per incredulitatem etiam in hæresim prolabantur. Per illa quæ ad latronem CHRISTVS protulit; *Hodie mecum eris in paradiso*, reprobi in sua nequitia securiores efficiuntur; persuadentes sibi, quod cum bono hoc latrone, circa vitæ finem ad meliorem sese frugem sint recepturi; boni vero inde vehementiori concutiuntur timore, quod in toto sacrarum literarum volumine præter hunc neminem reperiant, cui hæc tam insignis circa mortis horam, diuinæ beneficentiæ gratia contigerit: quippe qui omnem vitam male viuendo traduxerat: cùm interim manifeste constet, eos mala hinc morte abripi, qui in flagitiorum cœno totum vitæ tempus transigêre.

Ioan. 3. 2.
Ioan 11. 47
Ioan. 6. 41.
Ibi. 68.
Luc. 23.

Considera tertio Pharisæos hic de Beelzebub pro sua quam de eo prauè conceperant, opinione, differere. Putabant namque diuersis in regionibus, diuersos pro idolorum, quæ illic colebantur varietate, esse dæmones: quodque inter se animis (hoc namque poetarum figmentis

Phariseorum de dæmonijs error.

de gentilium Dijs proditum est) dissiderent. Beelzebub vero apud Accaronitas, palestinæ populo, pro Deo venerabatur; Iudæis interim pro Diabolo illum (id quod erat) habentibus; sibique persuadentibus, quod viribus esset præstantior; quam quisquam Iudaicæ regionis dæmon: qui Iudaicum populum seu hostem impugnabat, ac fugare satagebat. Quemadmodum Rex Syriæ Benadab, putabat Achab Israelitarum Regem, à Dijs montium, aduersus Deos conuallium, defendi. Huius erroneæ opinionis inde forsitan promanauit origo; quod Dæmones peccatis dominentur, & ad ea perpetranda homines incitent, quorum equidem plurima inter se contrariantur. Veluti auaritia Achan, filij Charmi de tribu Iuda, prodigalitati acolasti istius, qui paterna omnia decoxerat bona aduersabatur. Gulositas Nabalis, indiscreto illorum quadraginta Iudæorum ieiunio; qui se deuouerant neque manducaturos, neque bibituros, priusquam Paulo necem intulissent. Hamanis ingens superbia, imprudenti Prophetæ istius humilitati, qui sibi à Pseudopropheta imponi misere sinebat: odium fratricidæ Cain, nimiæ sacerdotis Heli in filios indulgentiæ; & adulterorum lasciua salacitas, importunæ coniugatorum continentiæ: supina ignauia serui istius, qui sine vllo lucri incremento, talentum Domini sui in terram defoderat, illorum vigilantissimæ diligentiæ, qui suis concionibus Paulum Apostolum in discrimen adducere nitebantur: garrulitas hominum loquacium, *mutorum canum* (vt verbis vtar Esaiæ) præposteræ taciturnitati. Virtus namque in medio duorum extremorum consistit, vt ne quid nimis, minusve, quam par est, agas. Hæc etenim duo, sibi mutuo contrariantur; sicuti auaritia & prodigalitas peccata sunt inter se pugnantia, ac liberalitati aduersantia; cuius munus est, cum mediocritate & dare & seruare. Hæc aliaque id generis peccata, suos peculiares habent malignos spiritus, qui homines ad ea impellant. De quibus octo integros scripsit libros Ioannes Cassianus, vbi

3. Reg. 20. 28.
Iosue 7.
Luc. 15.
1. Reg. 25.
Act. 23. 21.
Esth. 3.
3. Reg. 13.
Genes. 4.
1. Reg 2.
Matth. 25.
Philip. 1.
Isa. 56. 10.
Cass. de instit. Cenob. l. 5. & seq.

eos

eos nominat Spiritus gulæ, luxuriæ, auaritiæ, &c. quemlibet ſecundum functionem ſuam. Probabile namque eſt Luciferum, qui (provt alibi diximus) vnicuique ſuum adſignat Spiritum, ſingulorum hominum conſiderare conditionem, & ſecundum cuiuſque naturæ qualitatem, idoneum aliquem Diabolum procurare. Eam ob rem ſæpius cor tuum ingrediens, te ipſum agnoſce, conſiderans, quonam magis propendeas, vt ſic Diabolo ſua eripias arma, priuſquam te tuis proprijs paſſionibus expugnet, ſuperetque. *Dom. 1. quad. §. 3.*

Conſidera quarto Beelzebub hoc loco *Principem* vocari *dæmoniorum*: quod non ita accipiendum, quaſi ipſe inter cæteros principatum teneat. Hunc namque Lucifer ſibi vendicat, qui in diuinarum literarum eloquio, *Diabolus* nominatur, item *Draco*, *Sathanas*, *Serpens antiquus* provt alibi dictum. Qui quidem primo Euam, deinde Chriſtum tentationum ſuarum inſidijs aggreſſus, nunc vinctus ad tartara eſt relegatus; vnde ante Antichriſti aduentum liber non egredietur. Quo carcere ipſe præ cæteris, qui adhuc in aere volitant; magis tenetur, tum ob ineffabilem Chriſti bonitatem, populum ſuum à crudeliſſima draconis huius tyrannide immunem conſeruantis, tum ob CHRISTI iuſtitiam, qua peſſimum dæmonem pro malitioſa ſua nequitia eo ſupplicio punit, quod omnes malignorum ſpirituum cateruæ ſummopere timent; quemadmodum liquet ex precibus iſtius legionis; rogantis, ne in tartaream relegantur abyſſum. Dicitur ergo Beelzebub princeps dæmoniorum, quia certorum quorundam princeps eſt. Sunt etenim (vt rectè ait Paulus) varij inter ipſos *rectores tenebrarum harum*, qui aerem noſtrum occupant, principatus & poteſtates: quorum nonnulli imperant, alij imperata exequuntur. Primatus autem hic tribus prouenit ex cauſis. Beelzebub quomodo Princeps. *Dom. 1. quadr. §. 2.* *Apo. 20. 2.* *Luc. 8. 31.* *Eph. 6. 12.* Primatus inter dæmones.

Prima, Eſt natura horum malignorum ſpirituum, quæ 1.

quæ eadem nunc omnino in illis, sicuti ante lapsum fuit: peccatum namque, ipsorum naturam non immutauit, sed inquinauit. Certum autem est, Angelicos beatorum Spiritus, quo in altioris Hierarchiæ choro sunt, eo quoque ipsorum naturam eminentiorem esse, per quam naturaliter reliquos antecellunt. Quemadmodum humana natura, bestias omnes regit: Ab angelica vero regitur; vtpotè sublimiore, dignioreque. Est *præterea* communis antiquorum patrum sententia, quod ex quolibet Angelorum choro, aliqui saltem ceciderint. Vnde consequens est, dæmones illos, qui ex altiori dignitatis gradu corruerunt, naturaliter imperare eis, qui in inferiori choro erant.

2. *Secunda*, Prouenit ex ipso, in quo rerum potiebantur, loco. Sicuti namque diuina bonitas non solum hominum cuilibet proprium adsignauit Angelum, verum singulis prouincijs, vrbibus, regionibusque qui eas regant (Michael etenim vti olim Iudaici populi princeps erat, sic nunc Ecclesiæ curam gerit: & Daniel meminit Persarum, Græcorumque principis; hoc prout Beatus exponit Gregorius, illorum Angelorum, qui populos hosce gubernabant. Quin & Ioannes in Apocalypsi septem enumerat Angelos, qui totidem secundum Hieronymi sententiam, Asiæ vrbium rectores erant. Fit & ibidem mentio *Angeli aquarum*; quod elementum quodlibet etiam à peculiari conseruetur Angelo) ita & Lucifer agit: adsignans nimirum cuilibet regioni ac prouinciæ, certum aliquem ex damnatorum spirituum numero. Abbas Serenus, cuius Cassianus meminit, Persarum ac Græcorum principem, de quo Daniel scribit, Dæmones fuisse ait; aduersantes tam sibi mutuo, quam Iudaicæ nationis Angelo. Hinc est, quod de diuersis diuersarum regionum vrbiumque, quibus dominabantur, Dijs, seu dæmonibus, sacra passim scriptura meminerit; nempe de *a* Moloch Ammonitarum Deo, de *b* Beelphegor, Moabitarum: de *c* Dagone, Philistæorum; *d* Ana & Aua, Samaritanorum; *e* Beelzebub, Acca-

Dã. 10. 20

Gregor. 17. Mor. c. 7.

Apo. 1. 20.

Apoc. 16. 5

Cassiod 8. coll. c. 13. 14

a 4. Reg. 23 10.

b Nu. 25. 3.

c Iud. 16. 23

d 4. Reg. 18. 34.

e 4. Re. 1. 6.

Accaronitarum ; *a* Balberith , Sichemitarum. Quin immo , pleræque vrbes ac villæ , à dæmonibus , qui ibidem in pretio habebantur ſua erant ſortita nomina. Quemadmodum nos Chriſtiani nominibus Sanctorum vrbes quoque inſignimus : nempe S. Audomarum , S. Dionyſium, Montem S. VVinoci , aut S. Gertrudis , S. Amandum, &c. ita & ſacrilegi illi Dæmonum cultores ſuis etiam ciuitatibus, Deorum indere ſoliti erant vocabula : nimirum *b* Baal Gad , *c* Baal Pharaſim , *d* Baal Thamar , *e* Baal Meon, *f* Baal Hermon, &c. propterea quod huiuſcemodi Dæmones , talium ſibi locorum cultum , principatumque vendicarent. a *Iud.* 9. 4.

b *Ioſ.* 11 17.
c 2. *Reg.* 5. 20.
d *Iud.* 26. 23.
e *Nu.* 32 38
f *Iud.* 3. 3.

Tertia, Ex propria, quam ſuſtinent, functione : Sicuti etenim Deus certa quædam officia , per peculiares Angelos exequitur , nempe ſanitatem impertit per *g* Raphaelem; Dæmones abigit , per *h* Michaelem ; cœleſtia propalat arcana , per *i* Gabrielem , legem propagat per alios angelorum Spiritus , provt *k* Stephanus , *l* Pauluſque fatentur, &c. & ita certi quidam dæmones , certis quibuſdam denominantur ſceleribus. Hinc Aſmodæus , rei præeſt *m* venereæ, qui & ideo ab *n* Oſee vate , *Spiritus fornicationum* nominatur : Leuiathan vero , *o Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ* hæreticorum Diabolus Hebraicæ *p* Abdon vocatur. Græce autem Apollyon , Latine habens nomen exterminans , ſeu deſtruens : quippe cum hæreticorum prauitas, omnia ſtudeat deſtruere ac abolere ; inferendo paſſim horrendam cladem animabus , corporibus, facultatibus, Eccleſijs , Monaſterijs, fidei , ſcripturis , antiquiſſimis Sanctorum Patrum monumentis , provt lachrymantibus oculis , quotidie licet intueri. His dæmonum principibus ſubſunt alij , qui ſecundum eorum præſcriptum ac voluntatem , homines ſuis verſutijs inuadentes geſtorum à ſe debent reddere rationem : quemadmodum alio in loco duobus ex Gregorio & Euagrio prolatis exemplis , quibus & nunc totidem addam confirmaui. Primum habet Caſſianus ; apud quem Serenus Abbas enarrat , quod Monachus quidam conſpexerit quendam dæmonum principem, ſatel-

g *Tob.* 11. 12.
h *Ap.* 12. 7.
i *Dan.* 8. & 9
k *Luc.* 1 26
l *Act.* 7. *Gal.* 3.
m *Tob.* 8. 3.
n *Oſe.* 4. 12
o *Iob* 41. 25
p *Ap.* 9. 11. Hæreticorum Diabolus.

Dom. 12. *poſt Pent.* §. 14. *Caſſ. coll.* 8. c. 16.

satellites suos in spelunca examinantem. Apud quem dum quisque rei à se perpetratæ facinus glorioſe prædicasset, prodijsse inter cæteros quendam, iactantem se Heremitæ cuidam, cui ad annos omnino quindecim insidias struxerat, cum moniali quadam, quam & in vxorem sibi cogitaret adsciscere, lapsum procurasse. Quod cum præfatus Monachus ita actitari cerneret, abijsse illum Pelusium, ad Heremitam scilicet, omniaque prout dæmon recensuerat, comperisse. Alterum vero in vita sanctissimæ Afræ Martyris refertur: de quodam horrendæ turpitudinis dæmone, qui se se ad B. Narciſci Antistitis imperium, Augustæ Vindelicorum debuit prodere, coruo nigrior, leprosoque deformior; quippe toto corpore abominabili perfusus sanie. Hic Episcopum orabat; vt in pristinæ turpitudinis domicilio eum quiete permanere sineret; vel si id imperare non valeret, saltem alio non ablegaretur, nisi ad viui animalis occupandam animam: Se etenim alioquin nullatenus ausum, vacuum ad sisum redire principem ni vapulare velit. Vnde Narcissus eum iuramento constrinxit, vt si voti compotem eum faceret, mox animam, quam ei largiturus esset, enecaret. Dictum factum, adsignauit, enecauit. Nominauit namque ei animam ingentis draconis, Iulias alpes venenato oris sui flatu inficientis, magnamque hominum pecorumque stragem edentis. Cui nolens volens, vitam debuit eripere: magnopere interim se acerbas Principi suo daturum pœnas, queritans.

Apud Sur. 3. Augusti.

Nomen Beelzebub vnde.

Considera quinto, ipsum nomen *Beelzebub*, quod principem significat muscarum. Vnde nonnulli adferunt, huius nominis originem hinc promanasse, quod in huius dæmonis delubro, ingens fuerit muscarum multitudo, immolatarum victimarum nidore allecta. Alij aliam reddentes rationem, dicunt quod aduersus importunos muscarum insultus, inuocari sit solitus. Quemadmodum Græci Myagrum, aut Myodem hoc nomine celebrant, illique aduersus muscarum frequentiam quam depellebat

Plinio

Plinio teſte, litabant. Quod ideo opera diaboli eueniebat (modo authori habenda fides) quia propter ineffabilem ſuã ſuperbiam, ſacrificiorum victimis, Deo ſoli debitis diuini cultus honorem aucupabatur. Nos verò ideo muſcarum principem appellare eum poſſumus, quod ipſius ſubditi, non niſi muſcæ ſint. *Plin. l. 16. c. 28. & l. 29. c. 6.* Subditi Beelzeb. MVSCÆ

Primo, Quod ſæuiſſimã dæmonum tyrannis per ſacratiſſimæ crucis Chriſti trophæum, non minus profligata ac eneruata ſit; quam leui manus contactu, muſcæ ſolent abigi. Vnde D. Antonius, dæmonum impotentiæ ſolebat eum cachinno inſultare. 1. *Athan. in vita eius.*

Secundo, Quod homines reprobi non minus ſint inſtabiles, quam hinc inde volitantes muſcæ: quippe, qui modo hoc modo illud aggrediuntur. Vnde B. Franciſcus huiuſcemodi vacillantes homines, fratres muſcas nominabat, vt ſuæ eos leuitatis puderet. Itaque nec diabolum timeas, nec teipſum muſcæ ſimilem efficias: quibus inſuper etiam hoc commune, vt libentius corporum vulneribus ac ſcabiei inſideant, eaque admordeant, quam integris, validiſque membris. Quemadmodum & malitioſi homines, auidius proximorum audiunt & rodunt defectus, quam virtutes, ac res bene geſtas; imitantes in hoc principis ſui Beelzebub, aliorumque malignorum ſpirituum, exemplum: qui vt Iob ait, *in locis humentibus* verſantur, ac libentius ſcelere occupantur, quam virtutibus. Videtur autem dæmonibus volupe olim fuiſſe, auditu percipere nomen illud *Baalis*, aut *Belis*; Quod tantundem ſignificat, ac ſi diceres, Dominus aut Poſſeſſor. Vnde ſupremum Palæſthinorum idolum, abſolute *Baal*, ſeu Dominus nuncupabatur: cæteris autem cognomen aliquod vel loci, vel officij adijciebatur, quo eius exprimeretur conditio, ſeu proprietas: veluti *Beelphegor* reuelationis dæmon, qui multa per detractionis vitium, hominum peccata reuelat, aperitque & tandem ipſam referat gehennam: *Beel Sephon*, id eſt, aquilonis Deus, vnde teſtante Hieremia, *omne panditur malum*, veluti ex frigido boreali axe, diuini amoris flamma carente: *Baal Berith*, id eſt, idolum pacti, qui 2. *Bonau. in vita ca. 7. Piſan. Cõfor. 12. p. 2.* *Iob 40. 16.* Baal. quid *Oſee 9. 10.* *Exod. 14. 2. & 9.* *Hier. 1. 14.* *Iud. 9. 4.*

Ios.11.17. qui malitiosos contrahit contractus : *Baal Gad*, id est, fœlicitatis seu fortunæ Deus, qui male ac infeliciter homi-
3.Re.13.23. nes in chartis, aleis, ac duellis felicitat. *Baal Hasor*, de-
Iud.3.3. structor feni, qui feno interitum conciliat : *Baal Hermon*, qui omnia deuastare cupit : *Baal Pharasim* dissensionis
2.Re.5.20. Deus : *Baal Meon* Dominus domus, hoc est domesticus
Nu.32.38. Deus, &c. Horum autem serui dæmoniorum, tanto huius nominis Baal tenebantur religionis obsequio, vt etiam vxores hoc nomine Baalim; id est, Domini, suos cohonestarent maritos. Quod tamen Deus per Oseæ vatem
Osee 2.17. detestatur dicens : *auferam nomen Baal de ore vestro.* Nullatenus enim permittit Deus, vt vllam cum dæmone familiaritatem, qua factis, qua verbis, contrahamus : quip-
Psal.15.4. pe de quibus per Regium suum Psaltem ait; *nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Eam ob rem, nos quotquot Christiani sumus, debemus dæmonum detestari nomen, atque illius loco Sanctorum frequentare vocabula.

Hæretici implent quod prædixit Christus.

Considera *sexto*, probe admodum ab hæreticis adimpleri id quod CHRISTVS discipulis suis alibi aiebat: *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius.* Diuina etenim miracula, quæ in Catholica quotidie
Mat.10.25 contingunt Ecclesia, ad nostræ confirmationem fidei, Diabolo adscribunt. Non minus quam olim gentiles; qui quam in Sanctis Martyribus miraculorum conspiciebant virtutem, Dæmonis volebant potestati attribui; Christianos interim, magos : ac miracula, magicas præstigias appellantes. Semper in hoc Pseudoprophetæ incubuerunt, vt falsam suam doctrinam aliquibus miraculis fi-
3.Re.16.29 ue veris, siue mendacibus confirmarent. Constat hoc ex quadringentis istis Baaliticis Prophetis, qui contentissima voce ad meridiem vsque, irrito conatu Deorum suorum auxilium implorarunt, vt miraculum aliquod possent edere. Idem ex Simone Mago hæresiarcha : qui vt Ægesippus testatur infelici euentu in cœlum se volaturum, mortuumque vita donaturum, promiserat : Sed
Egesip.li.3. c.2. de Orsicuti ipse fractis cruribus, concidit; ita & defunctus, is
sidio Ieros.

qui

qui erat, remansit. Cirola Arrianorum Episcopus, volens miraculorum suorum ostentare gloriam, ex vidente cæcum effecit. Caluinus vero pauperculum quendam Bruelæum, qui se mortuum finxerat, resuscitare volens quasi in confirmationem Caluinismi verè occidit. Cæterum, cum omni conatu frustra se hic laborare videant, neque vel hilum proficere, ad simulatæ excusationis prætextum confugientes, dicunt se illam eandem veterem orthodoxam profiteri fidem, quæ plurimis olim à Deo miraculis adeo solidata confirmataque sit, vt nulla iam amplius miraculorum testificatione opus habeat. Ad quod duo respondeo. *Primo* quidem, penes nos sincere veteram illam orthodoxam fidem conseruari, cuius originem illi ad nullum alium, quam ad ipsos CHRISTI Apostolos, à quibus illam hausimus, queunt referre. Quin & easdem omnino cum ipsis, scripturas retinemus. Quarum cum nouam indies expositionem consignant hæretici, necesse fuerit, vt aliquo diuinæ veritatis testimonio eam confirment, maxime cum tam variæ ac contrariæ quotidie inter Nouatores Commentores oriantur expositiones: quarum vna, aliam vituperat & damnat, vt alia Lutheranorum, Caluinistarum, alia Anabaptistarum, vt sine miraculorum certificatione scire haudquaquam liceat, quis illorum veriores proferat expositiones. *Deinde*, constanter affirmamus, quotidie adhuc apud nos Catholicos, diuersis signis ac miraculis, nostræ fidei dogmata firmari, idque varijs admodum modis.

Turon. l. 2. hist. c. 3.

Bolsec. c. 13 vita Calu.

Respõsio ad hæreticorum cauillos.

1.

2. Quotidiana apud nos etiã hodie miracula.

Primo, Per homines vitæ sanctimonia commendatissimos, nostræ dum aduiuerent fidei: nempe Franciscum de Paula; Minimorum fratrum primum institutorẽ, qui anno Domini 1507. ex hac vita migrauit. Franciscum Xauerium Societatis Iesu presbyterum, qui miraculis Indos ac Iapones ad Christi fidem conuertit.

1.

Secundo, Per Sanctorum inuocationem, quemadmodum hoc nomine varia quotidie miracula edit B. Ignatius Loiola eiusdem Societatis fundator.

2.

Tertio, Per Sanctorum reliquias; quarum hoc tempore haud

3.

haud minor est virtus, quam fuit olim B. Hieronymi sæculo, cum earum contactu dæmones profligarentur.

Hier. cont. Vigil.

Quarto, Ob loci sanctimoniam; sicuti quotidie adhuc in æde Lauretana, in qua Diua Virgo, sanctissima Dei parens, nata, atque ab Angelo salutata est, celeberrima aliquot eduntur miracula.

4.

Quinto, Per Sanctorum imagines, ac statuas: quemadmodum in varijs mundi partibus, eiusdem sacratissimæ virginis memoria, imaginum cultu renouatur: quarum virtute plurima sæpenumero contingunt miracula: veluti Hallæ Brabantiæ, Louanij, in Aspricolle: & in monte Serrato apud Hispanos, &c.

5.

Sexto, Per inflictas hæreticis plagas; quæ ideo, vt ab errore resipiscant, ijs à Deo immittuntur. Sicuti non sine diuino miraculo Brulæus, de quo ante diximus, morte à Deo est punitus. Similiter & anno 1567. ipsa nocte S. Agnetis virginis, haud citra ingens miraculum, Hasseleti in parochiali Ecclesia, vsque ad minimam scintillam omnis ignis, qui illic copiose ad sanctorum imagines, codices sacros, vestesque sacerdotales exurendas flagrabat, est extinctus. Quod tunc quidem præcipue contigit, cum in demolienda crucis effigie, quæ in editiori chori loco consistebat, totis laborarent viribus. Adeo vt propter hoc tam stupendum insolitæ rei miraculum, ipse hæreticorum prædicans, Hermannus Dryeuer, Svvollanus animo consternatus, omnes iuramento adegerit, ne ad Catholicorum aures, qui alioquin hoc in fidei suæ testimonium Caluinistis obiectarent.

6.

Cent. cēt. 5 cap. 10.

Ad hæc non habent hæretici quod respondeant, nisi diabolica hæc fieri virtute. Imo ipsi nouatores Magdeburgenses, in centuriis suis, centenis aliquot refertis mendacijs, adserere non verentur, Sanctissimum illum Turonensis Ecclesiæ Episcopum Martinum, Magum extitisse: maxime si vera illa inquiunt sunt, quæ discipulis eius Seuerus Sulpitius, de rebus eius gestis, ante annos mille ducentos, prodidit. Ad quam constabiliendam blasphemiam, hoc potissimum vtuntur argumento. Omnia hæc, aliaque consimilia

S. Martin. Magus audit.

similia miracula, ad papisticam confirmandam idolomaniam, contra Dei verbum, eueniunt. Itaque nihil horum verum esse potest, quippe cum Deus, rei falsæ fidem non adstruat. Verum eheu, miseri hi homunciones, hæreticis obfuscati tenebris suam non aduertunt cæcitatem; quæ incerta, imo falsa sunt pro veris adsumunt, vt certam claramque euertant veritatem. Certum sibi habent, suam doctrinam, purum Dei esse verbum, contra commentitium ac adulterinum omnino, quicquid isti aduersatur. Verum, hæc ipsorum certitudo, ab alijs tanquam diabolicum commentum, ac insania, reijcitur. Quotquot Caluini non sunt, Caluinisticam execrantur doctrinam. Similiter & qui Caluinianæ sunt farinæ, Lutheranam explodunt, &c. Itaque iam controuertitur, an illa certitudo, quam pro Dei verbo conantur obtrudere, sit doctrina Caluini, an vero Lutheri, aut anabaptistarum alicuius. Eam ob rem cum oporteat hæc ab ancipiti vindicari, maxime quod horum quilibet, biblico se se defendat contextu, quo & cæteros omnes oppugnat; necesse erit, vt aliquod diuinæ veritatis accedat testimonium: nempe, supernaturalis miraculorum vis, quam nemo præter diuinum illud numen præstare valebit; cuius est mortuorum corpora resuscitare, mutorum ora resoluere, auditum surdis restituere, &c. Quod nemo extra Catholicæ, ac Romanæ Ecclesiæ gremium vllus vnquam potuit. Itaque tenebriones isti, haudquaquam considerant, CHRISTVM Saluatorem se miraculorum virtute, suæ Ecclesiæ fore præsentem promisisse; & quod nullum omnino sæculum præterierit, iam inde ab eius in cœlos ascensione; quin diuersi extiterint, vitæ sanctimonia præstantissimi, qui miraculorum gloria, Catholicæ fidei veritatem comprobauerint; prout varijs literarum monumentis, ad perpetuam posteritatis memoriam consignatum est: Immò vix decennium vllum elabitur, quo non aliquod notabile edatur miraculum, siue per fidem, & Eucharistiæ veritatem, siue per sanctorum inuocationem, vel aliud quid, quod Catholicam concernat religionem.

Mar. 16. 17
Ioa. 14. 12.

Et licet Beato teſte Gregorio, Sancta CHRISTI Eccle-
Gregor. 27 Mor. 14. & hom. 19. in Euang. ſia miraculis hoc tempore opus non habeat; exhibet ta-
men illa, cum maxime cenſet oportuna. Vnde eſt cur
magnopere pertimeſcant blaſphemi illi noſtræ ætatis hæ-
retici, ne horrenda illos inueniat plaga, quam Iudæis
CHRISTVS olim prædixit, in peccato veſtro moriemi-
ni. Qui etenim Dei omnipotentis opera dæmoni adſcri-
bunt, ac conſcientia reluctante, veritati bellum indicunt, hi
cum reprobis hiſce Phariſæis, in Spiritum Sanctum enor-
miter delinquunt. Eam ob rem diuina vlciſcente iuſtitia,
communiter contingit, vt ad meliorem frugem ſeſe non re-
cipientes, obdurati in hæreſi exſtinguantur, ac infidelium
in inferno pœnis, ſocientur. Summo itaque ſtudio, ab
huiuſcemodi blaſphemia tibi caue, confiderans, neminem
repertum iri, qui ſanctorum inficietur miracula, quam
illos, qui eorum ſunt fide deſtituti: prout merito Beatus
Ambroſius Arrianis, Geruaſij ac Protaſij, ſanctiſſimorum
CHRISTI Martyrum, miraculis fidem derogantibus, ex-
probrat.

IV. *Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.* De his Mat-
Mat. 12. 38 thæus ita ſcribit: *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Erant quidem & hi Phariſæi, vti priores quoque, verum diuerſi ab his, vnde fieri poteſt, quod etiam Hieroſolyma ad CHRISTVM venirent, vt eius dicta factaque curioſe obſeruarent, num veritati eſſent conſona. De quibus tamen id adfirmat Matthæus, quod quæſtionem hanc propoſuerint, poſtquam CHRISTVS quatuor rationibus, in hoc Euangelio allatis, ſuis ſatisfeciſſet aduerſarijs. Itaque hoſce introducit, CHRISTVM percunctantes, ac quaſi dicentes: profers quidem varias in medium rationes, verum vt nobis conuenientius os obtures, aliquod aliud edito ſignum, cui contradici omnino non valeat. Lucas autem hanc interrogationem, hoc in loco præmittit quaſi priùs factam. Vnde fieri poteſt, vt bis eam obiecerint: primo quidem cum alij blaſphemijs Saluatorem impetierant quaſi dæmonium haberet, cumque nihil tum eis reſponderetur,

tur, iam nunc denuo interrogarint. Itaque Chrysostomus, Matthæi explanans Euangelium, notat verbum tunc, ac si Euangelista super hoc fuisset admiratus, quod plura adhuc expeterent miracula, cum tam multa, variaque præcessissent. *Chrys. ho. 44. in Matth.*

Potuit hæc interrogatio *in primis* oriri, ex infidelitate cum de veritate miraculorum CHRISTI ambigerent: considerantes, miracula quæ hic in terris eduntur, à dæmone, mundi terræque Principe fieri posse? illa vero quæ in cœlo continguut, à Deo solo vtpote cœli Domino procedere. Itaque de cœlo aliquod sibi exhiberi signum postulant, ad instar Moysis, panem cœlestem Israelitico populo subministrantis; Aut certe Iosue, qui lunæ soliſque cursum prece stitit. Vel ad minus Samuelis, fulgura, ac tonitrua, præter temporis naturam, è cœlo deuocantis. Quin vt & Heliæ imitaretur exemplum, ad cuius preces, ignis cœlestis holocausti victimam deuorauit, binosque omni cum comitatu principes quinquagenarios necauit: vel etiam Esaiæ, cuius iussu imperioque Sol ad decem lineas retrocessit; adeo, vt Dionysio Areopagita teste diem viginti integris horis auctiorem fecerit. Motiua Pharisæorum. *Exod. 16. Ios. 10. 1. Reg. 11. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1. Isa. 38. 8. Dion. Ep. 7 ad Polyc.*

Secundo, Ex curiositate, cupidi enim rerum nouarum erãt: quemadmodum Herodes gauisus est cum ad se vidit Christum à Pilato destinari, vt more alicuius iaculatoris, aliquid præstigiarum ederet. Secundũ motiuũ.

Tertio, Ex veritatis ambiguitate: Veluti Regulus ille, qui etsi multa Christi audisset miracula, voluit tamen & ipse in filio huius rei periculum facere: quippe cum difficilius fidem accommodemus ijs quæ audimus, quam quæ ipsi videmus, reque ipsa comperimus. 3. *Ioan. 4.*

Quarto, Quod præterita miracula non viderentur sufficientia. Vt Mosaicæ legi, tot annorum centurijs receptæ renuntiantes, Christianam fidem amplexarentur. Adeo vt hinc Paulus dicat: *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam.* Ac si diceret: Iudæi ad saniorem recusant redire mentem, nisi continua videant miracula: nec Gentiles, nisi ef- 4. *1. Co. 1. 22.*

si efficacibus humanæ sapientiæ rationibus conuincantur.

Quinto, Vt continuis suis quæstionibus CHRISTVM inquietarent, diuexarentque: qui nullum miraculorum expetendorum faciebant finem. Hoc pacto, vti Lucas ait, *tentabant* eum, id est, molestabant, volentes virium ipsius experimentum capere. Chrysostomus vero inquit, eos verbis adsentatorijs CHRISTO adulari voluisse, atque os oblinire: quasi dicerent: agnoscimus quidem libentes, quod varia facias miracula, eaque & suscipimus & laudamus: verum vt maiorem de te concipiamus opinionem, teque maiori celebremus præconio, edito etiam è cœlis aliquod nobis miraculum. Nonnulli autem in Matthæo verbum hoc, *Volumus*, notant; quasi cum authoritate ac imperio Christum fuissent adorti, volentes nimirum vt ita fieret ac iubentes.

Luc. hic.
Chrys. sup.
Caietan. in Matth.

Pharisæis qui similes.

Multi vero plane homines, hisce Pharisæis sunt similes: veluti *in primis*, qui nullis vnquam Dei operibus contenti sunt, sed semper anxij sollicitique magis ex incredulitate quam scrupulositate: Et quidem quanquam Deus in præsentem vsque horam eos adiuuerit, atque ex cunctis difficultatibus eripuerit, futurorum tamen anxietate ita torquentur, vt per hoc manifeste significent, quod præcedentia, sua potius acquisierint industria, quam diuinæ bonitatis clementia, cum impijs dicentes: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Vnde opera Dei, quæ spiritualibus oculis non intuentur, haudquaquam considerant. Deus namque ideo quotidiano suo iuuamine nobis opitulatur, vt eum discamus agnoscere, eique fidere tanquam Domino ac parenti nostro; Gubernanti mundum vniuersum, & singularem electorum suorum curam gerenti. Hæc cum ex omnibus ipsius beneficijs attendere, aut discere non possumus, tunc reuera in Christianæ fidei doctrina parum, aut nihil adhodum profecimus. Hinc author operis imperfecti, huiuscemodi homines terræ comparat arenosæ, quæ quamuis densam susceperit pluuiam, tamen quia nullos in se tenet humo-

1. Anxij de prouidētia Dei *Dan. 32. 27.*

humores, semper adhuc aret. Quin & febricitantibus eos similes ait: qui quantumcunque biberint, calore tamen omnem potum absumente semper sitiunt. Item qui si quid minus gratum eis dicas surda aure transeunt: aut ambulantibus, & aliud cogitantibus prætereuntium vident neminem. Itaque diuinis intende operibus, grates Deo age, neq; eum anxia tua sollicitudine vexes, aut ad iracundiam prouoces.

2. Dubii in fide.

Secundo, Pharisæis similes sunt hi, qui in fide vacillant, quia vident vno eodemque semper modo, mundum gubernari, neque quidquam vel audiri, vel sciri de rerum futurarum euentu: prout impij quoque apud sapientem conqueruntur, dicentes; *Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Itaque dubitant de his quæ docemur. Tales erant epulonis istius fratres, quos putabat pœnitentiam acturos, *Si quis ex mortuis ad eos redijsset*, quasi dicat nunc non credunt, sed voluptatem sequuntur nihil de futuro animarum statu solliciti. Huiuscemodi etiam inter Christianos nonnulli (proh dolor) reperiuntur, maxime politici illi, impij Machiauelli discipuli, qui Christianam fidem, non nisi pro re aliqua ciuili ac politica habent, quæ timore pœnæ ac inferni metu hominem intra modestiæ limites contineat. Neque credunt præteritis miraculis ad Christianæ fidei confirmationem editis, neque præsentibus, quæ etiamnum hoc tempore varijs in locis contingunt, sed omnia impostoris, ac præstigijs cum Iudæis, Ethnicis, & hæreticis adscribunt. His nullatenus recentia essent expetenda signa aut miracula, sed considerandum ingens illud miraculum, cuius Diuus Augustinus meminit. Quo pacto scilicet mundus vniuersus, cum omni scientiarum, ac voluptatum, honorumque genere affluaret; plenus scilicet idolorum cultu, malitia & nequitia, à bis senis CHRISTI discipulis, pauperculis nimium piscatoribus, impolitis, imperitis, ac prorsus rudibus, ita sit conuersus, vt omni abiecta idololatria, ac vana gentium Deorum, cui tot centenis annis litauerat, superstitione, totaliter sese ad nouæ vitæ capessendam semitam contulerit.

Sap.2.1

Luc 16.30

Politici.

Aug.22. Ciui.cap.5 Contra Politicos.

Cuius doctrina in eo consistebat, vt pro Deo hominem inposterum abiectum, vilem, contemptibilem, atque tam ab Ecclesiastico quam politico Magistratu crucis patibulo adiudicatum, ac pessimo necis genere affectum, colerent; sepositis interim omnibus carnalium desideriorum affectibus, inclinationibusque. Hæc enim res, talis, ac tanta est, vt omnia superet miracula, satis superque sufficiens, vt omnes politicos istos conuertat, modo animum intenderent. plurimos quoque Christianorum eadem hac infidelitatis tentatione exagitat Diabolus, suggerens ijs: Qui scis, quod fides tua melior sit, quam Turcarum, Iudæorum, hæreticorum? quo pacto nosti vera esse, quæ Sacerdotes docent? Forsitan nullus in rerum natura existit Deus, falsaque sunt omnia, quæ credis, &c. His multorum animus valde conuellitur, qui non existimant, se diabolo consentire, dum noxijs hisce mouentur cogitationibus. Non persuadet sibi Diabolus, quod aliquem, qui Deum timeat phantasijs his, à fidei constantia auulset: Sed hoc vnum intendit, vt internam animi quietem eripiat, & deuotionem ac attentionem tollat. Hinc talibus te cogitationibus aggreditur. teque ita exagitat, vt quasi consensum ijs præbuisse videaris. Verum ne timeas, quin potius firmiter sanctæ adhæresças Ecclesiæ, aspernando huiuscemodi instinctus, non minus, quam si ab aliquo emoti cerebri homine eos hausisses. Quo etenim contemptibiliori loco dæmonem habes, eiusque resultibus animosius reluctaris, eo citius ab illo liberaberis. Quem vero deliria eius mouent, is eum videtur honorare, timere, eique morem gerere.

3. Qui quærunt serâ pœnitentiam.

Tertio, Assimulantur Pharisæis, quotquot desiderant, vt Deus aliter secum agat, quam cum hominibus solet agere, hoc etenim est, quasi si miraculum exposcas. Faciunt hoc peccatores omnes, qui diuinæ legis præceptum, quo homines secundum quam vixerunt, moriuntur, cupiunt immutare: porcorum instar, qui vti toto vitæ tempore rostra sua terram versus dirigunt, sic & moriendo nisi miraculose aliter contingat, idem facient: vnde si per omnem

ætatem

ætatem in peccatorum vis hærere ſordibus, ſi affectiones in terram defigere, ſi cor à Deo auertere, ſi denique ſecundum tuam duritiem, vti Paulus loquitur, *theſaurizare tibi* diuinæ vltionis *iram*: & tamen perſuadere tibi interim, quod bona morte expiraturus ſis, tunc reuera miraculum à Deo exigis; quippè cum mors peccatorum, vitæ ipſorum ſoleat eſſe conſimilis. Itaque in hoc non plus te Deus exaudiet, quam Phariſæos hos: quin immò grauiter in te animaduertet, quemadmodum & hoſce ſeuere puniuit, dabitque tibi pro reſponſo ac dimiſſorijs literis, pſalmographi illud: *Mors peccatorum peſſima.* *Rom.2.5.* *Pſal.33.22.*

Octo autem ſunt cauſæ cur Phariſæis de cœlo ſignum poſtulantibus, CHRISTVS morem gerere detrectauerit. Quarum *prima* eſt, quod voluerit vtilia facere miracula, vt hominum ſaluti conſuleret, maiori ipſorum profectu; ſatius inquam in cœlo fierent. Hæc autem commodiſſime in terra fiunt. Talia ſunt cæcorum oculos aperire, mutorum linguas ſoluere, ſurdorum aures patefacere, leproſos mundare, ægros ac debiles ſanare, & mortuos ſuſcitare. Hæc enim hominibus erant vtiliora, quam ſi vel cœli curſum ſtitiſſet, aut ignem ex cœlo deuocaſſet. Vnde hinc diſce, omnia tua opera, prout rectè monet vas electionis, *ad Dei gloriam* agere; Cum videas CHRISTVM omnia miraculorum ſuorum ſigna, ad vtilitatem hominum conuertiſſe. *Secunda*, quia portenta in cœlo non erant neceſſaria: ideo vt Philoſophorum habet axioma, DEVS & natura nihil faciunt fruſtra. Quin imo ita DEVS ſuperfluitatem odit, vt etiam de quolibet *otioſo verbo*, peculiarem poſt obitum exacturus ſit rationem. *Omne* namque *quod non ædificat audientes* inquit HIERONYMVS, *in periculum vertitur loquentium*. Diſce itaque, nec in factis, nec in verbis otioſus, aut ſuperfluus eſſe. *Quiſquis*, enim, vti Magnus ille ait GREGORIVS, *eius ſpiritu plenus eſt. qui ait: Omne verbum otiojum, quod locuti fuerint homines, rationem red-*

Cur Chriſtus Phariſæos nō audierit. 1. Eſt cō-ditio miraculorū. *1.Cor.10.* 2. Ratio. *Mat.12.36* *Hier epiſt. 128 ad Fabi.* *Greger.4. Mor.c.2.* *Mat 12.36*

dent de eo in die iudicij, ita otiosa admittere sicut etiam pernitiosa formidabit. Vnde magnopere pertimescendum est his, qui tantum nummorum, temporis, verborum, non solum inutiliter, verum etiam pernitiosè profundunt.

3. Ratio. *Tertia*, ne curiosis quæstionibus morem videretur velle gerere; docens nos, quod omnem detestetur curiositatem, non solum quod dedeceat, (est namque, teste sancto Thoma: *Curiositas vitium circa inordinatum cognitionis appetitum*) sed etiam quod per illam homines sæpè in varia incidant peccata. Cum *inprimis* aliquid ex praua intentione curiosè indagamus: vti faciebat Herodes, qui à CHRISTO ideo expetebat miracula, vt his sese inaniter oblectaret. *Deinde*, cum quid indecenter agimus, vt aliquid sciamus, vel consequamur: Quemadmodum hi Pharisæi, signum de cœlo postulantes. *Tertio*, cum aliquid indagare volumus ab his, à quibus nullatenus licet, nempe magis & incantatoribus; Sicuti Saul fecit, consulens pithonissam. *Quarto*, cum id scire gestimus, quod nefas est scire, scilicet quod vel in secreto, vel in confessionis Sacramento, est prolatum. *Quinto*, quando illa scire, aut videre cupimus, quæ nobis aliquod periculum accersêre: quemadmodum. Dina conferens se ad vrbem Salem, vt ex curiositate videret mulieres regionis illius, à Sichem, filio Regis, vim ibidem est perpessa. *Sexto*, cum aliquod omittitur eorum, ad quæ obligati sumus, nempè diebus Dominicis Sacro interesse, debito tempore confiteri, aut aliud quid negligere, vt curiositati satisfacias. Quemadmodum Diuus HIERONYMVS dicit eos facere, qui vanis acquirendis scientijs operam impendunt, neglecta interim diuinarum sacrarumque literarum cognitione.

S. Tho. 2.2 q. 167. Sex mala curiositatis. 1. 2. 3. 1. Reg. 28. 4. 5. Gen. 34. 2. 6. Hiero. l. 2. com. in ep. ad Ephes. c. 2.

4. Ratio. Quarta, quod signa, quæ in cœlo fiunt, multo sint incertiora his, quæ contingunt in terris. Hæc etenim cum apud nos sint, videmus, ac sensu apprehendimus: illa autem

tem cum longè à nobis diſtent, non item. Proinde dæmones cum in aëre verſentur, poſſunt enndem immutare, & ad fulgura, tonitrua, ventorumque turbines, incitare. 5.Ratio.
Quinta, quod Chriſtus noſtræ ſalutis cauſa homo eſſet factus, ac cum hominibus in terris degeret. Vnde quod in lege veteri ſigna ac prodigia in cœlo contigerunt, ideo eſt factum; vt Deus, qui, Eſaia teſte *in cœlo habitat*, homines *Iſa.66.*
ab inani terrenorum Deorum cultu, ad veri cœleſtis DEI 6.Ratio.
agnitionem perduceret. *Sexta*, vt quid inter CHRISTVM
& Antechriſtum diſcriminis eſſet, edoceret: Hic etenim de *Apoc.13.*
cœlo faciet *miracula* ſed inutilia: nempè vt ignis deſcendat de cœlo, Sol ſiſtat curſum, imagines ſonum loquantur; Quæ nulli rei vſui erunt. Cui tamen hoc nomine Iudæi adhæreſcent, ſuſcipientes illum pro Meſſia ſuo, quemadmodum CHRISTVS ipſemet eiſdem obijcit, prout vnanimiter illum Ioannis locum exponunt *a* Hieronymus, *b* *Ioan.5.43.*
Chryſoſtomus, *c* Ambroſius & alij: Sic namque ait: *E-* *a Hier.q.2 ad Algaſ.*
go veni in nomine Patris mei & non accepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Illius namque miracula *b Chryſ. hom 40 in Ioan.*
ex arrogantia & ambitione fiunt, vt fauorem ac hono- *c Ambr.1. de Spir.S.*
rem ſibi conciliet, poſſitque ab hominibus, pro DEO *c.14.*
coli, ac adorari. Cæterùm, Saluator noſter quotquot
perpetrauit miracula, ex amore, compaſſione, ac humilitate edidit, vt hominibus eſſet emolumento. Vnde ſemper *Patri ſuo* cœleſti ea adſcribens, omni conatu ad DEI ſolius laudem & honorem prouocare nos ſtuduit. *Ioan.5.43.*
Diſce igitur hinc diſcrimen piorum hominum CHRISTI veſtigijs inſiſtentium: & Phariſæorum, hoc eſt mundanorum, qui terrenarum terum ſordibus ſunt immerſi. Hi namque admirantur Antechriſtum, honorem ſcilicet, pompam, faſtum, ſumptuoſas veſtes, ſplendida Palatia, & quidquid in mundo magnum eſt, quantumcunque alias inutile, immò & ſaluti noxium. Pij verò DEI ſolius opera cum admiratione ſuſcipiunt, laudantes Deum de conuerſione peccatorum, Chriſtianorum virtutibus, proximorum profectu, ac ſpirituali perfectione. *Septi-* 7.Ratio.

ma,

ma, ratio eſt, quod Iudæi haudquaquam eſſent digni, qui cœleſtis alicuius miraculi participes efficerentur, ſed cum adhuc de terra eſſent, debuerunt paulatim per rerum terrenarum miracula ad cœleſtia perduci.

Matth.17. Tres illi Apoſtoli in monte Thabor, cœleſtia conſpexerant miracula: Nempè Petrus, Iacobus, & Ioannes: verum cæteri necdum tam ſublimium erant myſteriorum capaces. Poſt glorioſam Chriſti reſurrectionem, etiam talium rerum reddebantur participes: videntes corpus illud glorioſum clauſis oſtijs ingredi ad ſe, cœlumque conſcendere: Spiritum Sanctum, magno cum ſonitu in ſpecie ignearum linguarum deſcendere. Porrò Saluator noſter, aliquando cœleſtia in te operatur miracula: cum nimirum aliquam in te ſentis facilitatem, ad humilitatem, aliaſque virtutes, quæ antea vel difficiles admodum, vel acquiſitu pene impoſſibiles videbantur. *Octaua*, vt cœleſtia miracula, tibi in cœlum aſcendenti, integra, illibataque conſeruet. Ibi enim talia ac tanta exhibiturus eſt, vt ea *nec oculus* vnquam *viderit*, *nec auris audierit*, *nec in cor hominis aſcenderit*. Itaque nihil hic in terris aliud deſidera, quam vt ad cœleſtium illorum miraculorum gloriam condigne te præpares.

Ioan.20.
Act.1.&2.

1. Ratio.

Iſai.64.4.
1.Cor.2.9.

V.

Cur ad cogitationes Dominus reſpõdeat

Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Roget hic quis, cur Euangeliſta dicat, tunc CHRISTVM locutum: cum eorum cogitationes vidiſſet, non enim fuerat neceſſarium, eorum ſcrutari cogitationes, cum ipſa, quæ proferebant verba, ſat fuerint pernitioſa, & ab omnibus audirentur, dignaque eſſent caſtigatione? Ad quod reſpondeo, verba quidem illorum, reprehenſione fuiſſe digna, Euangeliſtam tamen quinque de cauſis cogitationum meminiſſe. *Prima* eſt, vt doceamur, Deum cogitationes noſtras videre, quanto magis actiones, locutioneſque? Perſuadet quidem ſibi peccator, quod ſecretiores ſuos actus, diuina non conſpiciat maieſtas; vnde illa reproborum, quæ apud Sapientem reperiuntur verba, ſibi

3. Ratio. Peccatoris perſuaſio.

Eccl.3.26.

ſibi vſurpans, ait: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me? quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altiſſimus.* Verum, conſiderandum eſt huic, id quod ſequitur: *Et non intellexit quoniam omnia videt oculus illius.* Iob aiebat: *oculus adulteri obſeruat caliginem dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum.* At nihil eſt diuinis occultum oculis; omnia, etiam antequam facta ſint, conſpicientibus. Itaque non ſolum coram hominibus, verum etiam coram Deo, totaque cœleſti curia verecundare & erubeſce. Quin ſi videres omnes illos qui in circuitu tuo ſunt ac tua intuentur peccata, non verecundareris ſolum, verum etiam magnopere pertimeſceres. Iob 24. 15. Qui nobis præſentes?

Primo namque DEVS tibi præſto eſt, qui ſuper omnia, vtpotè teſtis ac Iudex, eſt timendus. Hinc eſt quod per Hieremiam idem Dominus ait: *Ego ſum teſtis & Iudex.* Hic ſolus, etiam ſine alijs, eſt ſufficiens. 1. Deus. *Hier.* 29. 32.

Secundo, cœleſtes illi beatorum Angelorum Spiritus, qui à Deo tum vt te cuſtodiant, tum vt te puniant, miſſi tibi ſunt: quemadmodum Daniel duobus illis nequiſſimis veteratoribus aiebat: *manet Angelus Domini, gladium habens, vt ſecet te medium, & interficiat vos.* Vnde & alius quidam angelus Balaamo hariolo necem comminatus erat, ni aſina à via deflectens, declinaſſet ictum. 2. Angeli boni. *Dan.* 13. 59 *Num.* 22. 33.

Tertio, malignorum ſpirituum cateruam, qui aërem hunc frequenti numero ſtipant, & his qui male agunt, ad nutum præſtò ſunt. 3. Angeli mali.

Quarto, opus malum quod perpetras, tuæ inſcribunt animæ. Quod quidem non ſolum in conſcientia tua legis, cum grauem iſtius ſentis remorſum, verum etiam omnes Dei electi, ſiue vita iam functi ſint, ſiue adhuc hic viui; quibus delicta tua Deus cognita eſſe vult. Vnde de plurimis eximia vitæ ſanctimonia præditis literarum produnt monumenta, quod occulta hominum cognouerint peccata. Hinc ſanctus Gregorius docte admodum Ezechielis elucidans viſionem, 4. Peccatū ipſum. *Greg.* 26. *Mor.* c. 4. *Ezech.* 8. 6

Pœna peccata notitiã parit.

nem, de Iudæorum peccatis, in templo Hieroſolymitano commiſſis, docet, quo pacto boni Superiores, ſubditorum ſuorum queant cognoſcere delicta. *Fode*, inquit: *parietem*, hoc eſt ſaxeum ipſorum cor puni: *& cum fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum.* Poſtquam enim punitus eſt peccator, ſigna quædam edit, per quæ ſecretiora ſua manifeſtet peccata. *Et dixit ad me: ingredere & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic.* Hoc eſt, ex exterioribus indicijs, quid in pectoris arcano deliteſcat, cognoſce. *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium.* nempè rerum terrenarum cogitatus; *& animalium abominatio*: cogitationes videlicet illarum rerum, quæ momentàneæ vtilitatis cauſſa fiunt. *Et vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Hoc eſt, peccata omnia, quæ foris fiunt, interius in anima deſcribuntur. Hæc pictura, eſt ſcriptura librorum illorum, ex quibus ſingulorum res geſtæ, in iudicio vnicuique, prout Ioannes in Apocalypſi teſtatur, prælegentur. Hinc beatus Ephræm, diaconus Edeſcenus, ab impura quadam meretricula ad nefarium libidinis actũ prouocatus, ſi noſtro, inquit, amori, frui, omnino decreuiſti, age fiat id publico in foro, tota conſpiciente plebe; Ad quod cum illa pudore ſe fore afficiendam diceret: reſpondit Ephræm: itane verò: Tù oculos paucorum hominum, erubeſcis, & præſentiam omnipotentis DEI, omniumque SS. qui hominibus multo plures ſunt, nihil vereris? qua admonitione ita eam perculit, vt ab inſana carnis libidine reducta, vitam religioſam ſuſceperit ad puritatem. Hæc etenim diuini timoris recordatio, tam eſt potens, efficaxque, vt omnibus verecundiæ ſtimulos inijciat, atque à ſceleris perpetratione reuocet.

Apoc. 20. 12.

Apud Sur. 8. Febr.

Secunda cauſſa cur Chriſtus ad cogitationes reſpõdeat

Sap. 1. 9. Mich. 2. 1.

Secunda cauſa eſt, vt nos hic CHRISTVS doceret, ſe non actiones ſolum noſtras, ſed & ſingulas cogitationes, in ſeuero illo tribunali iudicaturum; prout Sapiens alibi teſtatur, cum inquit: *in cogitationibus impÿs interrogatio erit*: hoc eſt, etiam de cogitationibus ſuis diſcutietur & iudicabitur: adſtipulante Michæa, ac comminante: *Væ qui cogitatis inut*

ac ſi diceret, damnatio erit his, qui inanes atque ad nihilum vtiles cogitatus concipiunt. vt vel hinc diſcamus etiam cogitationibus noſtris poſſe nos grauiter delinquere ac diuinam maieſtatem offendere. Mortaliter namque *inprimis* peccas; cum corde aliquod letiferum delictum cogitas, cum conſenſu, illud, pro oportunitate perficiendi. *Secundo*, quando de tuis, aliorumve peccatis præteritis cum complacentia cogitas. *Tertio*, quando voluntarie conſentis alicui mortali peccato, ita & ſi facinus ipſum actu deſignes, tamen cogitatione delecteris, & delectatione conſentias. *Quarto*, quando indignaris de illa quam DEVS tibi præſtitit, virtute: nempè, quod ab ipſo ad religioſum aliquod vitæ genus ſis vocatus; hoc etenim magnæ ingratitudinis eſt indicium. *Quinto*, cum ſciens, volenſque in horis canonicis aut Miſſæ Sacrificio diſtraheris. Venialiter autem *inprimis* delinquis, cum mortalibus nimis diu inhæres cogitationibus, licet nec in factum conſentias, nec in delectationem. *Secundo*, quando venialibus delectaris, ſiue conſentias, ſiue non. *Tertio*, cum vanis inutilibuſque cogitationibus plus æquo inhæres. *Quarto*, quando orationis tempore, animi ſentiens diſtractiones, non ſtatim eas abigis. *Tertia* eſt, vt hinc diſcas, Deum longe aliter de rebus ferre ſententiam, quam nos: quippè, qui intentionem iudicamus, ex dictis factiſque; cum DEVS ex intentione facta iudicet. Cuius ratio eſt, quod externa ſolummodo videamus, ipſe autem norit abſcondita cordis. Vnde beatus Gregorius inquit, cogitationes noſtras, radices eſſe verborum operumque noſtrorum, quas cum Deus videt, tunc omnia plene perfecteque conſpicit. Sane ex bono corde naſci poteſt aliquod verbum factumque, quod malum videatur: & contra, ex mala intentione, verba poſſunt oriri pia ac ſancta: quemadmodum Diabolus, Chriſtum profitebatur eſſe *ſanctum*. Et opera bona: veluti nonnulli ideo verbum Dei prædicabant, *vt preſſuram ſuſcitarent vinculis* Pauli. Itaque hic iam diſce neminem ex factis dictiſque externis temere iudicare, cum aliquam admit-

Cogitationes peccaminoſæ mortaliter. 1. 2. 3. 4. 5.

Cogitationes venialiter peccaminoſæ. 1. 2. 3. 4.

3. Cauſſa.

Greg. 12. Mor. c. 24. li. 14. c. 10.

Luc 4. 34.

Phil. 1. 17.

admittunt excuſationem, quod ex bona intentione fiant.

*Heb.*4 12. De Chriſto Domino, qui Dei verbum eſt, ſcribit vas electionis, *quod penetrabilior ſit omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, diſcernens cogitationes, & intentiones cordis.* Nec nos ipſos ita nouimus, ſicuti à Deo, quemadmodum

*Hiere.*17. Hieremias Propheta teſtatur, noſcimur. Eam ob rem merito Chriſti poſſumus pertimeſcere iudicium, qui forſitan prauæ id adſcribit intentioni, quod nos recta factum eſſe exiſtimamus.

4. Cauſſa. *Quarta*, quod Phariſæi plus de CHRISTO mali cogitauerint, quam locuti ſint. Etenim illi, qui miracula expetebant, erant hypocritæ, præſeferentes, quod corde compuncti, ad meliorem frugem ſeſe eſſent recepturi, ſi quid ſaltem de cœlo miraculorum conſpexiſſent: cum interim eiuſdem eſſent farinæ, ac prauæ intentionis, cuius & præcedentes iſti percunctatores. Deinde illi quoque habentes illum pro homine à dæmone obſeſſo, blaſphemantes dicebant, quod in Beelzebub principe dæmoniorum eijceret dæmonia: verum in corde cenſebant, quod diaboli eſſet miniſter, qui ipſius cuperet longe lateque propagare regnum; quiq; malis artibus eijceret dæmones, atque ideo dignus eſſet, qui è medio tolleretur. Huiuſcemodi itaque cogitationibus Chriſtus reſpondens eijcit illas, quatuor quæ mox ſubſequetur, rationibus. Diſce hic *inprimis*, hypocritas, quantumcunq; aſtu ac calliditate ſuam diſſimulēt nequitiam, non poſſe tamen ita per omnia prauam occultare intentionem, quin aliqua ſaltem ex parte prodantur. Nam lupus etſi veſte tectus ſit ouina, ſeruat tamen lupi os, vngues, aures, caudam, vocem. Qua de cauſa, ſi ad te videris lupum appropinquantem, hominem ſcilicet hæreticum, mox eius mores, ſermones, rugitus, & opera conſidera, & confeſtim agnoſces illum eſſe lupum, hoc eſt hæreticum. *Deinde*, reprobos, quantumcunque etiam committant mali, nunquam tamen totam malitiam effundere, quin ſemper minus perpetrant, quam velint. Sicuti namque putealis aquæ, eo magis creſcit, quo plus hauritur, ita malitia in hominibus malis, per mala opera quotidie incrementum ſumit.

Hypocritarū fraus.

Reprobi nunquam effundūt totā malitiam.

Quinta

Quinta, quod Chriſtus non minus bonas bonorum conſideret cogitationes, quam malas malorum. Quod ſane cōſolationis plenum eſt, *inprimis*, quia hac ratione plurimum poſſumus mereri, quantumcunque etiam ſenes, debiles, & infirmi ſumus; nempe per feruida deuotarum cogitationum ſuſpiria. Poſſumus etenim quouis tempore bona concipere (cum ſine cogitationibus mortalium viuit nemo) quibus in amorem Dei inflammemur, rapiamurque.

Chriſtus videt omniū cogitationes.

Secundo, quod Chriſtus ſiue hic, ſiue in futuro ſeculo, ſemel cordium noſtrarū cogitationes probabit, nos aduerſus calumniatores, qui nunc facta, dictaque noſtra in ſiniſtram partem detorquēt defenſurus. Itaq; omni conatu ad labora, vt cor tuū bonis ſemper occupes cogitationibus, neq; alias admitte. Quod vt melius facias, aduerte quatuor modis cogitationes in nobis exurgere.

Chriſtus eaſdē examinabit.

Quatuor cogitationū principia.

Primo, ex interna cordis affectione: quemadmodum libenter cogitamus de ijs, quæ amamus, deque malis, nobis illatis. Hinc eſt quod ſaluator ait, *ex corde prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*, &c. Quibus ſi liberari velis, contende vt malas animi affectiones ſuperes, nulli creaturæ inhærens; ſed diuino ſolum amori: ſic fiet, vt nihil niſi bona cogites. Huc facit exemplum, illud, quod in vitis patrum legimus, de Monacho quodam, qui ad quendam Abbatem diuertens, ei conquerebatur, quod impetum cogitationum ſuarum diutius ferre non poſſet. Cui ſenex: nunquam, inquit, ſic tentatus fui. Quod admirans Monachus mentiri eum putabat: cum nihil naturalius ſit, quam peregrinas nonnunquam admittere cogitationes. Ad quem ille: noli, quæſo, ſuper hoc admirari; ego nempe huic malo iſtud appoſui remedij, vt nunquam ad ſatietatem vſq; indulgerem refectioni panis, aquæ, aut ſomni. Tantum ego corpori nunquam indulſi, vt praua mihi ſuggereret.

1. Affectio cordis.

Mat. 15. 19

In vitis PP. p. 2. li. de humil. & patien.

Secundo, ex occupationibus noſtris, quibus indies intenti ſumus, prout alibi fatetur Sanct. Gregorius. Nam illorum quę tractamus negotiorum occupationes, ita nos inuadunt, vt ſæpe in precibus à Deo auertant, atque impellant.

2. Principiū occupationes. *Greg. 28. Mor. c. 15.*

Cui malo si mederi velis, da operam, vt animum ab occupationibus liberum habeas: imitatus consiliarium, qui à varijs consilij auxilijque gratia, frequentatur, quos in suum conclaue non admittit, tum ne illud calceamentorum luto maculent, tum ne plus æquo longiores illic moras nectant. vnde ipse foras progreditur; vt pro suo arbitratu liberè eos, cum velit, possit dimittere.

Itaque tu fac similiter, & cordis tui conclaue liberum
1. Cor. 7. 31 serua, insistens Diui Pauli monitis, vt *qui emunt, sint tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Præstitit hoc egregie Sanct. Bernardus Claræuallensis Abbas: qui etsi à varijs Pontificibus, Imperatoribus, Regibus ac Principibus, ad varia Ecclesiæ negotia destinaretur, semper tamen ita sibi præsens erat, vt animo non nisi soli Deo inhæreret.

3 Principium distractionis.

Tertio, ex consuetudine distractionum, quam ideo difficulter relinquere valemus. Nam quemadmodum cattus ad ædes illas, in quibus est enutritus, semper reuertitur; & muscæ, quæ frequenter conclaue aliquod occupant, difficile possunt omnes abigi: ita nō potest quis totum se ab inutilium cogitationum distractionibus expedire, si frequenter eas solet admittere. Ad hoc quippe magna opus est sedulitate, & præcipue diuino auxilio, cuius subsidio contrariam possimus adsciscere consuetudinem.

4. Diabolus. Diabolus præcipue insidiatur mane & vespere.

Quarto, à diabolo, volente nos externarum cogitationum nugis à bono impedire: idque duobus maxime temporibus, matutino nimirum, quando cogitationum nostrarū primitias præoccupans, toto nos die ijs inquinare studet; & quando orationi insistendum est; tūc etenim mirabiles nobis injicit phantasias, vt orationis delectationem vtilitatemq; nobis inuideat.

Diaboli scopus. 1. 2.

Cupit nāque, *inprimis* orationis nobis adimere suauitatē, quā experiuntur illi, qui cum attentione, deuotioneque precibus incumbunt: priuantur autem ea, qui animo orant distracto, cōcipientes orationis tędium & nauseam. *Deinde*, orationis fructum; qui est, vt quis exaudiatur; tum meritum quoque orationis, quod orando acquirimus, nobis studet eripe-

eripere. Eam ob rem, cum orationis tempore prauas externaſque nobis inijcit cogitationes, non ei ſat intellectum noſtrum hiſce occupaſſe, verum etiam voluntatem noſtram ad eaſdem cupit inclinare; excitans conſenſum aut complacentiam ad voluntariam diſtractionem, quo Deo diſpliceamus.

Hinc Euagrius de Machario Alexandrino Abbate commemorat, quod diabolus noctu eius pulſans cellulam voluerit, vt euigilans, ſecum ad matutinas preces pergeret. Ad quem ille, quid tibi, inquit, cum eccleſia, ac matutinis? Cui dæmon, putaſne, ait, Monachos tuos vnquam ſine nobis, diuinum frequentare officium? quin age, veni mecum, & vide quid iſtic rerum tractemus. venit, vidit: & ecce chori medium, vbi religioſi ſua habebant ſubſellia, paruuli complures occupauerant, hinc inde curſitantes, ac ſubſiliētes Æthiopes; quorū plerique Monachorum contingentes palbebras, ad ſomnum eas placide inclinabant: nōnulli ſuos digitos illorum immittebant rictui, vt oſcitabundi illic conſiſterent: quibuſdam in humeros inſiliebant, vt eos diuini tædiū caperet officij: alij ædiculis cōſtruendis, ligniſque congerendis ſedulam nauabant operam: erant qui in veſte fœminea, aliud quid nugamentorum præſtigiarumque actitarent. Licebat quoque quoſdam illic cernere, qui deuotorum feruidorumque fratrum inuidentes religioſo profectui, adeo acriter profligabātur, vt nullatenus pedem eò referre eſſent auſi. Quas geſticulationes cum mœrens ſatis iam vidiſſet Machārius, finitis matutinis, ſuorum vnumquemque conueniens, repperit ſingulos earundem cogitationum phantaſijs in choro detentos fuiſſe: nempe hunc mulierum cogitationibus diſtractum, illum ædificijs erigendis, alium lignis lapidibuſque congerendis &cæt. Itaque viritim eos inſtituebat; cor ſtudioſè ab ingreſſu dæmonis conſeruare: Difficile quidem factu, ita omnes diabolicas euitare tentationes, ne cor noſtrum aliquatenus ingrediantur, verum dare operam poſſumus, ne obſint. Legimus quod ad Paſtorem Abbatem quidam diuerterit Monachus, conquerens quam varijs diuexaretur cogitationibus. Quem ille ad aërem

Euagr. in Machar.

In vitis PP. p. 2. l. de diſcret.

ſubitò relegans, aiebat: aperi ſinum & ventos excipe ac conſtringe. Quod cum factu impoſſibile diceret: reſpondit ei Abbas, eodem quoque modo fieri non poſſe, vt omnes euaderet diſtractiones: ſed hortabatur eum, vt firmus conſiſteret, ne ab his proſterneretur. Quo quidem ſtratagemate, commonefacere eum voluit, hominem ab huiuſcemodi nō vulnerari, niſi aut voluntatis conſenſu, aut complacentia, longioriq́ue mora. Nihilominus tamen, eò minus hoſce diabolicarum vexationum inſultus ſentiamus, tribus hiſce poterimus vti adminiculis.

Homonō vulneratur à quibuslibet cogitationibus.

Auxilia tria cōtra diabolū.

Primum, vt conſcientiam noſtram puram mundamque non ſolum à peccatis, verum etiam à prauis inclinationibus conſeruemus. Quemadmodum namque veſpertiliones à ſplendore ſolis eo longius diffugiunt, quo intentior ille eſt; & muſcæ ſtudioſius à calore ignis, quo eius flamma eſt vehementior; ita diabolus ab hominibus Deum timentibus multò abit longius, quo ipſi per diuinæ gratiæ lumen coruſcant ſplendidius, eiuſque amore flagrantius ardent.

1. Puritas conſcientiæ.

Secundam, vt, iuxta id quod Sanct. Apollonius olim aiebat, principijs cogitationum reſiſtamus, nempe mox vbi diſtractionem perſentimus: per hoc etenim diabolo caput findi-tur: quo fiſſo, cætera eius omnia languent, concidunt-que; adeoque membra, & corpus vniuerſum. Præcipuè autem in ipſo diei crepuſculo, vigilantior adhibenda eſt cura, vt primos noſtros cogitatus, diuinæ maieſtati, quaſi primitiarum loco offeramus, per quas omnibus reliquis diei iſtius occupationibus, benedicat.

2. Principiorū reſiſtentia. *Euagr. in Apollon.*

Tertium, vt ſecundum Diui Baſilij monitum, libenter admodum diabolicas inſpirationes, ſpirituali noſtro Patri patefaciamus, vt per hoc dum clandeſtinas ſuas machinationes in publicum prolatas conſpicit, contemptui ſe haberi doleat, ludibrioque. Agnoſcit enim ipſemet ſuggeſtionum ſuarum turpitudinem, quas ideo ad aliorum delatas aures, moleſtiſſime fert. Eam ob rem, cum eas ſpirituali tuo directori manifeſtaueris, tunc diabolicarum nequitiarum verſutias probe cognoſces, atque aduerſus eas ſalutare reme-

3. Tentationū reuelatio. *Baſil. q. 26 long.*

remedium capeſſes. Poteris hinc diſcere, inordinatas hominum ſecularium concupiſcentias, qui vbi aliquatenus ſeſe diuino cepere mancipare ſeruitio, arbitrantur ſe mox ab omni diſtractione immunes futuros, adeo vt ſemper deuota animi cogitatione precibus deinde incubituri ſint. Qua vbi ſe deſtitutos conſpiciunt, ibi confeſtim animum, ac conceptæ pietatis ſtudio renuntiant. Hi ſimiles ſunt idiotis; qui litterarum ignari, de arcanis diuinarum ſcripturarum, aut Diuinis myſterijs, diſputare conantur: quarum cognitio, ſine aliarum ſcientiarum adminiculo haberi omnino non poteſt. Seculariũ error.

Quemadmodum impoſſibile eſt, vt quis ex ima terra faſtigium domus, vno conſcendat ſaltu: cum ad hoc admouendæ ſint ſcalæ, eæque gradatim, ac pedetentim aſcendendæ. Itaque cum Dei te ſeruitio cupis addicere, primo conſiderare debes, quanto ad huc interuallo ab ipſo diſtes; tum quam profunde mundo ſis immerſus, vaniſque rebus addictus. Vnde Beatus Gregorius ſcribit, hominis intellectum ita cogitationes inhabitare; ſicuti corpus materiale aliquam domum. Et quia cogitationes hæ, ex immortificatis prodeunt paſſionibus, nimia diſtractione, diabolica, (vti ante diximus) ſuggeſtione; diſce præ omnibus vt noxias paſſiones comprimas, deinde cor ab omni rerum mundanarum amore abduc, ac in ſolum Deum defige: ſicque ab illo tandem, ad veram deuotionem perduceris, gratiamque conſequeris, vt diabolum & omnem inſtinctum eius contemnas, & elimines. *Greg. 12. Mor. c. 27.*

PORRO verbum *vidit*, cum inquit euangeliſta', Chriſtum ipſorum vidiſſe cogitationes; denotat, Deum omnipotentem, noſtras & videre, & audire cogitationes. Conſpicit enim ad vnum omnes, quemadmodum vno intuitu cernimus omnia, quæ in pictura continentur. Nihil eſt ſiue bonum, ſiue malum, quod Deum lateat; quippe qui exactiſſimus humanorũ cordium inſpector ſcruratorque; omnia non minus diſcernit, quam nos in picta tabula, colorum diuerſitates. Deus cogitationes videt.

Deus cogitationes audit.

Audit quoque cogitationes nostras, cum tendunt ex nobis ad illum, hoc est, cum ipsum precibus interpellamus. Itaque sicuti non omnia verba simul vno spiritu proferimus, sed vnum post aliud: sic ipse cogitationes nostras audit, prout eas ad ipsum dirigimus; & secundum id, quod eas audit, ita & etiam adiuuat nos. Eam ob rem, non semper omnia quibus opus habemus, nobis elargitur, sed prout ipsum rogamus. Quare si à Deo adiuuari desideras, prius ipse sigillatim necessitates considera, eumque obsecra, vt etiam easdem attendat: nec tibi pro imperfecta tua oratione, sed pro ea, quam in te cernit, indigentia opituletur, ac præsto sit.

VI. Christus hoc miraculũ specialiter defendit.

Omne regnum in se deuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. CHRISTVS Dominus multa ante perpetrauerat miracula: nempe cœcis visum restituens, surdis auditum, ægris sanitatem; atque adeo etiam mortuos resuscitans (hoc etenim Ioanni in carcere constituto, per discipulos nuntiari curauerat) quorum tamen nullum, Iudæi diabolo adscribebant, nisi solummodo hoc, quod dæmonem hic eijciat.

Proprium Messiæ beneficiũ.

Neque CHRISTVS ipse quidquam perpetratorum miraculorum adeo serio propugnauit, quã à se præsens hoc; idque ea de caussa, quod proprium Messiæ officium fuerit dæmonem è mundo profligare. Plurimi quidem Prophetarum, varijs rerum supernaturalium effulserunt signis in veteri lege; nempe Moyses, Samuel, Helias, Helisæus: verum illorum nullus, ex obsessis hominum corporibus diabolum eiecit. Quod cum Christum quilibet facere cerneret, hinc non sine causa, eum cæteris maiorem esse Prophetis colligebant.

Quin & ipsi Iudæorum scribæ ac doctores, facile per se scire poterant, verum Messiæ officium in eo haudquaquam esse, vt aduersus visibiles decertaret hostes, ac Iudęos ex Romanorum eriperet seruitute, sed potius inuisibiles spiritus aç hostes, cum omnibus suis expugnaret. Et hoc quidem Christus omni conatu eis inculcare studuit, verum illi reiectis rationibus omnibus, adsentiri noluerunt.

Vnde

Vnde hic iam nunc quatuor vtitur argumentis, quibus efficaciter probet, ſe non diabolicæ ſed diuinæ virtutis potentia dæmones eijcere. Ex quibus inſignem Chriſti manſuetudinem licet cognoſcere: qui cum à dæmone poſſeſſus diceretur, ac Beelzebub, in cuius nomine diabolum eijceret, ſeruus vocaretur, haudquaquam contumelioſe reſpondit: regerens ipſoſmet à diabolo occupatos, ac Beelzebub eſſe mancipia; ſed diſcretè, manſuetè, eruditè ſuo nos docens exemplo, non reddere malum pro malo, aut contumelias contumelijs rependere. Si duo globi ſibi mutuo occurrant retrocedit vterque; & duæ ollæ teſtaceæ ſi impetuoſius ſe ſe mutuo collidãt franguntur: Chriſtianorum autem officium non eſt, aliquem vel frangere, vel fugare, ſed mutuo iuuare, & allicere.

Chriſtiani argumenta. Chriſti manſuetudo.

Priori autem argumento axioma aliquod vulgare præmittit, cuius veritas experimento comprobata eſt: nempe diſcordia regna ac regiones, vrbeſque & domos, ſeu familias integras deſtrui; contrà pace & concordia, omnia hæc ſeruari. Quemadmodum Ethnicorum hiſtoricorum non nemo olim etiam ſcriptis ſuis conſignauit: *Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia vero res maximæ dilabuntur*. Vti enim ingens laterum multitudo, cæmento bene coniuncta, denſum efficit murum: & multæ equinæ ſetæ inter ſe contextæ, firmam faciunt cordam; ita familiæ, ac congregationes pace ſeruantur.

Prioris argumẽti hypotheſis. Saluſtius.

Diſce hinc *imprimis*, cõcordiam quo maior eſt; eo firmiorem efficere congregationem, amplioremque. Quemadmodum in religioſorum bene reformatis monaſterijs, quotidie licet cernere: vbi pax inuiolabiliter cuſtoditur, vbi nõ eſt opinionum & ſententiarum pugna, ſed præferunt omnes voluntatem ſuperiorum, voluntati propriæ: inter quos nec *Tuum*, nec *Meum* locum habet: cum omnia ſint eis communia; nemo ſibi, ſed communitati ſollicitus eſt, veluti ſingula membra, corporis gerunt curam, illiq́ue obſequendo opitulantur. Tales religioſorum familiæ quantumcunque ſint inopes, abiectæque, in maius

Documẽta quinque. 1. Cõcordiæ laus.

tamen proficientes, augmentum quotidie sumunt, conseruanturque. Deus etenim, qui pacificarum congregationum est spiritus, illas conseruat; contra vero quo discordia est maior, eo quoque minus inter se animi consentiunt, facilius disiunguntur. *Duobus* autem modis, nobis mutuo adhærescimus. *Primo* quidem intellectu; *Deinde* voluntate. Quemadmodum namque multi inter se coadunati lapides, firmum non efficiunt murum, nisi cœmento bene conglutinati consolidatique sint; ita nullatenus valida erit illa congregatio, in qua homines corporibus tantum, non animis coniuncti degunt. Multi intellectu sunt vniti, eandem profitentes fidem; veluti catholici, qui orthodoxæ fidei veritati concorditer adhærent. Verum inter illos reperiuntur & alij, qui præter hoc quod fidei est, etiam eiusdem sunt sententiæ & opinionis, siue id sit in re aliqua quæ eruditionem concernat, siue in alijs externis negotiationibus, commercijsque. voluntate autem coniuncti sunt illi, qui vnum idemque & volunt & nolunt: quod cum ex charitate proficiscitur, (hæc etenim, Paulo contestante, *vinculum est perfectionis*) tunc talis coniunctio, munitior est, diuiniorque.

Cõcordiæ modi duo 1.

Colos.3.14

Animorũ cõcordia vnde?

At vero hic sciendum, animorum illam coniunctionem, non posse aut perfectam, aut diuturnam esse, si varient intellectus. Hoc etenim vnum idemque esset, ac si duo canes caudis consociati, capitibus forent disiuncti: qui ideo morsibus se se mutuo laniarent, conficerentque. Hinc quotidie cernimus, illos qui in rebus fidei inter se dissentiunt, semper sibi mutuo aduersari. Itaque illa in vrbe, vbi catholici simul mixti cum hæreticis commorantur, ibi nulla est vera animorum cõiunctio; quamquam ex necessitate aliquando eiusdem esse voluntatis videantur, & pacem inter se mutuo colere.

Sicuti namque eiusdem speciei animantia, libenter congregantur, ob eiusdem quam inter se habent naturæ concordiam, & seiungunt se ab alijs; ita & qui eandem profitentur fidem (hæc etenim est, quæ præcipuum animæ robur conciliat) cum eiusdem videantur esse naturæ, sibi

mutuo

mutuo adhæreſcentes (affectio namque ſcientiæ ſubſeruit, hoc eſt, voluntas intellectui) aliorum fugiunt conſortium; immo eos cane peius & angue oderunt. Vnde talibus in ciuitatibus videmus quotidie, quemadmodum nulla eſt vera pax. Hæretici namque conſpirantes in ſuorum complicium profectu lætantur, conuiuijs, commercijs, nuptijſque inſtituendis conſociantur; & ſi quid Catholicis proſpere eueniat, contriſtantur, ex qua animorum diſiunctione, quænam, oro, proficiſci poterit vtilitas: niſi vt quot in vrbibus reperiantur hæretici, totidem ſint capitales hoſtes, proditores peſſimi, ſeditioſi inquietiſſimi? Quin proditoribus nequiores ſunt, cum non omittant pro viribus, vt ciues omnes paulatim ad ſe alliciant, atque in hæreſin abducant: inſtar ignis, qui omnia in circuitu ligna deuorat, atque in flammam cineremque conuertit, & cancri inſtar qui, vt Apoſtolus ait, ſanas carnes paulatim excedere: cum tamen proditores, ſi paucos habeant complices, facile conquieſcant.

Diſce *Secundo*, grauitatem malitiæ ſeditioſorum ex duobus dignoſci. Quorum primum eſt quod citius aliquid corrumpant, quam alij reſtituant. Sicuti qui peſtifera eſt infectus lue, integram facilius poteſt accendere vrbem, pluresque interimere, quam centum rei medicæ peritiſſimi doctores, curare, & vnus citius integram poteſt euertere domum, quam centum cœmetarij reſtaurare. Hinc eſt quod D. Hieronymus conqueritur, Arrium vnicam tantum fuiſſe ſcintillam, qua breui temporis ſpatio totus conflagrauerit orbis. *Hier. in c. 5. ad Gala.*

Seditionis & diſcordiæ malitia.

Alterum quod ingentem Chriſtianæ reipublicæ inferant cladem. Ex diſcordia namque bellum oritur, hoc eſt homicidia, deuaſtationes vrbium, bonorum direptiones, aliaque quæ paſſim milites edunt, horrenda facinora. Belli incommoda rerum annona ſequitur, deinde peſtis, ac poſtrema hominum deſolatio. Duodecim tribus diſcordia ſeparatæ, ſuperatæque, ac patria ſede expulſæ ſunt. Quin & ſeditio Hieroſolymitanorum, tempore obſidionis, quam à

Tito & Vespasiano sustinuere, totam Iudaicam depopulata est regionem. vnde Paul. ait, tunc mundi adfuturum finem,
2. *Thes.* 2 3 quum primum *discessio venerit*, hoc est, mox vbi Christiani se se ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod hæreticorum proprium est) subtraxerint.

Duo genera contentiosorum.

Disce *tertio*, duo esse contentiosorum hominum genera. Quorum nequissimi *primo* sunt hæretici, qui vti voluntate & intellectu à Catholicis desciuere, ita serendis discordijs intendunt, disiungentes nimirum homines totaliter à se inuicem, adimentesque ipsis eandem fidem, voluntatem, intellectum.

Nequissimi qui.

1.

2.

Secundo, qui etsi Christianos quidem in auita sua relinquunt fide, voluntate tamen illos cupiunt disiungere; seminantes discordiam, aut charitatem imminuentes, sinceramque qua mutuo sibi iunguntur alienantes. Fit autem hoc duobus potissimum modis: *primo*, cum de proximo absente male loquimur, eiusque famæ derogamus; quod detractorum est, qui proximorum insidiantur honori, bonæque existimationis siue mentientes siue occulta eorum manifestantes peccata, eaque in immensum augentes exaggerâtesque, siue intentionem in deteriorem partem detorquêtes, (prout Iob à diabolo accidit) siue eorum res bene gestas malitiose subticentes, siue aliorum detractiones auide audientes; aut alio denique quocunque modo. Complures autem reperias, qui existiment se non delinquere, cum proximorum mala, quæ vera sunt, ac probari possunt, alijs enarrant, manifestantque. Verum præterquam quod tales sibi ipsis misere imponunt, etiam ad proximorum resarciendam famam obligantur, dum occulta eorum peccata alijs reuelant, quantumcunque etiam illa vera sint.

Discordia præter fidem fit dupliciter

1. Detractione.

Ad quid obligentur hi.

2. Susurrones

Secundo, susurrones, qui ideo aliorum disseminant propalantq; mala, vt discordiam inter amicos generent. Hi namq; *bilingues*, in sacrarum literarum eloquio nominantur: quod binas habêtes linguas, aliter de præsentibus, aliter in absentibus loquantur. Immò apud Ecclesiasticum, tales dicuntur *tertiam* in ore habere *linguam*, q; inter duas partes rixas cõcitent: quibus & scriptura ideo male precatur, dicens; *susurro*,

& bilin-

& bilinguis maledictus: Multos etenim turbauit, pacem habentes. Et alibi: os bilingue detestor. Et Beatus Paulus: susurrones, inquit, & detractores Deo sunt odibiles. Vnde septimum quod apud Salomonem odit Dominus, est susurro, qui seminat inter fratres discordiam. Optimum namque quod homini in hac mortali vita euenire potest, est pax & concordia, qua sibi mutuo homines conciliantur. Vnde amico fideli nulla sit comparatio, dignus est omni pœna, qui tam vtile ac necessarium bonum impedit. Eccl. 28.16 Prou. 8.13. Rom. 1.19. Pro. 6.19. Eccl. 6.15.

Secundo, adimitur aut minuitur alicui fama, cum in præsentia aliorum dehonestatur: quod fit *in primis* dum aliquem calumniando vituperamus; siue vera illa sint quę obijcimus, siue falsa, modo occulta. Vocatur autem hoc, contumelia, estque vel veniale, vel mortale peccatum, prout est res illa, quam obijcimus. Nota Discordię modos diuersos 1. Calumnia

Secundo, per conuitium, cũ naturales alicui defectus obijcimus, vel accidentales: obiectando illos esse luscos, surdastres, balbos, aut impeditioris linguæ, &c. De his Christus, *qui dixerit*, inquit, *fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Vnde & Helisæus quadraginta duobus pueris, vocitantibus eum caluum, male precatus est; qui ideo duorum laniatu vrsorum discerpti, misere interierunt. 2. Conuitiũ Mat. 5. 22. 4. Reg. 2.

Tertio, per improperium, dum alicui exprobramus beneficium, quod aliquando ipsi præstitimus, dicendo: si tibi non tulissem opem, fame haud dubio expirasses. Vel si amici mei tales & tales, auxiliatrices tibi non porrexissent manus, credo quod vermes te deuorasset. Hoc autem improperij peccatum, est maius minusve, secundum damnum aut ignominiam, quam proximo inferimus. 3. Improperium.

Quarto, per ludibrium, quando quempiam volumus dehonestare sannis & iocis; ridendo eius mores aut defectus: sicque illum quasi silicernium aliquod aut monstrum, subsannando. Veluti quando quis rem aliquam inhonestam, despectatæ probitatis matrona referens, cachinnum extollit; indicare volens, illam quasi vile scortum, omni irrisione dignam. Quod cum viris pijs ac Deum timentibus fit, grauius est peccatum. De quo & Beatus Iob conqueritur, dicens; 4. Ludibriũ.

dicens; *deridetur iusti simplicitas.* Contingit autem hoc tam verbis, quam operibus. Quemadmodum Iudæi isti subsannatores, Christo in cruce pendenti insultabant, mouentes capita sua, ac dicentes: *Alios saluos facit, se ipsum non potest saluare.* Hoc pacto interdum castissimæ vitæ ridentur sacerdotes ab improbis hominibus; qui annulos, quibus fores ædium pulsamus, panniculo aliquo obuoluunt ac si illic fœmina esset puerpera.

Iob 12. 4.

Matt. 27. 42.

Cõcordiæ fructus.

Quinto, per maledictionem, dum alicuius sospitatem male precando imminuimus, lædimusve; optando illi ægritudinem, pauperiem, ac mortem. Et hæc quidẽ peccata omnia, plurimum Reipublicæ nocent, adeo vt vnicuiq; magnopere deuitanda sint, ceu infernales linguæ, quas ex inferno adductas diabolus hominibus adspiret.

Disce *Quarto*, maximas vtilitates, quas concordia in rempublicam importat maxime, si ex Dei amore oriatur. Hoc autem licet colligere ex bonis illis seu commodis, quæ corpori ex membris bene sanis contingunt. Sicuti namque corpus languet, & perit, cum membra, aut interni humores male dispositi, sibi ipsis aduersantur: ita & validum vegetumque efficitur, quando membra omnia rite suo funguntur officio: non est enim vllus humor, vel membrum vllum in humano corpore, quin peculiarem habeat in corpore conseruando functionem: quemadmodum nemo est, qui non in republica aliqua, aliquod à Deo accepit donum, quod in proximorum eroget emolumentum.

1. Effectus

Itaque per hanc concordiam *in primis* impeditur malum. Nullus etenim alteri nocumentum infert, sicuti membrum vnum alteri non officit, *charitas* namque, vti testatur Paulus, *non cogitat malum*: vnde nemo illic furatur, nemo prælia-tur, nemo proximo obloquitur.

1. Cor. 13.

2.

Secundo, Respublica prospero rerum temporalium successu proficit, cum ciues sunt concordes mutuo se iuuant, ac publicæ vtilitati plusquam priuatæ inuigilant. Iuxta quod idem Paulus alibi monet, dum iubet, vt *nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*; sicuti membra faciunt in corpore.

1. Co. 10. 24

Tertio

Tertio, quod Reſpublica validius hoſtilem queat propulſare incurſum, dum ſe ſe inuicem ciues defendunt, tuenturque. Ita namque Regius Pſaltes de Patrefamilias, concordes habente filios ait, quod *non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Eccleſiaſticus fatetur *amicum fidelem, protectionem* eſſe *fortem*. Vnde ſicuti *funiculus triplex difficile rumpitur*, ita vnanimis haud facile ſuperatur Reſpublica. Sagittam vnam leui momento franges, ſed non ſi aliquot ſimul in vnum ſint faſciculum colligatæ. Itaque cum diuini numinis charitas hanc conciliat animorum concordiam, tunc vere inſuperabilis eſt talis Reſpublica, prout Deus ipſe filijs Iſrael futurum promiſit. 3. *Pſ.* 126. 5. *Eccl.* 6. 4. *Eccl.* 4. 12. *Deut.* 28.

Quarto, magna oritur in Republica lætitia, non quidem ficta aut ſimulata, ſed vera, ac ſincera. Quemadmodum enim rancor & odium triſtitiam pariunt, ita charitas generat lætitiam. Eam ob rem Chriſtus in vltima ſua cœna ſerio admodum Apoſtolos, noſque omnes prolixo ſermone admonuit vt fraternæ inuigilantes charitati, *pleno* perfectoq; frueremur gaudio. 4. *Ioa.* 16. 24.

Quinto, Rempublicam figuram eſſe, immo initium regni cœleſtis, vbi perfecta regnat concordia. Vbi Deus eſt omnibus omnia, & ſancti ſimul in Deo, ad inſtar multorum carbonum, vno igne pariter ardentium. 5.

CHRISTVS ergo vult, vt pro viribus ſtudeamus in hac vita concordiæ. Ad hoc *in primis* ſuam nobis miſit doctrinam, vt per vnius fidei concordiam, noſter quoque intellectus vniretur. Quatuor adminicula ad cõcordiã.

Secundo, ſuam nobis donat charitatem, qua voluntates noſtræ conglutinentur. 1. 2.

Tertio, diuinæ gratiæ ſuæ claritatem nobis infundit, vt animæ noſtræ hac vnanimiter illuſtratæ, vnius efficerentur voluntatis; ſicuti in denſa aliqua face complura ellychnia, vnam efficiunt flammam. 3.

Quarto, mirabiliter noſtra vnit corpora, ſuppeditans nobis veriſſimum ſacroſancti corporis ſui cibum; vt per illud quod in quolibet noſtrum eſt, etiam vnum idemque corpus efficeremur: *Quoniam*, Paulo, teſtante, *vnus panis, vnum corpus multi* 4. 1. Co. 10.

multi sumus, omnes qui de vno pane participamus. Hæc autem commoda diabolus nobis inuidet: qui omni conatu animorum dissensiones excitare studet. Initigat nos ad lethale peccatum, per quod diuinus expellitur amor, contentiones suscitat, seditiones pugnas, rixas, bella, & id genus alia. Quin & sciens ex vita, malè acta intellectum obtenebrari seducique, diuersa hæresum producit monstra, fideique errores. Vnde similes esse deberemus peritis chyrurgis, qui putrida resecant membra, ne aliis queant officere; licet etsam magno cum corporis dolore fiat: quippe cum satius sit vitam sine aliquibus membris conseruare, quam totaliter illa priuari.

Pacifici colendi.

Disce *Quinto*, quod quemadmodum discordiarum seminatores odiendi fugiendique sunt, ita pacis componendæ studiosos amandos retinendosque esse. De his namque Saluator noster; *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ideo in mundum venit Deus, vt pacem concordiamq; nobis conciliaret, quam & cœlestes illę angelicorum spirituum

Matt. 5.

Luc. 2.

cateruæ, in ipsius natiuitate annuntiarunt, & ipsemet post resurrectionem suam rediuiuus Apostolis attulit. Eam ob rem pacifici meritò vocantur *filij Dei*, sequentes Christum, Deum ac patrem suum. Quin & semper viri vitæ sanctimonia celebres, conseruandæ conciliandæque paci studuerunt, & maxime, vt rempublicam, ipsamque adeo sanctam Ecclesiam in vnitate spiritus conseruarent.

Luc. 24.

Hac de caussa Sancti Patres plurimos conscripserunt libros, & Episcopi varia celebrarunt Concilia, canonesque sacros, ad hanc rem conducentes, ediderunt. Itaque & tu pacificus esto, daque operam, vt si quæ videas discordiæ exoriri semina, mox ea in radice conteras enecesque. Sequere laudabile illud exemplum discipuli cuiusdam Anachoretæ, in Scythiæ eremo commorantis, de quo in Sanctorum Patrum vitis, talis narratur historia. Quod cuidam alteri eremitæ aliunde aduentanti, & commorandi illic domicilium non habenti, cellulam aliquam designauerit, quam eo vsque occuparet, donec aliam inueniret commodiorem.

In vita PP. p. 2. de pati & hom. §. 25.

Hic

Hic autem peregrinus hospes, cum insignem haberet gratiam alios sua spiritali instructione ædificandi, accidit, vt à varijs istius eremi incolis visitaretur. Quod cum ægre ferret is, qui ei cellam hanc cesserat, cœpit liuoris æstuare zelo, eo quod tantopere, locum hunc incoluisset, & à nemine, nisi forte rarissime inuiseretur, hic autem à pluribus.

Vnde discipulum suum ad eum mittens, nuntiauit ei, vt cellam suam sibi restitueret, qua iam nunc haberet opus. Verum discipulus sciens magistrum suum ex animi passione hæc iubere, iuit quidem, sed blande admodum hominem est allocutus, dicens: Mandauit mihi Magister meus, vt te inuisens, viderem; quid rerum agas, & quo pacto valeas; intellexit enim te ægritudine aliqua correptum. Cui ille: gratias illi magnas habeo pro humanitate sua, oret quæso pro me, quia ex pectore nonnihil langueo. Hoc accepto responso, discipulus ad suum remeauit Magistrum, dicens inquilinum hunc rogare, vt duorum dierum ei inducias concedat; quo possit se ad emigrandum præparare. Elapso triduo misit denuò nuntiatum vt vel citissimè discederet, vel se cum fuste adfuturum, vique eum expulsurum. Paruit eundo discipulus, & veniens dixit, Magistrum suum valde sollicitum esse, ne quid ista aduersa valetudo ei conciliet nocumenti; vnde denuntiari sibi velle, an non meliusculè iam habeat. Ad quem denuo ille: gratias, inquit, ago Deo meo, quod vestris adiutus orationibus nonnihil cœperim conualescere. Itaque discipulus ad Magistrum reuersus, dixit, Monachum hunc esse quidem paratum emigrare, verum rogare humiliter, vt vsque ad proximum diem Dominicum adhuc patientiam habeat. Quo præterlapso, cum necdum emigraret, venit animo commotus, & manu fuste armatus, vt vi hominem eijceret. Quod cernens discipulus, ait Magistro, se bona cum venia præcessurum, visurumque, num etiam visitantium aliquis ipsi adsit, qui ex tragico hoc spectaculo scandalizari forsitan queat. Vnde veniens ad

cellu-

cellulam, ecce, inquit, Magiſter meus magno tui amore ipſemet venit te inuiſum, vnde humanitatis ergo prodito ipſi obuiam, eique gratias agito. Acquieuit placide, venienſque in occurſum, procidit in terram, dicens: Retribuat tibi Dominus, chariſſime pater, bona æterna pro cellula tua, quam mihi propter nomen illius præſtitiſti: & in cœleſti Hieruſalem inter ſanctos ſuos CHRISTVS Dominus tibi præparet manſionem. Hæc audiens ſenior, compunctus eſt corde, & proiecto à ſe baculo, ruit in amplexus, oſculans eum identidem, atque ad cibi potuſque ſumptionem familiariter inuitans. Vocauit autem ad ſe diſcipulum ſuum, eumque interrogauit, num verba ſua eodem, quo ipſe iuſſerat modo, protuliſſet. Cui ille; ob reuerentiam, ait, quam tibi Magiſtro meo debeo, non fui auſus tam crudè ea proferre, ſed prout putaui tuæ & charitati & honeſtati conuenire, ſic paululum ea immutaui. Quod audiens ſenior, ſtatim proſtrauit ſe ad pedes diſcipuli: Ex hodierna die tu meus eris Magiſter, egoque tuus diſcipulus: quippe qui me prudenti tua diſcretione, ex tantis peccatorum periculis eripuiſti.

VII. Argumẽtũ Chriſti.

Si autem & Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis me in Belzebub eijcere dæmonia. Chriſtus hoc in loco eiuſcemodi format argumentum.

Omnes qui ſe inuicem odio proſequuntur, ac ſe mutuo vi expellunt, ſtudent regnum ſuum diſſipare.

Dæmones autem non ſtudent regnum ſuum diſſipare.

Ergo dæmones ſe mutuo odio non proſequuntur, neque vi expellunt.

In quoto modo & figura.

Eſt autem Syllogiſmus in Cameſtres, in ſecunda figura vti Logici vocant. Cuius maior propoſitio nititur communi huic axiomati: *Omne regnum in ſe diuiſum, deſolabitur*: Minor autem patet ab experientia, quippe cum, omnibus hoc dæmonibus curæ ſit, vt non ſolum ſuum conſeruent regnum, verum etiam auxius illud ſtabiliuſque efficiant, ſubijciendo omnes

mortales

mortales suæ (si possint) ditioni. Quantum vero ad primã Propositionem, nota *imprimis* in dæmonum caterua quosdã esse, qui tanquam primates rerum potiantur, nullos autem subditorum gerere vices, prout superius à nobis probatum. vnde qui præsunt, possunt authoritate sua imperare alijs, eosque compellere, vt non solum ex obsessis emigrent corporibus, verum etiam ex aere quem occupant, in tartaream relegentur abyssum, quod etsi fortassis in pœnam minorum dæmonum, qui ex sententia suorum principum non sat cõmisere flagitiorum, cum contingeret; non tamen huic id repugnat Propositioni: quæ non loquitur de tali eiectione, verum de violenta dæmonum expulsione, qui sibi mutuo subiecti nõ sunt: quemadmodũ Pharisæi putabant dicentes, Christum Iudaicæ Regionis dæmones, in virtute Beelzebub qui Accaronitis, (Philisthæorum oppido commorantibus) principabatur, eijcere: ac si Philisthæorum, pro viribus Iudæorum studeret dæmones profligare. Quod haud dubio magnam conciliaret regno diaboli stragem, ac subuersionẽ; non minus, quam si duæ vnius regionis vrbes, sese mutuo oppugnent; sicque toti Prouinciæ cladem ingentem inferant. Considera *Secundò*, etsi violenta hæc minorum dæmonum expulsio, à superioribus possit contingere, non tamen ideo fieri, quia dæmones minus oderint homines, eisq; minus cupiant inferre nocumenti, quam sibimetipsis. Nam dæmonum Princeps, non ideo subditorum quempiam ex obsessis corporibus eijciet, vt eum puniat sicque hominem liberet. Quemadmodum nec Capitaneus quispiam sumet vltionem de gregario milite, custodiente munitionem aliquã, vt illa suo priuetur præsidio: verum alio id tẽpore, alioque modo faciet; vel si illũ inde auferat, alios in eius substituet locum. Similiter faceret & diabolus, immittens nimirum homini alium è cohorte sua, eumque potius malitia nequiorem, quam remissiorem. Verum quos CHRISTVS à diabolica semel eripuerat tyrannide, illi immunes deinde liberique ab omni dæmonum inuasione permanebant: vnde haud quaquam illos maioris alicuius dæmonis virtute abigebat.

Maior habet tria notanda.

1. Dæmonum ordo

2 Quomodo dæmones se expellant.

3. CONSIDERA *Tertiò*, nullo vnquam tempore ab infidelibus eiectos dæmones, quemadmodum ex Apoſtolorum Actis liquido comprobatur, exemplo ſeptem filiorum Sceuæ, Iudæorum Principis; qui cum adiurasſent dæmonem per IESVM *quem* PAVLVS *prædicabat*, ita truculento inſultu eos inuaſit, vt nudi & vulneribus ſaucij inde profugerint. Fridericus Staphylinus ſcribit puellam quandam obmobedientiam ſuam, à matre diris deuotam, à dæmone fuiſſe inuaſam, atque anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto è Miſnia VVitenbergam ad Lutherum, ceu reformatorem religionis Chriſtianæ, ea ſpe adductam, vt dæmonem inde eijceret; qui iuſſit eam in ſacrarium paróchialis Eccleſiæ introduci, præſentibus nonnullis ſuæ farinæ hominibus: quos inter tum etiam Staphylus erat. Ibi vero cum exorciſmis dæmonem vrgere inciperet, in tantas coniectus eſt anguſtias, vt veloci fuga ſe inde præcipitare vellet. At dæmon ita oſtium obſtruxerat, vt neque foris, neque intus reſerari potuerit; in maiores illum miſerias adduxit, iamque per feneſtras erumpere conabatur, ſed conatus eius cancelli ferrei retardabant. Denique ſecuri ferrea per cancellos immiſſa Staphylus oſtium perfregit, vt Magiſtro ſuo Luthero exitium patefaceret. Cuius rei ratio non ſolum eſt diuina permiſſio, qua DEVS permittere non vult, vt infidelitas per dæmonum eiectionem conſtabiliatur, quæ fidelibus in ſignum Catholicæ religionis à CHRISTO adſignata eſt. verum etiam dæmonum ſuperbia, qui ab infidelibus, hæreticiſue, vt potè ſubditis ſuis, ſibi nullatenus imperari volunt: quippe cum ipſorum veraciſſima ſint mancipia. Vnde nequiter admodum mentiuntur Eraſmus Albertus, & Spangenbergius, Lutheranæ farinæ hæretici, dum ſcribunt Lutherum ſæpius dæmones ex obſeſſis corporibus eieciſſe. Quemadmodum commentitium quoque omnino eſt, quod Philoſtratus de Apollonio Thyanæo, qui anno Domini ſexageſimo octauo ſuis præſtigijs Aſiam dementauit, commemorat; quod nimirum ex adoleſcente quodam dæmonem expulerit: Magi namque ſi diabolum velint eijcere,

An ab infidelibus electi dæmones? *Act.* 19. 14.

In reſp. cõtra Smidel Naſus cẽt. 1. mend. 15. & cent. 2. mend. 9.

Lutherus exorciſta.

Ratio huius facti.

Hæretici mendaces

Philoſtr. in vita Apol. Volat. l. 13.

cere, nullatenus pro authoritate, vt diſcedant, imperant, ſed precibus obſecrant: Quemadmodum ex Iaponicis conſtat literis de Bonziis, idolorum apud Indos Sacerdotibus. Diabolus etenim nunquam deſiſtet à malo, quin ſuo cum lucro melius quid acquirat. Eam ob rem cum incantatores magique alio cupiunt ſecedere, poteſtatem ei faciunt alterius alicuius rei, vel ſe ipſos etiam inuadendi: obligantes animas ſuas arctiori aliquo vinculo quo tenacius diaboli obſtringantur obſequio.

Ad ſecundam verò, quod attinet propoſitionem, certum eſt omnes malignos ſpiritus ad hoc pro viribus elaborare, vt regnum ſuum, q̃ in hoc mundo habent, augeant ſtabiliantque: vt eo plures ſecum ad infernum pertrahant, eoſque illic in æuum ſub ſua tyrannide retineant, prout ſapiens teſtatur. Ad hoc namque inter ſe quam accuratiſſime conueniunt, idque humani generis odio, licet aliis in rebus omnibus à ſe mutuo acriter diſſideant: adeo vt nullus alium diligat, nullus pacem cum proximo habeat, nulluſque alterius miſereſcat: quin potius fatali ſeſe inuicem odio proſequuntur, optantes ſibi mutuo maiores pœnas, quam ipſemet ſuſtineat. Vnde diſce hic *inprimis*, periculoſiſſimum vitæ noſtræ ſtatum quippe, qui ab omni malignorum ſpirituum genere coniũctis viribus impugnamur: Itaque qui fieri poteſt ô anima, vt in vtramque dormias aurem, cui cum tam multis aduerſariis quotidie decertandum confligendumque? Diſce *ſecundò*, ineffabiles damnatorum cruciatus, quibus in perpetuis illis flammis ab hoſtibus tam multiplicibus, tam potentibus, tã inuidis, tam malitioſis nunc excarnificantur, & poſt vniuerſale iudicium adhuc multo atrocius excarnificentur: quando nimirum etiam ipſum corpus eadem ſuſtinebit tormenta ab his crudeliſſimis tortoribus, qui nullo ſeſe in omnem æternitatem alio occupaturi ſunt negotio, quam vt damnatorum aſſiduo vacent cruciatu. Itaque iam nunc obſecro, horum dum adhuc poteſtis conſortium fugite: Poſtea enim nemo eos effugiet. Diſce *tertio*, quam varios, quamque ſubtiles aſtus excogitent, vt ſuum conſeruent, amplificentque regnum. Vtuntur adhoc rerum mun-

Minor argumenti explicatur.

Tria notanda.

I. Periculũ vitę noſtrę

2. Cruciatus damnatorum.

3. Dæmonis aſtus.

mundanarum oblectatione, paſſionum noſtrarum affectione excitant aduerſus nos homines prauos, qui honore, vel dedecore ad malum nos incitent, inclinationes noſtras commouent: & non ſolum varia peccatorum genera vnicuique pro ſuo affectu ingerunt, verum etiam diuerſos hæreſum errores quibus adhæreſcamus oculis obijciunt.

Status diuerſi in Eccleſia.

Sicuti namque CHRISTVS in Eccleſia ſua ſancta diuerſos approbatæ vitæ ſtatus, tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares, quibus quiſque pro ſuo arbitratu ſeſe iungeret, inſtruit: vt eo commodius quietiuſque diuino vacaret ſeruitio, quippe cum hi omnes viuendi ſtatus concorditer vnam eandemque profiteantur Catholicæ Romanæque Eccleſiæ fidem, ſub vno ſupremo Chriſti in terris Vicario (ſic namque videmus varias familias vna in vrbe pacifice, ſub vno Principe degere) militantes, eademque & Sacramenta & præcepta obſeruantes, &c. ita diabolus quoque in hoc Babylonico ſuo regno, diuerſa habet hæreſum portenta, nempe Arrianam, Macedonianam, Neſtorianam, VVicleffetanam, Huſſitanam, Lutheranam, Svvinglianam, Caluinianam, Anabaptiſticam, Machiauellicam, Politicam, aliaſque id generis ſexcentas, in præcipuis fidei negotijs diſcrepantes, ac ſeſe mutuo execrantes, quæ tamen coniuncta capita habent, vt ſanctam orthodoxam perſequantur Eccleſiam: in quam tanto flagrant odio, vt malint omnes ſimul diuerſiſſimas ſectas, in vna ſecum commorari vrbe, quam vt vllum Catholicæ religionis illic ſinant publicum haberi exercitium.

Diabolus huius diuerſitatis malus imitator.

Quemadmodum dæmones ſeſe mutuo libentius ferunt, quam homines, quos ineffabili proſequuntur odio. Atque hinc inde, cur hæreſes omnes, ac ſectæ mox vbi exortæ ſunt, in tam multiplices diſcrepanteſque diſſectæ ſint partes, nempe per diaboli aſturiam: qui ſciens non omnium palato vnum eundemque ſapere errorem, varia excogitauit hæreſum genera, vt in tanta errorum diuerſitate, quiſque quod ſibi melius arridet, pro ſuo arbitratu eligeret. Idque diuina prouidentia ideo fieri patienter ſinit, vt qui prudentioris

tioris ingenij ſunt, videntes hanc phanaticorum hominum mirabilem inſtabilitatem, ac multiplicem hæreſim, eas tanquam nouitia commenta, ac inſanias falſas deteſtantes, eo ſolidius firmiuſque veteri orthodoxæ fidei adhęreſcant. Lege quid de hac re veteres illi Catholicæ religionis propugnatores, litteris commendarint, nempe IRENÆVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, BERNARDVS, &c.

Ire. l. cõtra hæret c. 8. Ambr. l. de fide. c. 4. Aug. 18. Ciu. c. 51. Ber. ſer. 65. in Cant. Imperf hõ. 20. Niceph. l. 10 c. 36.

Quantum vero ad concluſionem attinet, quæ neceſſario ex duabus præcedentibus propoſitionibus infertur, nempe quod dæmones ſeſe mutuo non eijciant, odioue proſequãtur. *Inprimis*, diſce Catholicam Romanam Eccleſiam non eſſe diabolicum, aut Babylonicum regnum, prout hæretici maximè qui poſt octingenteſimum, aut nongenteſimum exſtitere annum, ſacrilege effutiunt: quippe cum interim hæreſes omnes, quæ etiamnum à noſtris hæreticis pro talibus habentur, damnauerit, excommunicauerit, profligauerit; nempe Albigenſem, VValdenſem, VVicleffenſem, &c. quod ſane nihil aliud eſt, quam eijcere dæmones. Et tamen nihilominus florens vigensque ſarta tecta, in hodiernum etiam diem permanet, quod vtique non fieret, ſi diabolicę virtutis potentia omnes hoſce dæmones, id eſt hæreſes, oppugnaſſet, expugnaſſetque. Diſce *Secundo*, cur hæretici nullas conuertant gentes natione barbaras, ſed potius Catholicorũ ditiones ſubuertant, peruertantque; nempe quod ipſorũ, quam prædicant doctrina, diabolica omnino ſit, cui Gentilium Dij nullatenus velint credere. Itaque hæreticorum dæmones veniunt oppugnatum Catholicos, vt veram fidem in perfidiam conuertant. Diſce *Tertiò*, res illas per quas diabolicarũ tentationum vexationes, immo dæmones ipſi profligantur, non repudiandas, vti malas, ſed tanquam diuinas in pretio habendas: vti ſunt imprimis ſignaculum Sanctorum Sanctæ crucis, reliquiæ ac imagines, aqua luſtralis, orbiculi cerei, quos agnos Dei nominamus, & maxime ſanctiſſima Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta, præcipue autem ſacræ Euchariſtiæ, ac pœnitentiæ. Quotidiana namque docemur experientia, diabolicos ſpiritus minus præualere ad-

Concluſio argumẽti.

Nota primo.

An Eccleſia Romana ſit Babylon.

Nota ſecũdo. Cur hæretici non conuertant Ethnicos.

Nota 3. per quæ profligetur dæmõ.

uerſus illos, qui horum quippiam penes ſe deferunt, aut vſurpant, quodque per fideliſſimos ſuos ſatellites, hoc eſt hæreticos, hæc ſtudeant exſibilare: vt pij Catholici ſannis hiſce & improperijs inducti, ea deponant abiiciantque, ne ipſi dæmones amplius torqueantur, eiicianturque. Verum non eſt cur ipſorum ſacrilegis, vel dicteriis, vel cachinnis mouea־ris: ſed eo frequentius horum Sacramentorum præſidio vtere, rebuſque commemoratis, aduerſus quoſuis dæmonum inſultus, magicaſque incantationes te muni: quippe, quarum vſus non ab heri, aut nudius tertius, ſed ab aliquot centenis retrò annis, prout apud antiquos Patres, Eccleſiaſticarumque rerum fideliſſimos Scriptores, licet legere, in Eccleſia exſtitit.

VIII. 2. arg. Chriſti.

Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt? Hoc ſecundum eſt argumẽtum defenſionis Chriſti, quo probat ſe non Diabolica virtute dæmones eiicere, eſtque tale. Nullam habetis ratione cur plus calumniemini me, qui dæmones eiicio, quam filios veſtros, idem facientes. At vero illos ideo non calumniamini, Ergo nec me. Vnde non ex ignorantia veritatis, ſed ex ſola malitia & inuidia videmini mihi obloqui, cum illud idem, quod in me reprehenditis, in filiis veſtris laudetis: adeo vt potius ex odio mei, quam rei indignatione hęc calumnia proficiscatur.

Filii Iudęorum qui?

Diſputant docti, quinam ſint hi Iudæorum filij, & duæ ſunt opiniones. Quidam intelligunt Exorciſtas gentis Iudaicæ, quorum munus erat dæmones profligere, quales fuerunt ſeptem illi filii Scæuæ principis Sacerdotum, de quibus Lucas in Actis commemorat, qui à Salomone, Ioſepho teſte inſtituti erant: cui diuinitus nonnulli coniurationum modi reuelati erant, quibus dæmones poſſent effugare: adhibitis nimirũ certis quibuſdam radicibus. Alii vero Apoſtolos, diſcipuloſque intelligunt: qui à CHRISTO poteſtatem conſecuti erant, dæmones abigendi quam & executi ſunt, prout alibi dicunt: *Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Hæc etenim dæmonia ipſi profligabant: non quidem in nomine Beelzebub, ſed Chriſti Ieſu: qui tamen ideo à Iudæis

Act. 19. Ioſeph. l. 8. antiq. c. 2.

Ioſeph. l. 7. de bel. c. 25.

Mat. 10. 17

dæis non inculpabantur. Vnde CHRISTVS rectè ratiocinatus, si illi non peccant in eo quod agunt, etiam se non peccare, ideoque reprehendi non debere, sed potius honorari tanquam virtute ac dignitate Beelzebub præstantior.

Quatuor notanda.

CONSIDERABIS hic *primo*, quo pacto prauæ actiones hominum excœcent mentes; adeo vt res, prout in se sunt, cernere ac iudicare non queant. Hi namque pharisæi eandem omninò rem, quam in CHRISTO vituperabant, in alijs laudabant. quod & sæpenumero inter Christianos proh dolor, vsu venit. Quippe *Inprimis* Iudices nonnulla in quibusdam puniunt flagitia, quæ in alijs dissimulant: nam secundum vulgare prouerbium,

1. Peccata excœcãt.

1. Iudicia præposte-ra.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Hinc fit vt maioribus parcentes furibus, in minores desęuiunt, siue amore, aut sanguinis propinquitate, siue munerum perceptione, *quæ excæcant oculos iudicum. Secundo*, nonnulli quædam in suis vituperant inimicis, quæ haudquaquam in proprijs displicent filijs: passione namque amoris & odij, diuersimode de rebus decernunt. Tertio, punimus interdũ quosdam de ijs, quæ nos ipsi perpetramus; Quarto volumus vt alij ob sua puniantur delicta, & ipsimet cupimus esse impunes. Quamobrem, vt bene probeque de singulis iudices, duos hosce serua canones: *Primo* vide, an delictum istud eiusdem censeres ponderis, si ab homine aliquo ignoto, quem nec inordinato amore, nec odio prosequeris, commissum esset. *Deinde*, quo pacto idem istud delictum in amicis tuis, aut propinquis vindicares. Iustus etenim iudex, non potest, nec debet aliud præ oculis habere, quam ipsam iustitiam. Amor autem laudabilius erga peregrinos, ac ignotos exhibetur, quam erga familiares, aut cognatos: sicut odium contra in nos ipsos, ac vitia nostra, vt pote capitales inimicos.

Eccl. 20. 31

2. Præposte-ra iudicia.

Remedia duo.

1.

2.

CONSIDERA *Secundo*, posse nos hoc argumento rectissimè vti aduersus Catholicæ religionis hostes, qui sine vlla ratione miracula, quæ in sancta Ecclesia quotidie contin-

Nota 2. ex. Christi contra hæreticos

gunt, irrident, & tanquam excogitata mendacia, reijciunt: cum diuina potentia etiamnum hoc tempore ad Catholicorum confirmationem, hæreticorumque conuerſionem, non minora poſſit edere miracula, quam fecit olim, cum ſuam hic in terris eorundem virtute plantauit Eccleſiam.

Miraculorũ continua ſeries. *Vide tom. 1 Theſ. Iudoci Coccij pag. 1132.*

Non etenim à Chriſti ætate, centum, aut quinquaginta vnquam tranſierunt anni, quin aliquot eximiæ ſanctitatis exſtiterint viri, qui non ſuam, hoc eſt, noſtram Catholicam fidem, & vitæ ſanctimonia, & miraculorum gloria inſigniter illuſtrauerint, quemadmodum ex Eccleſiaſticarum rerum annalibus, luce meridiana clarius eſt. Quare dic amabo, cur vltimæ ætatis miracula minoris erunt fidei, quam prioris. Quemadmodum enim tunc ſanctorum hominum opera, ægroti ſanabantur, dæmones eijciebantur, mortui ſuſcitabantur, aliaque ſtupenda, ac omnem humanum captum ſuperantia perpetrabantur, ſicuti iſtius ſeculi homines ſcriptis commendarunt: ita poſtmodum quoque his vltimis quingentis annis, quando mundus vniuerſus Romanæ (vti hæretici loquuntur) fidei ſacris eſt initiatus, conſimilia ſunt à Catholicis edita: nempe à S. Romualdo, Camaldulẽſis ordinis initiatore, anno 1020. à Diuo Bernardo, anno 1140. Dominico, & Franciſco anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo. Nec non & paulo poſt ab Anthonio Paduano, ac Petro Martyre: à S. Thoma Aquinate, ac S. Bonauentura, anno 1260. A Nicolao Tollentino, anno 1306. Catharina Senenſi, anno 1370. Vincentio Valentino, anno 1415. Didaco Complutenſi, anno 1460. Franciſco de Paula, Minimorum Fundatore, anno milleſimo quingenteſimo ſext. Franciſco Xauerio, Iaponicæ gentis Apoſtolo, anno Domini 1552. vita functo; Necnon & Sancto Patre noſtro Ignatio Loyola, Societatis Ieſu Patriarcha, qui ex hoc ſæculo migrauit anno Domini 1556. cuius vitæ ſanctitas, quotidianis indies effulget miraculis. Itaque de horum miraculorum, à præfatis ſanctiſſimis viris editorum veritate, mundus ſufficiens præbet teſtimonium: quippe cum diligenti diſcuſſa examine, nihil commentitij habeant: adeo

vt

vt mirum admodum ſit, quid noſtri æui hęreticis in mentem veniat, quod ea plus exſibilent, quã quæ à vetuſtioribus perpetrata ſunt. Niſi quod odium illud Vatinianũ, quo Catholicam perſequuntur Eccleſiam, malè illos faſcinauerit, vt de tam illuſtribus miraculis ſiniſtre cõtumelioſeq; loquantur: more nimirum horum Phariſęorum, Chriſti res præclare geſtas, ex inuidia prauaq;, quã de eo habebant opinione, ſacrilegè blaſphemantium. Multò autẽ foret & ſatius, & ipſorum ſaluti conducibilius, ſi cum Nicodemo dicerent: *Scimus quia à Deo veniſti, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Sic namq; & ipſi meritò deberent ſecum ratiocinari: in Romana Eccleſia multi varia & pręclara edunt miracula: ergo ipſorũ & fides, & conuerſatio longe noſtrã, quę nullis vnquã miraculorum ſignis confirmata fuit, antecellit. *Ioan. 3. 2.*

CONSIDERA tertio, in S. Eccleſia tribus modis dæmonẽ eijci. *Primo*, quidem ad fidei confirmationẽ, de quo Chriſtus in cęlum conſcendens: *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequẽtur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Atq; iſto modo poſſunt etiã mali miracula patrare, prout Chriſtus alibi teſtatur, dum inquit: *multi dicent mihi in illa die* (iudicij) *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Si illos nunquam nouit, ergo etiam tunc cum miracula ederent, reprobi erant. *Secundo*, ad electorum Dei ſanctitatem declarandam, hoc etenim pacto multi tam viri quam fœminæ, vitæ ſanctimonia præſtantes, dæmonia profligarunt. De Simone nãq; Salo, Leontius Cypri Epiſcopus teſtatur, quod eorum qui vexabantur à dęmone miſerias, ita fuerit miſeratus, vt ſe etiam quaſi obſeſſum ſimularet, quo poſſet malignos ſpiritus commodius ex eorum propulſare corporibus, adeo vt quidã dæmoniaci murmurantes, proclamarent: ô violẽte Sale, id eſt ſtulte, totũ mundum irrides, & veniſti, vt nos vexares. Quę quidem expulſio non ſolum ad Sanctorum præſentiam, verum etiam illis abſentibus cõtingit, quando ad eorum tantummodo nomina dæmones rugiunt tremuntq;. In Ægypto multos energumenos ad ſolius Antonij nomen à dæmonibus liberatos refert

Nota 3. dęmonẽ 3. modis eijci.

1. *Mar. 16. 17* *Matt. 7. 22*

2. *Leontius in vita. apud Sur. 1. Iul. c. 40.*

Athan. in vita Antō. Athanasius, & quia dæmones non semper obsident hominum corpora, verumetiam animas ita detinent, vt verā peccatorum contritionem ijs adimant, idcireo nonnulli Sanctorum illa prædíti sunt virtute, vt hosce dæmonis conatus queant impedire. Quemadmodum de S. Catharina Senensi *Apud Sur. 29 April.* eius commemorat confessarius Raymundus, qui etiam ipse postmodum in Sanctorum numerum est relatus. Nam cum Senis duo latrones propter facinorum immanitatem atrociſſimis essent addicti supplicijs, adeo & curribus impositi, ignitis fuscinulis discerperentur, & tamen nullum facerent blasphemandi finē, orabat hæc Sancta virgo sponsum suum, vt spiritu posset horum interesse supplicio, eisque opitulari. Erant autem eo tempore, cum ad supplicium veherentur, apud Alexiam sociam & discipulā suam, cuius ędes miserrimi illi præteribant: vnde prospiciens per feneſtrā, vidit currum cui insidebant, ingenti dæmonū caterua circumquaq; cingi. Ad quorum intuitum Catharina feruentius precibus incubuit, eisq; gratiam omnipotētis Dei obtinuit, adeo vt accersito Sacerdote suorum scelerū enormitatē apud eum in cōfessione deponerent, dignosq; se etiam maiorib. tormentis proclamarent. Quapropter vtile ac bonū est, cum sanctis hominibus libēter cōuersari, vt suis meritis precibusq; ab omni dæmonum tētatione vexationeq;, immunes nos cōseruent.

3. modus. *Tertius* modus fit per authoritatem Ecclesię, quę à Christo Domino abigendorum dęmonum potestatem cōsecuta est: quā exercet per nonnullos suos ministros, quos recepto vocabulo *Exorcistas* seu coniuratores nominamus, idq; ex Apostolorum institutione, quemadmodum eorum contestantur discipuli, nēpe *a* Ignatius, & *b* Clemens Romanus: Hi namq; exorcistæ singulariter, ad hoc ab Episcopo conceptis verbis initiantur, de quibus quartum *c* Carthaginense Concilium, anno Dom. 398. celebratum, ita meminit: Exorcista cum ordinatur accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: *Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.* Ex quibus verbis *in primis* discimus exorcistarum officium esse ordinem sacrum, qui Episcopa-

a Ignat. ep. 9 ad Antio.
b Clem. 3. cōstit. c. 26.
c Cōc. Carthag. c. 7.

Quinque notanda.

1. Exorcistæ qui,

scopalium impositione manuum confertur: de quo Patres Concilij Laodiceni, anno Dom. 364. celebrati sanxerunt, vt nullus exorcizãdi munus exerceat, nisi ad hoc specialiter ab Episcopis consecratus. *Secundo*, oportet in exorcismis certa verborũ vti forma Ecclesię vsu ac prȩcepto instituta, ne quisque suo pro arbitrio nouum sibi exorcizandi modum excogitet. Atq; ea de caussa porrigitur illis libellus, in quo scripti sunt exorcismi, cuius orationes nõ consueto Ecclesiæ more concluduntur. *Per Christum Dominũ nostrũ*, vti aliæ passim oẽs, sed per *eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos*: quippe cũ malignorũm caterua spirituum ad nullam rẽ adeo cõtremiscat, quã ad mẽtionẽ vltimi istius generalis iudicij, post quod ad perpetuos gehennæ carceres in omnem æternitatem cruciandi religabuntur. *Tertio*, quod per hanc ordinationẽ conferatur potestas, dæmones exorcismis adiurandi, abigẽdiq;: de qua D. Cyprian. ita scriptum reliquit: *Etiam hodie geritur*, inquit, *vt per exorcistas voce humana, & potestate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus*. quod & alij vetustissimi Ecclesiæ Doctores passim fatentur. *Quarto*, quod hæ adiurationes seu exorcismi, catechizandis antequã baptismatis initientur sacramento, adhiberi debeant. De quo circa annum Dom. 490. ita olim Gennadius Massilienses Presbyter: *Cũ siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontẽ vitæ adeunt, quã exorcismis & Exsufflationibus clericorum Spiritus ab ijs immundus abigatur*. Atque in hunc modum etiam ante illũ scripserunt peruetusti illi Patres *a* Dionysius Areopagyta, discipulus B. Pauli, *b* Gregorius Nazianzenus, *c* Cyrillus Hierosolymitanus, *d* Chrysostomus, *e* Optatus Mileuitanus, *f* Augustinus, alijq; cõplures: ne fidẽ facile adhibere perfidis nostris hęreticis, hanc tam vetustã, sanctã, Apostolicamq; institutionẽ indocte impieq; blasphemantibus: neq; vllatenus intelligentibus: quo pacto vel S. Mater Ecclesia per cõtinuos mille sexcentos annos Baptismi Sacramentum administrauerit, vel qd virtutis in hac Apostolicę institutionis cæremonia situm sit. *Quinto*, discis hãc adiurandi dæmones potestatẽ Exorcistis cõcessã, vt etiã Christianos queant Exorcisare ac malignos in se Spiritus, si quando ab ijs corporaliter

Cõc. Leod. c. 20.

2. Exorcismi forma.

3. Exorcistarum potestas. *Cypr. l. 4. ep. 7. apud Pam. 77. Tertull. de præscript. c. 41. & Apoc. c. 23. & de cor. mil. c. 11.*

4. Exorcismi baptizandorũ. *a Dio. c. 2. Eccl. hier. b Naz. or. in S. Lauacrum. c Cyrill. cat. 1. d Chry. hõ. de Adam. e Optatus l. 4. f Aug. l. de nupt. c. 20. & l. 2. c. 1.*

5. Exorcisatio post baptismũ.

Cyp. ſ. ep. 77. liter obſeſſi ſint, profligare. *Fit* etenim *nonnunquam*, Cypriano adſtipulante *vt qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, immundo redeunte ſpiritu, denuo quatiantur*: quemadmodū & Chriſtus Dominus in hodierno quoque teſtatur Euangelio.) *Tunc namq; torquentur dæmones ſpiritualibus flagris*, vti prę-

Cyp. ad Demetri. fatus ait Cypianus, *& verborum tormentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur, adeo vt non modo dæmones ſe eſſe confiteantur*, verbis vtor

Lactant. l. 2 c. 16. Lactantij, *ſed etiam nomina ſua edant*. Itaque hinc ingentē Eccleſiæ Catholicæ virtutē potes agnoſcere, vt illius miniſtros, honores, eorumque fidei opera, dum res poſtulabit, vtaris, aſpernatus hæreticorum veſaniam, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum officium ſacrilegè ſubſannantium: idque ob eximiam hanc dæmonum profligandorum, qui eorum ſunt Magiſtri, ac vehementer odere, poteſtatem.

CONSIDERA quarto, quod Chriſtus de diſcipulis ſuis ſermonem inſtituens, nō dicat: *Apoſtoli*, ac *diſcipuli mei*, in qua poteſtate dęmones eijciunt? ſed ſolūmodo: *Filij veſtri in quo*

Apoſtoli cur filij Iudæorū dicti. 1. *eijciunt?* Nominat Apoſtolos ſuos, Iudæorum filios, idque duabus de cauſis. *Primo*, ne Phariſæis, qui huc vſq; Apoſtolos hac de re calumniati non erant, maior daretur blaſphemandi occaſio. Vnde ſi Chriſtus eos iam percunctatus fuiſſet: DISCIPVLI *mei in quo eijciunt*, audito hoc verbo DISCIPVLI MEI, dixiſſent forſitan: & illi eodē modo quo tu, eos eijciunt, ſcil. in principe Beelzebub, prout à te tanquā præceptore ſuo ſunt edocti. *Altera* eſt, vt eos per exemplū diſci-

2. Monet Iudæos Chriſtus. 1. pulorum ſuorum verecunde moneret, idq; duobus modis, *Primo*, per hoc quod in vita exercebant, ac ſi diceret: Filij veſtri veritati inſiſtentes docent vos, quo pacto & ipſi debeatis viuere: quos ſi in virtutum ſemita præcedere recuſatis non pudeat ſaltē vel imitari: immo confundamini potius, quod

Auguſti. 8. Confeſ. c. 8. eos imitemini, prout alibi inquit Auguſtinus, quippe cum ingens ſit dedecus, quod Filij, ſubditi, & idiotæ ſtrenuam virtuti nauent operam: parentibus interim, Superioribus, atq; eruditis, in ſuorum peccatorum fecibus permanentibus. Atque hoc eſt quod omnibus in Magiſtratu, ac dignitate aliqua cōſtitutis, cordi magnopere eſſe deberet, vt in virtutū ſtudio non minores facerent progreſſus, quam ſubditi. *Secundo*, per

2. illa,

illa, quæ post hanc vitam subsequentur: quorum *primum* est, quod boni filij ac subditi parentibus, superioribusq; præferri debeant. Itaque & vos quidem nunc eos præceditis, post huius tamen vitæ decursum, alia erit rerum facies, cũ nouissimi scilicet efficiantur primi, & primi nouissimi. Ah bone Deus, quantam illic sustinebis confusionem, quando famulus cum illo mendico vlceribus pleno, tibi præferetur, te interim vltimum fortassis, ac vilissimum inferni locum cum luxurioso epulone occupante? Neque etenim illic vel luxus tuus, vel fastus te deseret, sed potius indies maius sumet incrementũ, prout Regius Psaltes de diuinæ Maiestatis inimicis testatur, cum ait: *Superbia eorum qũi te oderunt, ascendit semper*: vt scilicet eo maiori torqueantur pœna, quo vehementiori turgent fastu. *Alterum* est, quod hi vestri filij de parẽtum suorum iniqua conuersatione, damnationis sententiam Christo confirmãte, sint laturi: *ideo* enim, inquit, *ipsi iudices vestri erunt*. Quod quidem duobus potest intelligi modis: *primo*, de iudiciaria illa sentẽtia, de qua Dominus Apostolis loquebatur, dicens: vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Quod non solum de Apostolis intelligendum est, verum etiam de his, qui amore Christi omnibus sese rerum mundanarum illecebris abdicarunt, quemadmodum Diuus Augustinus, Cyrillus, Gregorius, Bernardus, Beda, alijque passim exponunt. *Secundo*, de comparationis iudicio, quo damnãtur mali, ratione illorum, qui bene inculpateque vixerunt, vel etiam illorum, qui non tam sceleratam duxerunt vitam, vt ipsi.

Quæ post hanc vitã sequuturа? 1.

Psal. 71.

2. Apostoli iudices. 1.

Aug. ep. 89 q. 4. & 20. Ciu. c. 5. Cyr. in c. 60. Isa. Greg. 26. mor. c. 25. Ber. Ps. 90. Beda. s. de S. Bened.

Discè hinc igitur, quod in vltimo illo generali iudicio, reprobi homines à multis sint damnãdi, iudicandiq;. *Primo*, namq; ab ipso Christo, supremo Iudice, qui de omnibus iudiciariam feret sententiam. *Secundo*, ab Apostolis, bonisque omnibus religiosis, voluntarię paupertatis votum inuiolabiliter obseruantibus. Hi etenim vti assessores ac Scabini consessum illum occupantes, Christi sententiam, antequã proferatur, comprobabunt, prout minores Iudices in subsellijs residentes soliti sunt facere. Quin & præsto hic erunt omnes Sancti Martyres, qui sanguinis sui effusione Christi nomen illu-

2. Mali à quot iudicandi sint? 1. A Christo. 2. A Religiosis.

illustrantur, quemadmodum Ioanni in sua reuelatione ostē-
3. A iustis omnibus. sum fuit, *Tertia*, ab omnib. bonis Christianis. *An nescitis* enim
1. Cor. 6.2. inquit vas electionis, *quoniam Sancti de hoc mūdo iudicabunt?* Illi
namq; etiam Christi sententiam iam promulgatā, suo con-
4. Ab Angelis. sensu approbabunt, & tanquam iuste prolatam, cōmenda-
bunt. *Quarto*, ab Angelis, qui Ioanne testante vnanimi voce
Apoc. 6.7. clamabunt: *Etiam Domine Deus omnipotens vera & iusta iudicia*
tua. *Quinto*, à dānatis, qui nimirum vel minus peccarunt quā
5. A dānatis. alij, vel minores habuerunt cōuersionis occasiones, aut sal-
tem plures rei bene gerendæ significationes ostenderunt. Ita
Matth. 12. namque Christus Iudaicę exprobrans perfidię, aiebat, quod
Niniuitæ ad Ionæ prædicationē conuersi, *& Regina Saba*, Salo-
monē ex longinquis inuisens regionibus, Iudęorum incre-
dulitatem essent condemnaturi, quippe qui suę prędicationi
fidem derogarunt ac conuerti detrectarunt. *Sexto*, à cæteris
6. A dānatis. omnibus damnatis, qui vel scelere pares vel maiores illis ex-
stitere: qui quo acriores sustinent cruciatus, eo iudicant cō-
tubernales complicesq; suos maiora quoque tormentorum
7. A diabolis genera promeruisse. *Septimo*, ab omnibus malignorum Spi-
rituum agminibus, iudicantibus Christi sentētiam nimis cle-
mentē, adeo vt grauiorem damnatis infligere debeat pœnā.
Christus etenim, psalmographo attestante, haudquaquam
condignas de illis, quos gehennę adiudicat, pœnas deposcit:
Psal. 76.10 quippe qui *non continet in ira sua, misericordias suas*. Consi dera
ergo miserabilem damnatorum hominum statum, quo cum
nullus omnino misereturr, sed potius omnes creaturæ vno o-
re clamitant, quod iustissime æternos sustineant cruciatus,
immo quod infra meritum adhuc puniantur, cum Christi
clementia ijs parcat. Itaq; nemo omnium est, qui cupiat eos
ex his eripi tormentis, aut ea vel in minimo remitti. Hęc er-
Prou. 1.21. go, priusquā ad horribilē locum illum tormentorum peruē-
Psal. 51.8. nias frequēs cogita, quo si præcipitat⁹ fueris, profecto Deus
cum omnibus suis Sanctis tibi irridebit & maledicet.

IX. *Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnū*
Dei. allatis iam duabus prægnantib. rationibus, quibus ostē-
dit se non diabolica vti virtute aut obsequio in expellendis
dæmonibus, antequam ad reliquas progrediatur, intendit

prius

prius duo ex præmissis inferre. *Primo* namq; concludit, se diuina potestate dæmones ex obsessis eijcere, quasi si ita ratiocinaretur: Qui malignos Spiritus profligat, is vel diabolica id facit virtute, sicuti vos mihi obijcitis, vel diuina. Atqui ego iã probaui me diabolica id virtute nullatenus facere, ergo sequitur, quod diuini numinis præsidio id faciam. *Alterũ* ex hoc consequitur, nẽpe si diuina virtute id faciam, regnum Dei indubitanter ad vos peruenerit, de quo Ioannes Baptista prædixerat, quod scil. *regnum Dei appropinquauit*. Nam etsi Iudæorum exorcistæ, ante Christi aduentum malignos spiritus ex obsessis corporibus depulerint, non tamen id tã frequenter nec tam efficaciter agebant. Christus autẽ omnes passim quotquot ei offerebantur, eijciebat, nullis ad hoc vtens vel precum exorcismorum ex Salomonis libris petitorum adminiculis, quippe cuius solo imperio abigebantur. Vnde quantumcunq; vel nequitia essent mali, vel numero frequẽtes, vel astu versipelles, ad vnicam tamen Christi vocem cateruatim debuerunt cedere, vti constat ex illo, qui à legione, hoc est à 6666. inuasus, extemplò curatus fuit: nec non & alio quodam adolescente, qui à nequissimo quodam occupato spiritu, quem Apostolorum nemo poterat abigere, cõfestim ad Christi vocem liberatus fuit: adeo vt ipsemet testaretur, istud dæmoniorum genus non nisi per ieiunium & orationẽ eijci: cum tamen Saluator noster sola increpatione, pessimum hunc malignum spiritum abegerit.

Duæ illationes Christi. 1. 2.

Matt. 3. 3. *Act.* 18. 31. *Matt.* 8. 31. *Mar.* 5. 9. *Luc.* 8. 30. *Mat.* 17. 21

Nota hic *in primis*, quanta cum facilitate Christus eijciat dæmones, non vtendo fuste, manuve, quippe qui vnico id facere valet digito: Dauide teste cum dicit cælos esse *opus digitorum Dei*, adeo vt *tribus digitis*, prout Esaias loquitur, *appendat molem vniuersæ terræ*. Noli itaque metuere quando vides Deum tam facile posse opitulari tibi. Nos digitis nostris duobus modis aliquid efficimus. *Primo* ipsorum contactu quando ijs aliquid à nobis protrudimus. *Secundo*, comminando, quemadmodum indicis extensione pueris quietem indicimus. Atque vtroque modo Christus cum dæmone agit, quem virtutis suæ potentia contingit, & sanctissimæ

Notanda quatuor potestas Christi.

Psal. 8. 4. *Isa.* 40. 12.

mę crucis trophęo minitans abigit: Qua vbi frontem tuam consignaueris, mox eum in fugam conuertes, quantumque etiam truculenter te videatur inuadere. Nam de B. Antonio prodit Athanasius, quod solo crucis signo, omnia dęmonũ portenta in effusam fugam compulerit. Insinuatur hoc nobis per Dauidicæ citharæ concentum, quo spiritum illum malum à Saule abegit. Hęc autem cithara, crux Domini est, in qua in modum neruorum, extẽsus fuit. Eam ob rem noli dæmonis insultus expaueſcere, sed citharam hanc pulsa, adorans Deum, vt vires ei suas adimat. Fateor res est ardua diabolum abigere, verum Christo non nisi ludus iocusque.

Athan. in vita

1. Reg. 16. 23

Nota 2. Dei digitus quid? *Mat. 12. 28* Spir. S. digitus Dei ob 10. causas.

NOTA secundo, Matthęum nobis elucidare, quisnam ille Dei digitus sit, dum inquit, *Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmones*: vbi patenter adfirmat Spiritum sanctum à Christo hic per digitum Dei significari, idque ideo *in primis*, quod Ægyptiaci illi incãtatores *a* Ioannes & Mambres (ita namque eos *b* Paulus vocitat) de illo dixerint, digitus Dei est hic. vnde recte insinuare voluit Dominus, sacrilegos hosce Pharisæos obstinatiores, ac nequiores esse magis, incãtatoribusque, qui diuinę virtutis potentiam ex cyniphum productione potuere intelligere, cum interim hi eandem virtutem in eiectione dęmonum agnoscere detrectant. vide ergo & tu, ne his deterior inueniare, qui in rebus notabilibus Dei virtutem haudquaquã agnoscis, persuadens tibi, quod cum propter peccata de te pœnas sumit, naturaliter id fiat.

1. *Exod. 8. 19*

2. *Tim. 3. 8.*

2. Ratio. Conditiones Spir. S.

Secundo nominatur Spiritus S. digitus Dei, vt hinc eius discamus cõditiones: vti enim *in primis* digitus est eiusdem naturę, cuius & totum reliquum corpus, ita quoque Spiritus sanctus cum Patre & Filio, verus est Deus: *Deinde* sicuti digitus ex brachio & corpore dependet, ita & Spiritus S. ex Patre Filioque, qui *brachium Domini* in sacro eloquio vocatur, procedit. *Tertio*, quemadmodum digitus res subtiles eleborat, nempe scribit, sarcit, variaque musicorum instrumẽta pulsat: ita & Spiritus S. dæmones ex humanis eijcit corporibus, & noxias cogitationes, eaque ornamentis subtilium virtutum condecorat. *Quarto*, vti plures sunt ac diuersi in vna manu digiti, ita diuersa sunt, teste Augustino, Spiritus S. dona: qui cũ S. Ecclesiã vniat, est largitor omni-

1.

2.

Isa. 53. 1.

3.

4. *August. in Psal. 43.*

omnium ipsius donorum. *Quinto*, quemadmodum digito Dei in tabulis lapideis Mosaica lex exarata est, & Christus ipse *digito* suo *in terram* scribebat, ita Spiritus S. legē suam humanis inscribit pectoribus, quæ terrena sunt, quando facile eam capiunt: dura autem, cum quæ cœperint, tenaciter obseruant. *Sexto*, sicuti vsitatum nobis est, digito librorum vertere folia, calculos subducere, ac ponere, ita diuinus Spiritus, rebus nostris discretionē largitur, vt quæ agenda sunt, prudēter agamus. *Septimo*, veluti digito inscripta fuerunt parieti tria hæc verba MANE, THECEL, PHARES, continentia nimirum Balthassaris Regis peccata & exitium, sic & Spiritus S. cordibus nostris, nostrorum magnitudinem peccatorum reuelat, proponens nobis simul & pœnas, quas, si non vitam in melius correxerimus, pro ijs subituri sumus. *Octauo*, sicuti digitis muscas abigimus, vulnerumque crusta deterpimus, ita Spiritus S. à nobis malum omne depellit, conseruans nos à peccatis immunes. *Nono*, quemadmodum sine digitis nihil possumus vel apprehendere vel alijs porrigere, ita sine Spiritus S. gratia nullas operari virtutes valemus, aut in ijs vllum facere progressum. *Decimo*, sicuti digito rem aliquam demōstramus, ita Deus Pater per Spiritum suum sanctum, aditum nobis ad regni cælestis patriam commonstrat.

5. *Ioan.* 8. 6.

6.

7. *Greg.* 1. *mor.* c 17. *Dan.* 5. 25

8.

9.

10.

NOTA tertio, tunc regnum Dei ad nos venire, cum dēmō à nobis est profligatus. Deus etenim *Zelotes* cum sit, te sibi solum vendicare cupit, adeo vt non sinat sibi quenquā fore adiungi. Vnde cum Philistęi arcam Dei, Dagonis templo intulissent, ac iuxta Dagon collocassent, ille debuit loco cedere. Itaque si vis vt regnum Dei intra te sit, ingredere domus tuæ penetralia, ac diligēter circumspice, num quid illic forte delitescat, quod diuinę Maiestatis oculis displiceat: nempe bona iniuste parta, personæ parum honestæ, famulæ minus timoratæ, hæreticorum libri, superfluus vestium ornatus, aut simile quid. Deinde conscientiam tuam ingredere, illamque examina, an etiā illic quidquā inuenias, quod non in creatoris tui laudē, ac gloriam conuertas, vt sunt in primis peccata, amor carnalis, aut sensualis, odium, inuidia, auaritia, inordinatæ animi passiones, &c. ijs quę te quamprimum exone-

Nota 3 Regnum Dei quando veni t ad nos *Exod.* 20. 34. 1. *Reg.* 5. 3

Nota 4. Regnum Dei quid? Regnat Deus in mundo vniuerso.

ra, si vis vt regnum Dei in te veniat. NOTA quarto, regnum Dei posse quinque intelligi modis, quemadmodum totidem modis Deus regnat. *in primis* vniuerso imperat orbi, quem & condidit, & secundum voluntatis suæ beneplacitum regit: de quo Psaltes regius cecinit, quod a *in manu eius sunt omnes fines terræ.* Et b *Deus noster in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit.* & alibi, c *regnum tuum*, inquit, *regnum omnium saeculorum.* & Mardochæus d *Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

a *Psal* 94.4.
b *Psal.* 113.13
c *Ps.* 144.13.
d *Esth* 13.9.

2. in pijs.

De hoc autem regno Christus hic non loquitur, quippe, quod & ante ipsius aduentum semper in mundo fuit semperque futurum est. *Secundo* regit homines pios, quorum præcipuam gerit curam, tanquam sibi in omnibus morem gerentium: quos per bonas inspirationes, internamque gratiam, quibus eos ad suum trahit beneplacitum, regit, gubernatque de quo Dauid: *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit.* Ita namque Dauidem: Tobiam, Danielem, Susannam omnesque veteris Testamenti patres, sibi parentes, rexit. De quo tamen regno hic Christi sermo non est, nam & hoc similiter ante eius aduentum extitit. *Tertio*, habet imperium in Sanctam Ecclesiam, quæ maxime *regnum Dei, & regnum cœlorum*, nominatur, prout ex varijs constat Christi parabolis. Atque de hoc regno Christus hic sermonem instituit, vocans seipsum regnum Dei, simul ac omnia Sanctę Ecclesiæ membra: quemadmodum per aulam Regis: ipsum Regem, eiusque familiam intelligimus. Iudæi namque Messiam præstolabantur, qui instar potentissimi alicuius Regis, magna cum gloria aduentaret, eripiens gentem suam, è graui Romanorum, à quibus vi armisque subacti erant, seruitute: Dauidis, Salomonisque temporale regnum, in integrum restituens, ac cum ijs semper manens. Hinc vero erroneæ opinioni Christus hic iam occurrens, respondet, docetque regnum suum haudquaquam, instar aliorum Regum, Imperatorumve, mundanum, aut terrenum, sed potius diuinum. Vnde recte subinfert: *si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.* Hoc est: hinc manifeste colligere potestis, me esse verum illum Messiam, seu Christum, vobis à

3. in Ecclesia.

Greg. hom. 12. in Euã.

De Ecclesia hic sermo in Euang.

Iudæorũ error circa regnum Messiæ.

Vis argumẽti quo vtitur Christus.

Deo

Deo promissum, ad eripiendum vos de manibus inimicorũ vestrorum, quod videatis, me præcipuos vestros, ac capitalissimos hostes, dæmones nempe, à vobis profligare. Hoc nãque facio instar Regis, regnum suum iam possidere incipientis, atque ad illud suos congregantis. Loquitur itaque de S. Ecclesia, in qua iam non solum duodecim Apostolorum, ac septuaginta duorum discipulorum numerus congregatus erat, verum etiam omnes, quotquot ab eis Salutaris vndæ lanacro, quorum profecto ingens erat numerus (illi etenim plures hoc Sacramento, vti scriptura dicit initiabant, quam ipse Ioannes) tincti erant. Est autem hoc Christi regnum externum, cum Ecclesia sit, *visibilis fidelium congregatio, visibiles habet Sacramentorum, Superiorum, Doctorum, cæremoniarumq;, quibus à cæteris congregationibus discernitur ordinationes*: licet interim *regnum hoc non sit*, vti Dominus ad Pilatum aiebat, *de hoc mundo*: cum nõ humanis, sed diuinis institutionibus regatur, nempe per Spiritum sanctum, qui à Christo missus, Doctores sua sapientia erudit Superiores sua gratia adiuuat, cętum fidelium fidei suæ vnitate congregat, Christianos spe sua erigit, omnibusque Deum timentibus sua charitate spiritalem vitam impartitur. Mundi regna ex mundo sui habent principatus initium, nempe, ex superbia, ambitione, fauore, ac hominũ promotione: quorum dominium certis quibusdam (nemo etenim totius mundi est Monarcha) constringitur limitibus. Insuper eorum politia vi & armis propugnari debet, fastuq; ac pompa prorogari: donec tandem, eodem quo cœpit modo, cõcidat. Verum regnum Dei cœlitus venit, quemadmodum B. Ioannes vidit, *ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentẽ de cœlo*. Vnde nec vno aliquo orbis angulo concluditur, sicuti synagoga, de qua Regius Psaltes inquit, quod *notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius*, verum longe, lateque, sese per vniuersi orbis spatium extendit: quemadmodum S. Leo Papa de Christi, in regenda Ecclesia, Vicario testatur: *quod latius præsideat religione diuina, quam dominatione terrena. Quamuis enim*, inquit, *ROMA multis aucta victoriis, ius imperij terra mariq; protulerit, minus tamen est, quod bellicus illi labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit*. Et Prosper Aquitanicus.

Ioan. 3. & 4 Ecclesia qualeregnum.

Ioan. 18. 36 Mundi regna vnde.

Regnum Dei vnde. *Apoc.* 21. 2

Psal. 75.

Leo ser. 1. de SS. Pet. & Paulo.

Prosp. l. de ingrat. c. 1.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Itaque regnum hoc animarum saluandarum gerit curam, vt illas & in hoc mundo ab inuisibilibus defendat hostibus, & postmodum ad regni cęlestis beatitudinem prouehat. Ad quod spiritualium vtitur prędidio armorum, nempe, Cócionum, Sacramentorum, &c. Denique hoc regnum nullo vnquã tempore collabescens, in altera vita perficietur. *Quarto*, Deus regnat in animabus piorum hominum, ac timentium se, quemadmodum Christus aiebat: *Regnum Dei intra nos esse.* Quod quidem tunc fit, quando Christus, & Spiritus S. imo tota Sanctissima Trinitas venit, vt in nobis habitet, quẽadmodum Saluator promisit Apostolis. Facit quippe tunc ex animabus nostris palatium sibi, adducẽs secum aulicos suos, nempe virtutes, de quibus differens B. Paulus: *Nõ est*, inquit, *regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Itaque Deus nunquam solus ad te venit: cum etenim in statu gratiæ es, implet omnes animi vires virtutibus, quib. ad bene operandum animeris, exciterisque. Has autẽ virtutes, scribit B. Bonifacius Moguntinæ sedis Archipræsul, ac Martyr, in die iudicij animæ præsentari ad instar Angelorũ, enarrantium bona quę homo per illas est operatus. Vnde fęlix omnino is, quem Deus cum regno suo inhabitat, cuius anima etsi necdum ad perfectionis apicem peruenerit, indicibili tamen exornata est pulchritudine. Refert Raimundus Capuanus de S. Catharina Senensi, quod viderit animã Palmerinæ cuiusdam, ad purgatorij pœnas tendentẽ, cum eximia quadã claritate, ac singulari elegantia, adeo vt Christus ipse ad sponsam suam Catharinam diceret: *Quis non ominem merito perferat laborem, vt possit tantæ pulchritudinis lucrari creaturam?* Orauit autem S. Virgo, vt dignaretur Dominus hanc ei prestare gratiam, vt possit deinceps videre animarum secum cõuersantium elegantiam, vt tanto vehementius ad illarum salutẽ promouendam inflammaretur, quod & obtinuit. Disce ergo hinc, animam à peccatorum maculis, Christi aduẽtum remorantibus, purgare: eamque bonis desiderijs dilatare,

4. In animabus iustorum. *Luc.* 17. 21. *Ioan.* 14. 23 *Rom.* 14. 17

S. Bonif. ep. 47. ad Eadburgam. Animæ bonę splẽdor. *Apud Sur. 29. Apr.*

tare,& virtutum operibus exornare. Deus etenim,qui eam inhabitare cupit,magnus est: vnde aduenies eam implebit, ac gratiæ suæ donis ditabit. De hoc eodem regno licebit etiam hæc Christi verba intelligere, *peruenit in vos regnum Dei.* Nam etsi veteris testamenti patres regnum Dei intra se habuerint, non tamen in eorum cordibus tam plene perfecteque id fuit, sicuti nunc in Christianorum, qui diuinæ gratiæ vbertatem largius percepere. *Quinto*, Deus in cœlis regnat in Sanctis suis qui per omnia faciunt voluntatem eius,vbi & Deus *omnia est in omnibus*, & Sancti cum Christo in æuum regnant. *Regnum* hoc,*regnum* est *omnium sæculorum*, ac summum fœlicissimumque,licet necdum plene,planeque perfectum: tum, quod multi in terris adhuc incolæ istic desiderentur, tum, quod plurimi sese etiamnum Regi illius opponãt, tum etiam,quod beatorum animæ necdum suis vestitæ sunt(hoc autem auide adfectant)corporibus.Post vniuersale aurẽ iudicium perficietur, cum prædestinatorum corpora, & animæ illic sedes, locaque omnia implebunt: hostes autem diuinæ maiestatis ad perpetuas gehennæ flammas,sine vlla spe veniæ,religabuntur. De hoc autem regno, Christus in præsenti nõ loquitur, sed in oratione illa quotidiana, quam nos docuit, dicens: *Adueniat regnum tuum*, hoc est, largire nobis gratiam tuam,qua hic ita viuamus, vt & tecum,& cum Sanctis omnibus,ad cælestis regni gaudia perueniamus.

5. Regnat Deus in beatis. 1. *Cor.* 9. *Apoc.* 30. *Ps.* 144.13.

Matt. 6.10

Cum fortis armatus custodit atrium suum,in pace sunt ea quæ possidet. Incipit hic iam tertium argumentum,quo probat Christus,se nõ diabolicæ,sed diuinę virtutis potentia eijcere dæmones, & quod per consequens ideo regnum Dei ad ipsos venerit. Est autem tale. Ego inuasi regnum,quod diabolus hactenus quiete, pacateq; possedit,nempe, mundum, cuius ille principatum per aliquot annorum millia vi studuit occupare,spoliaq; eripui,subtrahens ei peccatores,eosque frequenti numero cõuertens. Vnde necessario sequitur,me nõ solum ipsi non esse subiectum, aut ipsius virtute aliquid efficere,sed quod viribus longe sim ipso fortior, præstantiorq;. Probatur autem hoc quotidianarum rerum experimento. Quippe cum indies videamus potentem aliquẽ Dominum,

X.

3. Christi argumentum. Deductio argumẽti.

tamdiu tranquille ſuum poſſidere caſtrum, donec ſuperueniat fortior, qui eum vi ſubigat. Quem ſi ſuperatum vinciat, ac armis boniſque ſpoliet, ſignum profecto eſt, quod viribus multo fuerit præſtantior, quam is quem ſuperauit.

Itaq; per hanc propoſitam ſimilitudinem vult nos Chriſtus diaboli opus ac conditionem edocere. Vnde duobus illum deſignat epithetis, ex quibus, cuius ſit cōditionis, agnoſcamus. *Primo*, namque *fortem* eum vocat: de quo B. Hieron. monet, quod nō debeamus eſſe ſecuri, cum aduerſarius noſter diabolus, etiam Chriſti Saluatoris teſtimonio fortis nominetur, à quo tamen victus, ſuperatuſque fuit: Et cui tanquā experto militi, qui virium illius periculum fecit, ac cum eo in arenam deſcendit fides adhiberi debet. Attamen vt probe monet Imperfectus, neq; nimium perrimeſcere debemus, cum fortiorem illo nobis habeamus auxiliatorem, neq; ambigere de inſigni eius fortitudine poſſumus: cum teſtante B. Iob, *Non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei*, adeo vt nullum timeat. Si etenim Lucifer ante lapſum princeps fuit Angelorum (vt nonnulli ex Ezechiele videntur colligere) cum dicit in operimento eius *omnes* fuiſſe *lapides pretioſos*, hoc eſt, nouem Angelorum choros, certe ratione naturalis fortitudinis, erat cæteris potentior; hanc autem nec poſt peccatum perdidit, ſed ſemper retinet. Vnde quicquid alij Angelici Spiritus, (ſiue boni, ſiue mali illi ſint) naturaliter poſſunt, idem poteſt & ille; quin & actu id effiçeret, ſi nō à Deo vetaretur. Cuius virtute niſi comprimeretur, vix mortalium quiſquam inquit Auguſtinus, vitā conſeruaret. Diaboli autem potentia nulli alligata, aut incluſa eſt corpori, veluti vires animæ noſtræ, quæ ad operandum, corporis eget præſidio; neque alligata eſt diſpoſitioni ſiue proſperæ ſiue aduerſæ valetudinis, aut teneræ robuſtæue complexionis, ſed libera penitus ac omnino ſoluta.

Duo epitheta diaboli.

1. *Hieron. in Matth. 12.*

Imp. ho. 19.

Iob. 41. 24.

Ezec. 28. 13 Gregor. 32. mor. c. 25.

Aug. pſ. 96

Diaboli poteſtas.

Itaque poſſunt *primo* res corporales, quantumcunq; magnas loco mouere, quemadmodum in ictu oculi, domum filiorum Iob euerterunt; quæ ex dignitate illorum colligitur, nō exiguum fuiſſe palatium: quippe cum B. Iob, adſtipulante *a* S. Chryſoſtomo, & Rex fuerit, & *b* à Regibus viſitatus.

1. *a Chryſ. in cat. Olymp.* *b Tob. 2. 15.* *vide Pineda in Iob.*

Secunda

Secundo, possunt creaturis nocumentum inferre: quemadmodum horrenda strage Ægyptum, Pharaonis tempore, afflixere, ac fermè attriuere: quæ quidem tempestates, siue *immißiones*, (vti Psalmographus cecinit) factæ sunt per *Angelos malos*. Possunt *tertio* elementa commouere: veluti ignem de cælo deuocare, quo Iobi oues consumpserunt: tempestates ciere, quarum procella ędes primogeniti eiusdem filij diruerunt: nec nō & maria perturbare, quemadmodum tunc fecere, cum Christus in naui dormiret, traiecturus stagnum Genezaret. *Psal.* 77. 49 3. *Iob* 1. *Matth.* 8.

Quarto, creaturas mirabili quadam virtute, celeritate, ac subtilitate immutare: veluti virgas Ægyptiacorum magorum, in serpentes transformarunt, & aquam in sanguinem, crearuntque in momento ranas. Quod autem Cyniphes producere non quiuerint, haudquaquam ex ipsorum venit impotentia, sed ex voluntate Dei, qui eorum naturales constrinxerat vires. 4. *Exo.* 7. & 8 *Augu.* 3. *de Trin.* c. 7 & q. 21. *in Exod.* *Exod.* 8 18.

Quinto possunt interiores nostros sensus quibusdā phantasmatibus, atque insomnijs mirum in modum, inquietare, ac perturbare: adeo vt Diuus Bernardus referat, quendam è suæ familiæ monachis, ita nocturnis, diurnisq; inquietatum fuisse diabolicis phantasmatibus, vt quasi emoti cerebri ab alijs putaretur. 5. *Bern. s.* 2. *in Psal.* 90.

Sexto, similiter possunt passiones, & animi nostri affectiones, inclinationesque pro suo arbitratu, modo in hanc, modo in illam partem deflectere: ideo vt plus ipsi hac in parte valeant, quam vel natura nostra, vel recta ratio, quam oppugnant, ac sæpe etiam expugnant. Exempli gratia: dictat nobis ratio, vt adhæreſcamus fidei, quæ ab annis mille sexcentis, inuiolabiliter in Sancta Romana Ecclesia perseuerans, innumerabilium est miraculorum testimonio comprobata: Venit diabolus, & animi potentias mouet, siue per carnis illecebras, siue per honoris, ambitionisq; cupiditatē, vt homo rectæ reluctans rationi, nouæ religionis dogma suscipiat, excogitatum nimirum ab aliquot sacrilegis, ac fugitiuis monachis, nusquam antea in orbe visum, vel auditum. 6.

Item, docet natura, vt sobrie viuentes, valetudinem corporis conseruemus: & vt parentes filios suos ament: quin imo amor hic, adeò firmiter eorum est insculptus pectoribus, vt in scriptura nullum de eo præceptum sit, & tamen diabolus ad ebrietatem, commessationesque, quibus vires corporis debilitamus abducit, & in veteri Testamento ad id insaniæ genus parentes induxit, vt filios suos Gentilium dijs viuos immolarent, ac flammis concremarent. Quin immo, in tantum olim Circumcellionum dementia hæreticos dementauit, vt seipsos diuerso mortis genere interimerent, cum natura à nulla re tantopere, quam à nece sui abhorreat. Quæ quidem diaboli virtus; eo est potentior, quo homo existit imbecillior, non solum per naturam, sed etiam per peccati lapsum. Adeo vt haudquaquam mirum sit, malos laqueis diaboli, sicut Paulus ait, *captiuos detineri ad ipsius voluntatem*, quibus ad mortem vincti trahuntur, sapiente attestante, *sicuti bos ad victimam*, cum diuinæ gratiæ viribus omnino destituti sint. Quãquã nec diabolus hic ea in peccatores pollet potestate, quam optat quia in terra aliena est, quam gubernat Deus, qui & vires eius constringit. Quare eum in inferno timeas, vbi tyrannidis suæ malitiam, tanquam in regno proprio, plene planeque exerit. Infœlices, qui illic eius subiecti regno, hanc truculentam diabolicæ potestatis vim tam in anima quam corpore perpetuo experientur: quorũ tormenta eo erunt atrociora, quo dæmones multitudine erũt, frequentiores, & nequitia deteriores, in angustis nimirum illis inferni locis, quibus in omnem æternitatem, quasi arctissimo perpetui carceris ergastulo, captiui detinebuntur.

Circũcellionum demens furor.

1 *Tim.* 2. 26.

Prou. 7. 21

Timẽdus diabolus.

Secundum epitheton est, *armatus*: nec enim naturæ viribus solum diabolus *fortis* est, sed & armis, quibus contra nos vtitur: adinstar munitissimi principis, qui insigni armatus panoplia, in aciẽ descendit, tũ, vt aduersarium lædat, tũ, ne ipse lædatur. Sunt autẽ hæc arma triplicia, veluti militum in certamen prodeuntiũ: *inprimis* namq; vtuntur ijs quibus corpus protegunt; nempe lorica, scuto, thorace, gladio, &c. Legim⁹ apud B. Iob de armatura Leuiathan, per quam, Gregorio, alijsque

Diaboli epithetõ. 2.

Triplex armatura.

1. *Iob.* 40. & 41.

alijſque Sanctis Patribus diabolus ſignificatur: qua ad inſtar Goliath munitus fuit, quem tamen Dauid, id eſt Chriſtus profligauit. Inſuper & Ioannes in Apocalypſi meminit igne- 1. Reg. 17.
arum loricarum: ex quibus ſcripturæ locis, ſequentes Patrũ Apoc. 9. 17.
interpretationem, poſſumus aliquatenus ad vtilitatem noſtram, hæc arma inueſtigare, vt & diligentius nobis caueamus, & contrarijs armis muniamus, prout ea Diuus Paulus nobis ſubminiſtrat. *inprimis* ergo diaboli *galea*, qua & Goliath Eph. 6.
vſus fuiſſe legitur; perpetuam eius ſignificat damnationem, Galea diaboli.
ac continuam deſperationem, per quam neminem timet: Sicuti homo, qui de ſua deſperans ſalute, omnia paſſim contẽnit; & ſine freno peccat. In hac vero galea cancelli ſeu feneſtellæ ſunt oculares, per quas dæmonum ſcientia, diuturnaque experientia denotatur, quibus à longe proſpicit, quo ſubtilitatis aſtu hominem ſupplãtare queat, ac ſuperare. Cui
oppone *galeam ſalutis*; nec metue, ſed in ſpe æternæ gloriæ Galea bona opponenda diabolo.
certiſſime confide. Sicuti enim malitioſus de ſua deſperans ſalute, per omne vitiorum genus libere ruit; ita bonus per omnia intrepidus pergit aduerſa; vt in cœleſti patria, placidiſſimum Dei vultum queat contueri, eiuſque iucundiſſima Diuinitate perfrui. Porro aduerſus diaboli ſapientiam, experientiam, ac fallaciam, Dei obijcies ſapientiã, de qua Paulus, inquit, quod *Sathanæ cogitationes non ignoret*. Per illam e- 2. Cor. 2. 11
nim, in diabolicarum aſtutiſſimarum cogitationum cognitionem deuenitur, vt eo rectius queant euitari. Eius *ſcutum* Scutum eius.
eſt infidelitas, ac peccatorũ defenſio: quia cum quis peccati nos arguit, mox diabolus inſpirat, vt nos excuſando defendamus. Quod vbi ægre fieri poſſe conſpicit, ob limpidiſſimam illam veritatis claritatem, quam fides docet, ſtatim incredulitatem, ſeu hæreſin in medium producit, ad peccatorum defenſionem Scripturas explicans. Quemadmodum id clare in noſtri æui hęreticis licet cernere, quinec ieiunijs, nec caſtitatis voto inſiſtentes, commentitijs ſcripturarum expoſitionibus, nequitiæ ſuæ velum oppandunt, Deique verbum adulterant. Itaque pro ſcuto tuo, aſſumes tibi fidem, ac pec- Scutum bonum.
catorum agnitionem: adeo vt cum ab aliquo admonit⁹ fueris, fidem ei habeas, culpam tuam fatearis, ſicque ſuperbiæ

Lorica diaboli tres habens proprietates. *Apoc.* 9.17. 1. 2 3. *Addi potest* 4. 1.*Reg.*17.5

dæmonem repelles. *Lorica* qua munitur, est obstinata ipsius malitia, tres, vti Ioannes in Apocalypsi ait, habens proprietates. Quarum *Prima est*, quod sit *ignea*, candens nimirum infernalis ignis flamma: *deinde* est *hyacinthina*, id est, coloris purpurei, ob incredibilem diaboli fastum, qui semper pro Deo optat coli. *Tertiò*, est *sulphurea*, plena terribili fœtore. *Quarta* conditio denotatur in lorica Goliath, quæ legitur fuisse *hamata*, cum dæmon omni malitiarum genere instructissimus sit. Hac sua lorica peccatores vestire gestit, vt obstinati in peccatis perseuerent. Quæ quidem pertinacia *ignea* in primis est, vt feruenti zelo mala operetur. *Deinde* est *superba*. *Tertio, fœtens* coram Deo & hominibus, quibus summopere displicet. *Quarto*, omne genus peccatorum ad se pertrahit.

Lorica bona. Calceamenta ac tibialia eius. 2.*Cor.* 11. 14. Calceamēta bona *Ephes.* 6.15

Tua vero lorica sit, iustitia, qua & Deo placeas, & proximo non aliter facias, quam tibi fieri velis. *Calceamēta ac tibialia* eius, quibus armatus incedit, est simulata sanctitas; quia vt liberiorem ad nos habeat ingressum, pro *Angelo lucis* se ostentat. Tui autem pedes calceati erunt *in præparationem Euangelij*, hoc est, sincera tui ipsius resignatione qua cupias, quidquid tibi à Deo iniunctum fuerit, adimplere.

Gladius diaboli. *Isa.* 28.15. *Matt.* 4.

Gladius eius, est mendacium, de quo eius satellites, sese apud Esaiam iactitant, dicentes, *posuimus mendacium spem nostram*. Eam ob rem diabolus homines Deum timentes, inprimis per falsas scripturarū expositiones impugnat, quas pro puro, ac puto Dei verbo venditat; sicuti Christo fecit. Deinde per mendaces historias ac confictas fabellas, quibus illorum studet denigrare famam: veluti Arriani de Beato Athanasio nequiter commenti erant, quod mulieri cuidam vim intulisset, Arsenio manum resecuisset, ac magicis incantationibus operam dedisset, &c. Quot autem ac quanta mendacia nostri temporis hæretici de Catholicis, & maxime Iesuitis, tam in Germania, quam Gallia, Hollandia, Anglia, alijsque passim regionibus, cōfinxerint, atque etiamnum confingant, vt eos, vel in exilium agant, vel in odium populi adducant, luce meridiana clarius est.

Gladius bonus Lancea.

Tu autem pro gladio assume *verbum Dei*, quo CHRISTVS Sathanam profligauit, cum tentaretur ab eo. *Lancea eius* est ostium & aperta tentatio, minæque quibus

bus hominem aggreditur. *Ferramentum verò lanceæ*, eſt metus, quem nobis incutit: quo & Apoſtoli tempore paſſionis ſuccubuêre. Vt autem hunc contemnas loco lanceæ, crucis trophæum arripe; quod magna animi deuotione diabolo obijciens, tam ipſum, quam omnem eius metum propulſabis. quotquot fuere ſancti, crucis præſidio aduerſus quoſuis tentationum inſultus ſeſe munierunt. Ferramẽtũ lanceæ. Lanceæ bona.

Secundum genus armorum eſt, ſatellitum multitudo. Cum Princeps magna militum caterua in aciem progreditur, dicitur probe armatus, Totus mundus diabolo, vt S. Ioannes adſerit, militat; quia, *in maligno poſitus*, ei morem gerit. Nõ deſunt hic Chiliarchæ, qui rerum potiuntur; nempe, Principes; qui quia in malum ſubditos præcedunt, nulla eorum puniũt facinora. Sunt & Capitanei, hoc eſt nobiles, qui delitias ſectantur. ſigniferi ſunt, opulenti, ac intimorati mercatores, quorum veſtigijs plebs deinde inſiſtit. Tympanotribæ, qui conſiſtendi, vel in aciem progrediundi ſignũ edũt, improbi concionatores, alijque malitioſi conſiliarij, qui populũ perſuaſionibus ad malũ concitãt, atq; à Deo alienant. Quales ſunt *primo* amici, ac propinqui, de quib⁹ Chriſtus: *Inimici hominis domeſtici eius*: dein mala ſocietas, per quã Petr⁹ in domo Caiphæ grauiter periclitabatur. Multa de his diaboli præſidiarijs ceu mẽbris, per quę validior efficitur, habet S. Gregorius, ad caput quadrageſimum Iob, & ſequens; Vbi de Behemot, & Leuiathã, hoc eſt diabolo, eiuſq; præcipuis membris Deus diſſerens: malos dicit, diaboli organa, ac mẽbra, quia eũ ꝑ capite habẽt, & ad eius nutũ regũtur. Oſſa huius corporis, quib⁹ caro adhæreſcit; ſunt mali Superiores, qui ſubditos in peccato detinẽt: veluti inter hæreticos, Principes politici, qui hæreſes tuẽtur ac propugnãt, Cartilagines, ſunt opitulenti mercatores, qui opificibus laborẽ ſubminiſtrãt, vt eos in hæreſi, aut in alijs peccatis detineant. *Dentes* ſunt prædones, alijque, qui omnia paſſim depopulantur. *Oculi* ſunt conſiliarij, veluti Architophel, & Caiphas. *Os* prædicantes, qui factioſis concionibus incitant populum, de quibus Beatus Ioannes ait, quod *poteſtas equorum, in ore eorum, de quo procedebat ignis, ſulphur, & fumus*: hoc eſt templorũ, monaſte- Secunda dæmonũ armatura. 1. Io. 4. & 5. Mat. 10. 36. In c. 40. & 41. Iob. 2. Reg. 17. Ioann. 11. Apoc. 9. 19. & 17.

nasteriorumque deflagratio, fœtor peccatorum, & ingenij obtenebratio. Tales quoque prædicantes, ob alias rationes, ab Isaia cum diaboli *cauda* comparantur: *Primo*, quod principibus more canum caudas agitantiũ, abblandiãtur. *Secundo*, quod peccatorum sordes adulterinis scripturarum interpretationibus excusent; sicuti cauda posteriorem corporis partem operit. *Tertiò*, quod quæ recta sunt, deprauent; dicẽtes bonum, malum; & malum bonum: vnde Propheta ibidẽ *caudas incuruantes*, eos nominat. *Quartò*, quod sint contemptibiliores, ac posteriores totius corporis partes. Caro populum significat, multitudine quidem excedentem; sed sine ossibus, alijsque membris ex quibus dependet, nihil efficere valentem. *Tertium*, armorum genus, est in rerum nostrarum defectu. Sicuti namque princeps eo est validior, quo aduersarij eius minus sunt instructi: ita diabolus eo vehementius contra nos præualet, quo imbecilliores, & armorum spiritualium præsidio magis destituti sumus. Huc ille summopere intentus, pro viribus adnititur, vt iis nos spoliet, quorum auxilio in hac palæstra defendi possemus.

Isa. 9 15. 19 15.

Cur mali conciona. tores *cau dis* comparentur.

1.

2.

3.

Isa. 19. 15.

4.

Tertia dæmonum armatura.

Sunt autem quinque, quæ hominem reddunt fortiorem. *Imprimis*, bona opera, quibus vitiis reluctamur. Hæc autem nobis diabolus cupit adimere. quemadmodum Philistæi olim cauebant, ne ensis lanceaue inter filios Israel reperiretur, quibus hostium cuneis obuiam irent. *Aduersarius noster*, per inanem metum, à virtutis studio conatur nos retrahere: dissuadet eleemosynas, ne ipsi tãdem penuria periclitemur, suadet non ieiunandum, nec pœnitentia corpus macerandum, ne in ægritudinem incidamus, &c. Ad quod suos quoque adhibet consiliarios, per quos id nobis persuadeat. *Alterum* est oratio; quæ Christo teste multum valet aduersus dæmonem. Huius fructum impedire studet, cum ipsius instinctu, ad exteriora effũdimur, instar Dauidis, qui diabolo suggerente, oculos in Bersabeam libidinis caussa coniecit: vel ita distrahimur, vt in peregrinis cogitationibus, complacentiã habeamus. *Tertium*, gratia Dei, quæ vires nobis, animęq; valetudinem conciliat. Hanc etiam omni conatu dæmon eripere laborat: qnemadmodum Philistæi laborabant, vt scirent,

Quinque reddunt hominem fortiorem aduersus dæmonẽ.

1. *Reg.* 13. 35.

1.

2

Mat. 17. 21

3.

tent, in quo potiſſimum maxima Sampſonis conſiſteret fortitudo ; qua per Dalilam ſpoliare eum cupiebant. Itaque cum hominem ſciat diuinæ gratiæ præſidio inuincibilem in hoc incumbit totus , vt ad aliquod lethale peccatum eum pertrahat. Exemplo crudeliſſimorum primitiuæ Eccleſiæ Tyrannorum, qui videntes nulla tormentorum vi, ſanctiſſimos Chriſti Martyres, ad idololatriam pertrahi, id agebant, vt cœleſti gratia per carnale flagitium ſpoliarentur. Sic de Beata Lucia proditum; quod cum fidei cauſſa in carcerem conie&ta Paſchaſio præſidi reſpondiſſet , *caſte ac piè viuentes, templũ eſſe Spiritus ſancti*, dixit ille: *Iubebo te ergo ad lupanar duci, vt te Spiritus ſanctus deſerat*. Verum illa minis nihil territa, intrepido animo, Martyrium ſubijt. *Quartum* eſt: intellectus, diuinæ claritatis, atq; earũ rerum, quæ ad animæ pertinent ſalutẽ, cognitione illuſtratus. Cũ enim conſideramus, quanta in virtute ſit fœlicitas, quãta in vitijs deformitas, non facilè à dæmone nos ſeduci permittemus. q, quia Sathan non ignorat, intellectui tenebras offundit, per cibi, potuſq; ſuperfluitatem (hæc etenim obtundunt hominem) ſiue per luxuriæ illecebras, quibus ingenium, Gregorio teſte, mirũ in modũ hebetatur, ſiue per aliud aliquod flagitium. Nullum enim eſt quod non aliquam ſaltem mentis offundat caliginem , atq; à Deo aliquatenus alienet. Significatur id per fumum Leuiathan, inſtar fornacis magnæ, aſcendentem ex putei abyſſo, ſolem, & aerem, hoc eſt, doctos pariter, ac indoctos, obſcurantem. *Quintum* eſt alacritas, ac diligens ſui ipſius cuſtodia, qui namque vigilanter circũſpicit, non facile ſupplantabitur. Quinque fatuarum virginum lampades exſtinctæ ſunt, quia ſumere oleum in vaſis ſuis neglexerant. Iſboſeth in lecto poſt meridiẽ quieſcens , à duobus latronũ principibus, Rachab, & Baana miſerè interficitur. Quam periculoſa ſit ſalutis negligẽtia Saluator docet, cum Apoſtolis, adeoq; omnibus iterato inculcat, vt *vigilemus*. Cui ſi in horto acquieſſent diſcipuli, non fugiſſent, nec in paſſione ſcandalizati fuiſſent. Solent plerique in aliq; prolapſi peccatum, infirmitatis titulo, ſeſe excuſare; non conſiderantes , apud iuſtiſſimum Iudicem, nihil hoc profuturum: ſcire debebant , infirmitate

Iudic. 16.

Surius Tõ. 6. die 13. Septemb.

4.

Li. 31. Mor. c. 31.

Iob. 41. 11 Apoc. 9. 2.

5.

Matt. 25. 5.

2. Reg. 4 7.

Mat. 24. 42. & c. 25 13.

Marc. 13. 33. & 37.

mitate ſua dæmonem effici fortiorem, quodque ſufficientiã per Chriſtum Ieſum, Sanctamque Eccleſiam, habeant media, quibus hanc effœminati animi ægritudinem deponant, roburque virile adſumant.

Deſcribũtur 2. Diaboli opera 1.

Simile.

Porro in hac Euangelicæ parabolæ ſententia, duo nobis diaboli opera deſcribuntur. *Primum*. quod cuſtodiat atrium ſuum quidquid ſemel apprehendit; adeo tenaciter retinet, vt nulla humanæ fortitudinis vi, ei queat eripi. Inſtar famelici Leonis, prædam inuadentis, aut felis murem ore venantis quæ ſi eis velis extorquere, mox leo inſiliet in te; aut felis cũ præda effugiet. Eodem modo dæmõ, cum his agit quos poſſidet, quos ſi moneas officij, illicò indignis verbis, miniſque tuo cũ damno impetum in te facient, quemadmodũ Abner, qui increpatus ab Isboſeth, de libidine cum concubina Saul contumeliosè reſpondit, ſollicitauitque populum ad defectionem. Quod ſi hoc nec audeant, nec poſſint, fuga ſe eripiunt, veluti Cain, qui fugit à facie Domini; aut te deuitant, veluti Achab Michæam. Nullus ſtrategus maiori diligentia, aut militari manu, caſtrũ cuſtodit; q̃ diabolus illos quos in ſua habet manu. *Primo*, quanta cum difficultate energumenos deſerit. *Deinde* quam acriter fagas, ac veneficas, quæ ſeſe illi deuouerunt excrucíat, ſi vel minimam faciant eius renũciandi mentionem. *Tum*: quam firmiter hæreticos, qui nulla fidei ſinceritate Chriſto adhærent, ſtrinxit, vt ſæpe facili⁹ ſit, Turcas, & Ethnicos, quam illos conuertere. *Poſtremo*: nonne obſtinati, qui ſcientes ex malitia delinquunt. Sua pertinacia diabolo ſunt ſimiles, cuius & fideliſſimi extant miniſtri, ſelectaque organa? Omni ſtudio ab hac captiuitate caue, ne ſi in eam ſemel incideris, eripi non poſſis.

2. *Reg.* 3. 8.

Gen. 4. 14.

3. *Reg.* 22. 8

Diaboli pertinacia in detinẽdis captiuis.

1.

2.

3.

4.

Duæ rationes firmiſſimæ diabolicæ cuſtodiæ.

1.

Simile.

Diabolus omnia hominis mẽbra obſidet.

Duæ ſunt autem huius cuſtodiæ cauſſę: quarum *prima* eſt, dæmonis vigilantia. Sicuti enim capitaneus qui vrbem inuaſit, omnia loca præſidio munit, ſuoſque milites ſingulorũ ædes occupare iubet, ne quid clandeſtinæ illic foueatur cõſpirationis; ſic & diabolus, ſingulis ſenſibus hominum viribusque peculiares adſignat præſidiarios. Sunt qui oculorum aurium, aliorumque ſenſuum (qui animarum portæ vocantur) ſedulã gerentes curam, ſtudioſè inuigilant, ne quid boni in-

Z BIBLIOTEKI SEMINARIUM SANDOMIERSKIEGO

ni intromittant. Itaque à prædicatione te auferunt: Vel sicut belli tempore vigiles, ad portas peregrinis arma adimunt, ita diabolus id agit, vt sermo Dei non vlterius, quam ad aures perueniat; prouocans hominem ad somnum; vel alijs externis cogitationibus eum distrahens, vel etiam persuadens, ad alios potius, quam ad se, quæ dicuntur, pertinere; vel vt verbis solummodo inhærens, concionatoris facundiam admiretur, eamque prædicet. Interdum quæstionibus dubijs, suspensum tenet animum, vt nullo cum fructu concioni intersint, aut vt hinc, inde oscitabundi circūspiciant, &c. Si quas forte deuotionis causa Christi Saluatoris, aut B. Virginis, aliorumq; Sanctorum imagines intueri velis, conatur id omnino impedire, incitat ad vanas, libidinosasque cogitationes, aut fidei perplexitates ingerit, &c. Sunt præterea quibus cordis demandata est cura, ne peccatorum moueatur cōtritione. Alij os à Dei laude, prece, & cōfessione custodiūt: vt si forte cor per Dei gratiam pœnitudine duceretur, oris cōfessionē impediant. Vnde hominem ad preces inidoneum efficiunt: *quia non est speciosa laus in ore peccatoris.* Nonnulli crumenā obsident, vt ne teruncius quidē inde prodeat, quo de rebus iniustis fiat restitutio. Quidam ianuas occludunt, ne cōcubinis, aut pellicibus, alijsue peccandi occasionibus, egressus pateat. Quorū hi duo postremi, pessimi reuera sunt: quēadmodū exteriorū murorū, portarumque seræ diligentiori cum custodia occluduntur, quam interiorū. Quamquam enim homo interdum habeat peccatorum contritionem, eaque Sacerdoti confiteatur, difficulter tamē ad restitutionem, peccatorumq; euitandam occasionem induci potest. *Eccl. 15. 9.*

Cæterum, non solum vrbes præsidio interius muniri solēt, sed & gētilitiis expugnatorum armis insigniri, vt Dominū oēs videāt. Itaq; habet & in hoc diabolus satellites suos, qui hominū gestus in vestibus, suppellectili, moribus, tam accurate exprimūt, vt eius insignia mox ab aliis possint dignosci, faciunt, vt ambulēt, ac stēt ad formā Babylonicæ meretricis, *circūdatæ purpura ac coccino, inauratæ auro, & lapide pretioso, habēs poculū aureū in manu sua:* & incedāt ad mores filiarū Israel, de quib⁹ Isaias cōqueritur, q *ambulauerint extento collo, & nutibus oculo-* Insignia diaboli. *Apoc. 17. 4.* *Isa. 3. 16.*

oculorum, & greſſu ad ſuperbiam compoſito, ornatæ lunulis, torquibus, monilibus, armillis, mitris, diſcriminalibus, &c. Hæc enim decent tales, qui diaboli ſeſe ſeruitio ſubiecere. Quemadmodum fugitiuus Monachus, habitum ſuæ Religionis mox cum ſeculari commutat, moresque monaſticos ad mundanos trãsfert, ita qui malignis ſeruiunt ſpiritibus, debent eorum adſumere mores geſtuſque, vt ijs ſint acceptiores. Quod Salomon his deſcribit: *Homo apoſtata*, qui Deum veluti transfuga deſeruit, *vir eſt inutilis*, ſibi & alijs, *graditur ore peruerſo*, aliter lingua loquens, quam animo, *annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Sicuti namque animus eſt inquietus, ita leuiſſimis eſt præditus moribus. Et ſequenti capite, diſſolutæ mulieris deſcribens mores, dicit, quod ſit, *garrula, & vaga, quietis impatiẽs, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nũc in plateis,* &c. Et licet huiuſcemodi velint diſſimulare malitiam, verum tamen eſt illud Sapientis, q̃ *ex viſu cognoſcatur vir, & ab occurſu faciei ſenſatus.* Cum vultus animam pandat: *amictus* enim *corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enuntiat de illo.* Difficile immo impoſſibile eſt, vt ſe maxime apud prudẽtes, cõtineãt; Salomone teſte: *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientiũ: ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus:* nimirum ex geſtibus, moribusque. Sic Gregorius Nazianzenus, Iuliani Apoſtatæ inſtabilitatem, ac hypocriſin, ex habitu, ac moribus, dum adhuc adoleſcens, literarum cognitioni Athenis operam daret, & necdum ad iſtam peruenisſet vafritiem, dignoſcit, & ſagaces aliorum poſſunt perſpicere affectiones; auaritiam, ſuperbiam, luxuriam, inuidiam, ebrietatem, &c. quæ omnia ex oculis relucent.

Prou. 6. 12

Prou. 7. 11.

Eccl. 19.

Ibidem 27.

Prou. 27. 19

Oratio 4. quæ eſt 2. in Iulianũ.

Simile. Nota excubias has non ſine graui nocumento fieri illius hominis, in quo contingunt. Quia quemadmodum Princeps, qui vrbem aliquam occupauit, extemplò, non ſolùm ciues cogit ad mulctam, vt militibus ſtipendium annumerent, obſidioniſque ſumptus in fortalitijs, vallisque erigendis perſoluant: verum etiam vi adigit, vt ipſimet operibus inſiſtant; ita & malignus ſpiritus mulctat hominem, quantumcunque poteſt. Aufert *Primo* nobile tempus, quod ſomno, otio, inani recreationi, futili loquacitati, prolixis comeſ-

Quinque modis diabolus hominem mulctat.

1.

ſatio-

sationibus, alijsque consimilibus infructuosis, ne dicam damnosis occupationibus, impendit. *Deinde*, confiscat bona, 2.
quæ homo inutiliter profundit in superfluum vestium, aliarumque rerum, luxum. *Tertio*, imminuit corporis valetudinem, per abundantem cibi, potusque ingestionem, per somni priuationem, dum noctes integras choreis insumit, grauique vestimentorum sarcina tam arcte corpus comprimit, vt vix respirare queat, &c. *Quarto*, spoliat interna cordis 4.
lætitia. *Quinto*, cum ingenti sæpe famæ, pudorisque de- 5.
trimento, integritatis florem eripit. Propositum ei est, *Exod. 5.*
non vt aliquo nos bono ditet, sed priuet omnibus, & in quoduis præcipitet discrimen, infamiam, miseriam, instar Pharaonis, filios Israel graui seruitute opprimentis, nihilque pro operis mercede, quam verbera, ac flagra ingeminantis. Viæ namque ad infernum ipsis damnatis, difficiles *Sap. 5. 7.*
sunt, & ducunt ad interitum. Itaque si tibi consultum velis, da operam, vt libertatem conseruans, nullatenus te diabolico subijcias iugo, ne Hieremias de te queratur, quod *Thren. 1. 1.*
olim de ciuitate Sancta: quæ, cum esset *domina gentium, ac princeps prouinciarum, facta est sub tributo.* Poteris namque, si Deo sincere seruire velis, vniuerso orbi principari, ac tartareos omnes tibi Spiritus subiugare: noli obsecro ijs te subijcere, qui te vilissimum omnium mancipiorum mancipium, ac creaturarum omnium miserrimam, deterrimamque efficere moliuntur.

Altera ratio huius custodiæ, est humanę, imbecillitatis fra- Secundo.
gilitas, qua homo peccator non potest, sine singulari diuinæ bonitatis gratia, diaboli euadere laqueos, aut inde sese extricare: non minus quam is qui manibus pedibusque vinctus constringitur. Originale peccatum, in quo per diuinæ legis transgressionem omnes nascimur, totam naturæ nostræ constitutionem, animæque vires mirum in modum debilitauit: vt hæc nostra infirmitas per quotidiana peccata, augmentum capiat: licet naturam aut animæ vires non prorsus tollant. Quemadmodum enim peccator peccato, corpus non perdit, ita neque intellectum, neque liberum arbitrium, internasue passiones, aut aliquid quod

humanam concernat naturam. Per liberum quippe arbitrium poſſumus multis in rebus decernere, quid facere, aut eligere velimus. Vnde Dominus ad Salomonem: *poſtula quod vis, vt dem tibi.* Et Pilatus ad Chriſtum: *neſcis*, inquit, *quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te*: Et Dominus ad filios Iſrael: *in arbitrio veſtro erit, ſiue facere, ſiue non.* Moyſes quoque ad eoſdem: *teſtes inuoco hodie cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem; bonum, & malum: benedictionem, & maledictionem: elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum*, & Eccleſiaſticus: *Deus ab initio conſtituit hominem; & reliquit illum in manu conſilij ſui; appoſuit tibi, aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.*

3. Reg. 3. 5. Ioan. 19. 10 Num. 30. 14 Deut. 50. 19. Eccl. 15. 14.

Itaque nullo modo liberum arbitrium totaliter deperditum eſt, vt poſt Simonem Magum, Manichæos, Priſcillianiſtas, veteres illos, ante complures annos damnatos ab Eccleſia, nunc Lutherani iuxta, ac Caluiniſtæ, non ſolum aduerſus Scripturarum veritatem, Sanctorumque omnium Patrum doctrinam, verum etiam contra rectam rationem, ipſamque experientiam, inſaniunt, in multis tamen ita eſt debilitatum, vt ſine ſinngulari diuinæ opis auxilio, plurima præſtare non queat. Indiget autem tali ſubſidio, vt diuinæ legis præcepta adimpleat; prout Dominus ipſe per Prophetam teſtatur, cum ait: *ponam ſpiritum meum in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*: de conſeruanda caſtitate dixit Sapiens: *Non poſſum eſſe continens niſi Deus det.* Eadem quoque diuini auxilij gratia, homo in ſuperandis tentationibus opus habet; Dauide dicente; *In te eripiar à tentatione.* Vnde quotidie oramus: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Hæc autem liberi arbitrij infirmitas non inde prouenit, quod inuiti in mala declinemus, neque enim ad hoc poſſumus cogi; ſed partim, propter intellectus obnubilationem, qua verum bonum non agnoſcimus, partim, ob con-

Ezech. 36. 27. Sap. 8. 21. Pſal. 17. 30 Matt. 6. 13.

ob concupiſcentiæ vehementiam, quæ fucata boni ſpecie ita malum nobis ingerit, vt voluntatem ipſam ad ſe alliciens, minus ad virtutes, quam ad vitia propendeat. Quod vbi dæmon conſpicit, ibi mox auget infirmitatem hanc, acuens concupiſcentiam, hominemque ad maiora peccata exſtimulans, vt vulnera & frequentiora fiant, & auctiora.

Secundum diaboli opus eſt; quietem deſiderare in rebus ijs quas poſſidet. Cum namque hominem tam arcte, vt iam diximus, conſtrinxerit, haudquaquam metuit eum ſe perditurum; ſed pacate conquieſcit, imo, vti B. Iob loquitur, etiam *dormit ſub vmbra, in ſecreto calami, locisque humentibus.* In tribus quippe hominum generibus, ſecundum B. Gregorium diabolus dormit. *Iob* 40. to. Diabolus in quibus quieſcat. *Libr.* 33. *Mor. c.* 3. 4. & 5.

Inprimis, quos nequitiæ torpor obumbrat, aut temporalis altitudo inflat: qui vmbrarum inſtar, à ſole diuini luminis quam longiſſime abſunt. Per quos hæretici deſignari poſſunt veræ fidei lumine orbati. 1.

Secundo, in mentibus hominum ſæcularium, inani temporalium rerum gloria exultantium. Qui more calami, intus ſunt per fatuitatem vacui, ſed foris per ſpeciem & oſtentationem pulchri. 2.

Tertio, in luxurioſis, ac libidinoſis, ſicut bufones in putidis, limoſiſque ſtagnis libenter deliteſcunt. Deinde quietum facit illum quem poſſidet, omnique ſtudio ei perſuadet, ne aliquo conſcientiæ remorſu, de rebus male geſtis torqueatur: Sicuti Abenner Indiæ Rex, cum intellexiſſet Ioſaphat filium ſuum, aliquando Chriſtianam amplexurum religionem, pulcherrimum ei iuſſit ædificari palatium; præcipiens domeſticis, vt nihil eorum quæ in hac vita moleſta ſunt, oculis eius obijcerent, non mortem, non ſenectutem, non morbum, non paupertatem, non quidquam aliud, quod ipſum poſſet affligere. Idem facit & diabolus, obtenebrans ingenium, ne peccatorum fœtorem ſentiat, & cor in- 3. *Damaſ. in vita Ioſaph. & Barlaa. c.* 2. *Tom.* 7. *Sur.* 29. *Nouembr.*

durans ne bonas inspirationes suscipiat, ideo homines eius tentationum aduersitates non sentiunt, immo, quid tentatio sit ignorant, cum in omnibus mox diabolo ad nutum pareant. Sicuti qui eo se recipit, quo à vento impellitur, is aduerso ventorum flatu non torquetur: nec canis qui vltro dominum sequitur, sentit restis, qua ducitur, molestiam: sentirent porro si diabolo reluctarentur. Quod dum non faciunt, in pace quasi sunt omnia quæ possident. Itaq; peccator qui nulla sentit aduersa, nec vllum conscientiæ remorsum, neque rerum futurarum anxietatem, habet cur pertimescat, se à diabolo tanquam iumentum, propriumque mancipium possideri: malumque exitum, imo exitium timeat. Eheu quam misera est sub dæmone seruitus; tum, ob magistri infamiam, tum, ob grauissimum quo premitur iugum, tum quoque ob æternorum cruciatuum salarium.

Atrium quid 1.

Atrium quod diabolus custodit, atque in pace possidet, duobus potest intelligi modis.

Diabolus possidet animam cuiusque hominis.

Primo, seorsim de quolibet homine; cuius anima est aula, & externa constitutio, atrium. Anima libera est, nullis conspicua creaturis, adeo vt sciri non queat, quid quis vel intelligat, vel appetat, nisi per externarum rerum indicia id patefaciat, vel quibusdam internis passionibus, spiritibus (siue boni illi sint siue mali) manifestet, volens vt ista sciant. Deus solus *corda scrutatur, ac renes*; id est, cogitationes, ac desideria. Diabolus manet in *atrio*; hoc est, in corpore, corporeisque sensibus; nempe in auribus, oculis, naribus, &c. Phantasiam interdum occupat, in qua mirabiles producit conceptus, somnia terribilia, multiplicesque concupiscentias odij, timoris, melancholiæ, aliorumue sibi deseruientium rerum, quibus hominem ad suam queat trahere perniciem.

Hier. 17. 10
Apo. 2. 23.

Peccatoris miseria.

Vnde nota hic *inprimis*, statum hominis peccatoris, quem diabolus inhabitat, cuiusque sensus omnes, vires, ac membra custodit. Times solus in aliquo dormire conclaui, quod nosti spectris, ac malignorum spirituum

rituum infeſtatione inquietari, & quo pacto te ipſum non formidas, quem diabolus die, noctuque inhabitat? Scio quod inuitus videres ſerpentem regulum, tum, ob eius deformitatem, tum, ob veneni efficaciam, cuius vel ſolo aſpectu homo interimitur; multo vero minus virus illius tuo cuperes excipere corpore. Et quomodo diabolum in te manentem perfers, qui ſuo duntaxat intuitu valet te necare? An non idem ille, de quo diuinus vates cecinit, *egredietur diabolus ante pedes eius, aſpexit & diſſoluit gentes?* vires nimirum earum ſolo aſpectu eneruando, infringendoque? Si tantum valet exterius, interius quid non valebit? *Hab.3.5.*

Nota *Secundo*, Peccatorem nulla potiri vera cordis quiete, ſed ſolummodo in exteriori atrio; cum *nulla* ſit *pax impiis*, dicente Domino. Sentiunt quidem oblectationem aliquam viſu, vel auditu, &c. Verum interius in corde, nulla eſt pax, pulchritudo, nulla requies: Illic enim & intellectus eſt obfuſcatus, & conſcientia perturbata, & voluntas à DEO auerſa, ita vt anima, per variorum inquinamenta vitiorum, horrendum in modum fœteat. Peccatorum inquietudo. *Iſa.48.22.*

Secundo, per *atrium*, malorum hominum intelligi poteſt congregatio, quæ & per *Babylonem* deſignatur. Fuêre ab ipſo mundi exordio, prout eleganter, ac diſertè admodum, in libris de ciuitate DEI deducit Diuus Auguſtinus, duæ vrbes ſeu congregationes: quarum vna, quæ eſt electorum, per Hieruſalem; altera reproborum, per Babylonem ſacris literis ſignificatur. Atrium quid. 2. *Apoc.18.* Duæ ciuitates in mundo.

Prima eſt Sancta Eccleſia, quæ regni cœleſtis *atrium* à Dauide merito nominatur; *Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem.* Huius Rex ac Princeps, CHRISTVS eſt, regiturque cœleſtibus ordinationibus, ſicuti ſuburbia legibus ipſarum vrbium gubernantur. Et quia Rex noſter ſecundum corporalem præſentiam viſibiliter, in interiori regni cœleſtis palatio, rem adminiſtrat, habet in hoc atrio Vicarium, à quo illud gubernatur, & ſub 1. *Pſal.121.2.*

illo adhuc alios subſtitutos; tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares Iudices: quorum iſti animarum gerunt curam, hi vero rebus præſunt politicis.

2. ciuitas. *Ioan.* 12. 31. *Altera* eſt *mundus*; cuius Princeps, CHRISTO atteſtante, diabolus eſt, regiturque legibus, ac ordinationibus inferni. Lucifer qui huic ſumma cum authoritate præeſt, nullum habet ſibi generalem adiunctum vicarium; quippe, qui non omnium hominum ſtatus in ſua habet poteſtate. Vnde illos ſub ſua ſolummodo cogit ſigna, quos valet: inter quos maxime affectat Magnates, ac Heroas, nempe Reges ac Principes, qui cum rerum ſint Domini, multum ſua authoritate valent. Hos etenim libentius ſibi adſciſcit, quam ſimplices; qui nec eruditione, nec eloquentia, nec diuitijs, neque authoritate quidquam magni præſtant. Itaque ſummo ſtudio, Gentilium Principum animos, annis trecentis poſt CHRISTI tempora ſollicitauit, per quorum crudeliſſimam tyrannidem Eccleſiæ interitum machinaretur: ac deinde per hæreticos Reges, Imperatores, qui etiam in id pro viribus incubuerunt. In hoc regno magna dominatur ataxia, rerum omnium confuſio, & omne peccatorum genus: hic malignorum ſpirituum cateruæ, de quibus Beatus IOANNES in Apocalypſi, *Apoc.* 18. 2. *Facta eſt*, inquit, *Babylon, habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Hic nihil niſi fex limoſæ paludis, abominabilis fœtoris barathrum. In quo etſi non ſit generale omnium caput, ſunt tamen diuerſa illic, ac diſtincta habitacula, quorum quodlibet à ſuo Principe, ac dæmone gubernatur, ſecundum leges ac conſtitutiones, ex inferno ei miſſas. In omnibus enim regnat *concupiſcentia cærnis*, nempe luxuria, *concupiſcentia oculorum*, id eſt, *auaritia, & ſuperbia vitæ*, per quam ira, odium, & rancor intelligitur. Itaque nihil mirum, quod hæretici, qui huius vrbis profundiſſima occupant, nullum ferant ſuperiorem, quod Scripturas adulterent, quod exquiſitiſſimis horribilium tormentorum cruciatibus, Catholicos enecent, &cætera. quodque mali

1. *Ioan.* 2. 16.

bonos

bonos ſemper odio proſequantur. Nempe ex Luciferi id prodit imperio, ac gehennæ opibus, inſigni blaſphemiarum, tormentorum, nequitiarumque theſauro inſtructis. Verum conſidera, quod quemadmodùm Sancta Eccleſia regni cœleſtis eſt atrium, per quod bonis patet ingreſſus; ita mundum inferni eſſe atrium, per quod omnes qui in eo habitant, ſtatim poſt obitum ad gehennam deſcendunt.

XI.

Si autem fortior eo ſuperueniens, vicerit eum; vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet, &c. Matthæus inquit, fortem hunc armatum qui alium ſuperauit, prius eum *alligaturum*, ac deinde domum eius direpturum. *Mat.12.29*

Vnde Nota *inprimis*, DEVM, ac diabolum, pro hominis anima, continuum in hoc mundo habere duellum, idque ob eius nobilitatem, ac pulchritudinem, quam quilibet illorum adfectat: atque vbi ſemel adeptus eſt, tenaciter adſeruat. Chriſtus vna cum Patre ac Spiritu Sancto, eam inhabitat, quemadmodum ipſemet fatetur, cum inquit, *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* diabolus contra eam omni poteſtate conatur conſeruare: ſic & intentione diuerſiſſima. Septem notanda. 1.

Diabolus namque *Primo* id facit, Diuinæ maieſtatis odio; cui nocumentum inferre ſtudet, dum nobiliſſimam ei adimit creaturam, ac theſaurum pretioſiſſimum. *Ioan.14.23* Cur diabolus animam hominis quærit. 1.

Deinde tui ipſius odio; cui inuidet ſalutem, quam ipſe perdidit; adeo vt *inuidia diaboli*, Sapiente teſtante *mors introiuerit in orbem terrarum.* 2.

Tertio, ex ſua malitia; per quam omne tibi in hoc mundo ſtudet conciliare nocumentum, ac poſtmodum te ſecum ad perpetuos gehennæ cruciatus pertrahere: quamquam nullum inde vel emolumentum, vel pœnarum ſuarum leuamen præſtoletur: ſed potius augmentum; quia multo vehementius vritur, qui cum multis, quam qui cum paucis ardet. CHRISTVS contra ſolo tui amore, tuam deſiderat animam, vt te in *Sap* 1. 24. 3. Chriſtus cur animã noſtram quærat.

hac mortali vita omni bono cumulet, & in cœleſti paradiſo omni voluptatis genere exhilaret. Vnde nullum ſibi, ſed potius tibi commodum acquirit: quippe cum tua ſalus ac proſperitas, ex charitate illa qua te diligit, magnæ ipſi voluptati ſit.

Secundum Nota *Secundo*, ſolum CHRISTVM dæmone eſſe viribus præſtantiorem: *Non eſt* enim *ſuper terram poteſtas, quæ comparetur* diabolo, *qui factus eſt, vt nullum timeat*, Inquit B. Iob, Itaque nec in cœlo, nec in terra, neque ſub terra, vlla erat creatura, quæ poſſet clauſum reſerare librum, in quo ſcriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ, hoc eſt infernum, vt vincti inde liberarentur. Chriſtus autem varijs modis fortior exiſtit diabolo.

Iob 41. 24. *Apoc.* 5. 5. *Ezech.* 2. 10. Chriſtus fortior diabolo.

1. *Primo*: quia tanquam rerum omnium conditor ſingulas ita in manu habet creaturas, vt poſſit pro arbitratu, ijs agere quicquid velit. Qui etenim naturas prout nunc ſunt, condidit; poteſt eas pro libitu mutare, & aliam ijs eſſentiam indere. Vnde recte admodum Hugo de Sancto Victore ait, Deum corporibus hanc dediſſe naturam, vt eſſent in loco; ideo, quod ita ſibi placuiſſet: Si autem vellet, poſſet id agere, vt ſine vllo exiſterent loco, cum omnipotens ſit. Diabolus non poteſt creaturas ad nutum immutare, ſed poteſtas eius limitata, ſe vlterius non extendit, niſi quod corpora de loco in locum queat transferre. Itaque cum Ægyptiorum virgas formaret in ſerpentes, fecit id non niſi naturali celeritate, qua ipſarum virgarum elementa, ita cum alijs aliunde adſcitis temperauit, vt naturaliter inde ſerpentes generarentur, prout è putridis lignis paulatim gignuntur vermes.

Lib. 2. de Sacr. par. 9. cap. 11. *Exod. 7.*

2. *Secundo*, quod Deus ſingulis dominetur creaturis, ita vt quaslibet queat introire, ac penetrare: cuius oculis nihil omnino abſconditum, occultumue eſt: adeo vt non ſolum cogitationes, verum etiam minimas incidentias, ac motiones, tam hominum, quam ſpirituum; ſiue bonorum ſiue malorum, accurate perſpectas habeat. Vnde ſicuti ſtruthio, inquit Beatus Gregorius, ex obliuione relinquit oua ſua in puluere

Lib. 31. Mor. c. 7.

uere terræ, & Deus illa calefacit, perficitque, ita idem quoque in intima cordis penetralia deſcendit, eaque amoris ſui igne ſuccendit, atque in bonum tranſmutat. Diabolus eo pertingere nullatenus poteſt, ideoque internas hominum ſpirituumue cogitationes, ſine ipſorum permiſſu, ſcire non valet. Ignorabat, qua intentione Iob Domino famularetur, neque internas eius virtutes cognitas habebat. *Iob 1.*

Tertio, nullus omnino mortalium, vt probe aiebat Mardochæus, diuinæ *poteſt reſiſtere voluntati*. Vnde & ipſemet Dominus per Propheram loquitur: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Dæmonum vero intentiones, ac machinationes ſæpe impediuntur. 3. *Eſter. 13. 9. Iſai. 46. 10*

Quarto, Solus Deus poteſt immutare naturam, iuxta id quod Eccleſia in publico orat officio, *noſtras etiam rebelles propitius ad te compelle voluntates*. Vnde Sapiens, *ſicut*, inquit, *diuiſiones aquarum*, hoc eſt, quemadmodum ex vno fonte diuerſi aquarum promanant riuuli, *ita cor Regis in manu Domini: quoeunque voluerit inclinabit illud*. Malignus autem ſpiritus, ad hominis voluntatem nequaquam pertingit: ſed externarum ſolummodo paſſionum motu eam afficit. Immo Iudæorum animos, quos ad Chriſti incitauerat necem, à ſcelere reuocare non poterat; vnde Pilati vxorem, ſicut B. Gregorius, & B. Bernardus teſtantur, ſollicitabat, vt apud maritum negotium hoc promoueret. 4. *In ſecret. Domin. 4. poſt Pent. Prou. 21. 1. Greg. li. 33. mor. ca. 31. Bern ſer. 1. de Paſcha.*

Quinto, Chriſtus ſingularem quandam habet armaturam, qua militat, quaue diabolum efficaciter ſuperat: nempe patienter aduerſa tolerando. Hanc autem patientiam, humani generis hoſtis ignorat; cui nulla quantumcunque ineffabilia, ac perpetua opitulantur tormenta. Inſuper nec cruciatus miniſtrorum diaboli, hoc eſt reproborum hominum, eius promouent regnum. Nam quando peccatū, & maxime hæreticos, qui primarij ſunt diaboli miniſtri, perſequimur, punimus, & occidimus (prout D. Auguſtinus re ipſa comperit) tunc minuuntur, vel etiam totaliter profligantur. Itaq; non ſolent illi patiendo; ſed vi, atq; armis ſuam ſtabilire perfidiā, quemadmodum id probari poteſt, ex omnium ætatum hæ- 5. Chriſti armatura. *Epiſt. 48. ad Vincen.*

reticis. Verum quidem eſt, reprobos in obſtinata malitia nequiter perſeuerantes, & atrocia tormenta ſuſtinentes (ſicuti quando obſtinati hæretici flammis exuruntur) eo profundiorem in inferno ſortiri locum, ibique grauiora tolerare tormenta, quo hic plures pertulerunt pœnas: quippe quorum peruerſitas, ne vllis quidem ſupplicijs à ſcelere potuit ad meliorem mentem reuocari: Nihilominus, per hæc ſceleratorum hominum tormenta, ac ſupplicia, diaboli in hoc mundo regnum decreſcit; eo quod alij pœnarum metu, eadem tentare pertimeſcant. Chriſtus & ſua paſſione dæmonem ſuperauit, & Martyrum cruciatibus Eccleſiam plantauit, eamque per vniuerſum terrarum orbem dilatauit, & ſupplicijs electorum ſuorum, magnum indidit valorem, vt ijs pro peccatis ſuis poſſent ſatisfacere, & in virtutibus confirmari, auctioreſque cœleſtis regni palmas promereri. Diſce ergo hinc Chriſti inſiſtere veſtigijs, qui diabolo multo eſt robuſtior: ſine quo nulla ratione ei poteris reſiſtere. Quemadmodum Dominus ad Iob aiebat; *An extrahere poteris Leuiathan*, id eſt diabolum, *hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?* Quaſi diceret proprijs viribus eum non profligabis, vt à tentationibus deſinat; vel vt eius vetuſtiſſimas nequitias euadas, aut quam prædam ſemel abſorbuit, eidem eripias. *Per* CHRISTVM, & *cum* CHRISTO, vti Paulus ait, cuncta poteris: *omnia* quippe *poteris in eo qui te confortat*, vt non ſit cur Chriſto præſente, quenquam pertimeſcas. Dauid namque aiebat: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Et Paulus: *certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Cum aliqua tibi euenerit aduerſitas, eam Chriſtus, quando è ſalute tua erit, adimit: ſicuti Iob, Dauidi, Tobię, Suſannæ, Danieli, multiſque alijs fecit: aut ad minus vires ſuppeditabit, vt cum prouentu eam ſuſtineas: quemadmodum Apoſtolus monet.

Iob 40.20.

Phil. 4.13.

Pſal. 117.6.

Rom. 8.38.

1. *Cor.* 10. 13.

Porro

Porro Chriſtus plus ſibi vendicat iuris in te, quam Satan. Ipſe te ex nihilo creauit, pretioſo ſanguine ſuo in libertatem adſeruit, in hodiernum vſque diem conſeruauit, deinde in cœlum prouehere cupit: quorum omnium ne minimum quidem diabolus præſtitit. Itaque ſummo iure Chriſti es, eique in omnibus obligatus. Seculares plus ſibi emolumenti à dæmone, qui voluptates, ac iucunditates ipſis indulget, promittunt; quam à CHRISTO, quem vulneribus ſaucium, ac ſpinis coronatum conſpiciunt: nec conſiderant roſas naſci inter ſpinas, nec Chriſti iugum ſuaue ac leue eſſe, aut ſub hoc onere multum delitescere emolumenti breuique finem habiturum: cum interim rerum mundanarum voluptates & doloribus ſint permiſtæ, & poſtmodum æternis cruciatibus compenſandæ. Eam ob rem noli Chriſto inferre iniuriam, aut eius te ſeruitio ſubtrahere, hoſtibuſque ſubijcere.

Nota *Tertio*, verbum *ſuperueniens*, per quod inſinuatur, diabolum ab Adami tempore ad Chriſti vſq; aduentū in mundo principatum habuiſſe: vt nos *inprimis* doceret peccati malitiam, quæ per Dei iuſtitiam, plus quam per quatuor annorū millia diabolicæ tradi poteſtati promeruerat. Nam etſi quouis tempore, Deus viarum ſuarum ſemitam nonnullos edocuerit, vt & alij eaſdē diſcerent, ac ſequerentur; erant tamen illi adeo & pauci, & apud alios contempti; vt ab eis, qui illos ſe ſcientia ſuperare gloriabantur, deſpectui haberentur: quorum errorem, plebs pene omnis ſequebatur. Videtur autem Deus humano generi offenſus, voluiſſe ad aliquod temporis ſpatium victoriæ palmam diabolo concedere, vt qui homines ſuis ſuperauerat tentationibus, eiſdem etiam dominaretur. *Secundo*, ſummam in nos, qui nouiſſimi in mundū venimus, clementiſſimi Dei bonitatem: iam quippe illius cognitio, ac diuinæ gratiæ miſericordia, per totum terrarum orbem longe lateque increbuit: vt hoc nomine ingentes ei grates debeamus, q̄ nos non primæua illa ætate quando cum maiori hominū numero, ſine veri Dei cognitione, viuere, ac mori potuiſſem⁹, creauerit. 3. diabolū mūdi principatū ſemper ſe retenturū putaſſe, ſed Chriſtus inopinato ſuperueniēs,

Tertium. Ex verbo, *Superueniens.* 5. deſcenda 1.

2.

3.

eum

eum inde deturbauit. Hinc Iob ait: *abſorbebit fluuium, & non mirabitur; & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Illius enim intentio erat, omnes ad inferna ſecum præcipitare, ſed CHRISTVS ſuperueniens, id impediuit.

Iob 40. 18.

4. *Quarto*, vnde nam Chriſtus ſuperuenerit, nempe ex alia quadam regione. Solemus de illo qui peregre ad nos, ex alia venit vrbe, dicere; iſte vel iſte inopinato mihi ſuperuenit. Simili modo hic intelligendus eſt, Chriſtus, aliunde ad nos veniſſe; nempe, è cœlo, quidquid enim ſublunare eſt, mundanum eſt. Erat ergo Chriſti perſona in rerum natura, antequam de Matre naſceretur; quippe quæ ideo ex cœleſtis regni gloria ad nos deſcendit, vt cum humani generis hoſte confligeret.

5. Diſce *Quinto*, Chriſtum cum mundo ſuperueniret, fuiſſe inexpectatum ab eo: adeo vt ipſi euenerit, quod paſſim ſolet hoſpitibus non inuitatis, *in propria venit, & ſui eum non receperunt*, licet non niſi noſtræ ſalutis cauſa venerit. Tu ergo illum hilariter excipe, eumque roga, vt miſericorditer tibi ſuperueniat in hac vita, cor tuum diuinæ gratiæ contactu mouens potius, quam vt ſubitanea morte ſuperueniens, te vt rigidus, ac ſeuerus iudex opprimat: quemadmodum illis facit, qui hic aduentum eius non expectant.

Ioan. 1. 11.

Quartum. Tribus modis diabolum Chriſtus ſuperauit.

Nota *Quarto*, tribus modis Chriſtum ſuperaſſe diabolum. *Primo* quidem, virtutis ſuæ potentia, quando ſolo verbo, nõ vnum, ſed aliquot dæmonum millia ex obſeſſo profligauit, illis ne hiſcere quidem audentibus. *Deinde*, ſingulari ſapientia, qua dæmoni quaſi impoſuit: occultando nimirum ſub humanæ naturæ velamento, Diuinitatis naturam, quo eum ad confligendum ſecum animoſius prouocaret. Qui etſi natura ſit vafer, ac verſipellis, Chriſti tamen ſapientia ſuperatus, proſtratuſque eſt. *Poſtremo*, ſua iuſtitia, qua non ex gratia, ſed ex æquo, ac condigno rem geri voluit. Diabolus quippe hominem ob debita, quæ nemo præter Chriſtum potuit perſoluere vinctum tenuit. Quæ vbi Chriſtus, qui Deus erat & homo, exſoluiſſet, debuit illũ iure miſſum facere. Cum munitiſſima vrbs ab hoſte obſidetur, difficulter capitur, ſi ciues

1.

Luc. 8. 30.

2.

3.

iuxta

iuxta ac milites cum Præfectis conueniant; sin autem, magna est vrbis potiundæ spes. sic diabolus qui hominem obsidet, pro viribus adnititur, vt cum eo prope conueniat, aliquas ei voluptates indulgens, ne totus abalienetur, quemadmodum Capitaneus vrbis, ciuibus pro libitu interdum quędam permittit, vt eos sibi cum res postulat reddat deuinctiores. Qui oppugnat vrbem, multa consumit, vt, excitata inter ciues discordia, eos suo reddat capitaneo obstreperos, sibi morigeros, nec id sine difficultate, tum propter arctam obsessæ vrbis custodiam, qua non sinitur quisquam hostium ingredi; tum, quod ciuibus optime inter se conueniat. Huiuscemodi obstacula nequaquam Christo difficultatem peperêre; qui cor nostrum sine vllo portarum, id est sensuum adminiculo, liberrime ingreditur, intellectum illuminat, vt homo suum agnoscat periculum; conscientiam salutaribus excitat stimulis, ipsamque voluntatem, quæ cęteris dominatur viribus emollit. Adeo vt intima quæque hominis penetret, antequam dæmon id vel semel persentiscat: nempe per gratiam, quam animæ infundit; per compunctionem, quam voluntati largitur, per suum denique verbum, quo intellectum instruit, illum ex homine profligat. Intrat autē cor diuersis modis, diuinæ suæ sapientiæ solummodo cognitis: interdum vnico verbo, sicuti quando Apostolos ex nauibus, aut teloneo, vt sequerentur, euocauit: quandoque vero ad alicuius imaginis intuitum; quemadmodum Mariæ Ægyptiacæ accidit. Nonnunquam intima cordis compunctione, veluti Petrus in domo Caiphæ per hanc ad se ipsum redijt, &c. Vrbs, aut castrum, quod hostis occupat, nisi sit insigniter munitum, facile ab alijs inuaditur. Fur aut latro, minori cum labore in rustica aliqua casa, quæ carice tecta palustri est, capitur, quam in arce bene murata: ita diabolus citius è pauperibus profligatur, quam ex diuitibus, nobilibus, potentibus, &c. quibus *difficile est*, ipso Saluatore adstipulante *introire in regnum cœlorum*. Horum castra nimis munita sunt opibus, honore, omnique voluptatis genere. Quos Diuus Gregorius cum rhinocerote comparat, qui cum indomitæ

Christus quomodo veniat ad cor nostrum. *Matt. 4. 9. Sur. tom. 2 die 9. Apr. Luc. 22.*

Simile.

Mat. 19. 23. Lib. 31. Mor. c. 1.

mitæ sit naturæ, quando capitur, moritur: sic huius sæculi potentes, typho stolidæ iactationis elati, suauissimo Christi iugo colla submittere renuunt, quorum castrum vt oppugnet, atque expugnet Christus, fortioribus eget machinis, quam si quis camelum per augustæ acus foramen illæsum pertrahat.

Matt.19. 24.

Quintum. Ligatus dæmon dupliciter.

1.

Nota *Quinto*, ex Euangelio Matthæi, CHRISTVM *ligare* dæmonem, cum eius inuaserit atrium, quemadmodum Principes vinciunt superatos hostes. Fit autem hoc duobus potissimum modis; quorum *primus* desijt, postquam Christus amarissima sua passione, mundum sibi subiecit. Tunc namque mundi principem bello superatum, inde profligauit: vti se facturum, hisce verbis paulo ante prædixerat: *nunc iudicium est mundi*, id est, quemadmodum Beatus exponit Augustinus, *nunc*, in morte mea, quæ præ foribus est, mundus à diabolica seruitute liberabitur; *nunc princeps huius mundi, eijcietur foras.* Modum autem eiectionis huius, describit in sua Apocalypsi Ioannes, dicens: *Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi*, nempe inferni, *& catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum*, Luciferum scilicet; qui in serpentis specie, Euam seduxerat, *eumque per annos mille alligauit*; vsque ad Antichristi aduentum, quando mundus finem sortietur; *misit* quoque *eum in abyssum, & clausit, signauitque super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni*: quibus euolutis, oportere illum *modico tempore solui.* Per quæ significatur, Luciferum in propria persona, ex mundo eiectum, in gehenna nunc vinculis constringi; non quidem materialibus, sed diuinæ virtutis potentia, qua illic detinetur, sicuti anima in corporibus nostris. In fine autem seculi soluetur, vt Christi fidelibus per Antichristum, nouorum tormentorum cruciatibus, incredibiles conciliet pœnas, ac falsis, fictisque miraculis imponat. Erit magna illa, teste Gregorio, tentatio, quando pius Martyr corpus tormentis subijciet, & tamen ante oculos eius tortor miracula faciet. *Angelus* hic qui Luciferum compedibus vinxit, Christus Dominus est; vel, vt alij volunt, Michael

Ioan.12 31. Tract. 52. in Ioan.

Apoc.20.1.

Lib.32. Mor. c.13. in fine.

chael Archangelus, Eccleſiæ princeps; qui primo quidem diuino iuſſu cœlo eum deturbauit, & nunc Chriſti præcepto, etiam ex mundo profligauit. *Apoc 12.*

Secundus ligandi modus, nobis quotidianus eſt: quando malignus ſpiritus ex peccatorum cordibus, corporibuſue eliminatur. Per baptiſmi, ac pœnitentiæ ſacramentum, & exorciſmos; inſtar canis, vti inquit Auguſtinus, ligatur: vt nullus ei ad hominem acceſſus pateat, vel ei queat nocere, niſi in quantum ipſe velit. Docet id ex profeſſo diuinus Tobiæ liber, cum inquit Raphaelem Archangelum Aſmodæum, fornicationis Principem, apprehendiſſe, & in ſuperioris Ægypti deſertum relegaſſe. Atque hoc modo dupliciter ligatur: *Primo*: quando obeſſe amplius nequit: quod tunc ſæpenumero fit, quando in tentationum conflictu inferior, ſuccumbit. Quemadmodum in B. Iob accidit, quem cum omni conatu oppugnaſſet, nihilque tandem, quo eum ad impatientiam prouocaret, effeciſſet, re infecta, ac viribus deſtitutus, diſcedere debuit. *Secundo*, cum alicui loco alligatur, quemadmodum Aſmodæus ille de quo ſupra: vel exorciſmis ita eſt profligatus, vt non detur illi vlla remeandi facultas. Hinc refert V Vilhelmus, Abbas S. Theodorici, D. Bernardo Abbati fœminam quandam oblatam fuiſſe, incredibili furore à Dæmone annis admodum ſex vexatam; ad cuius ſubuentionem plurima, licet fruſtra, ab alijs adhibita erant remedia. Inſtante autem die quadam Dominica, cum vir Dei per edictum Epiſcopi iuſſiſſet populum in Eccleſia accerſiri, conſcendit ſuggeſtum, & vt omnes accenſas candelas manibus teneant, præcipit: deinde dæmonem exorciſans, ita profligauit, vt nunquam amplius ad fœminam redire potuerit, licet antea comminatus eſſet, ſe Bernardo abeunte, rurſus eam inuaſurum, atrociuſque diuexaturum. De catenis autem quibus diabolus vinctus in inferno detinetur, hæc ante annos quadringentos literarum monumentis conſignauit Cæſarius Heiſterbachenſis: Fuit, inquit, in Syeburch, mulier quædam obſeſſa, quæ cum in oratorio Sancti Michaelis, de diuerſis interrogaretur, & incide-

2. Ligandi modus.

Serm. 197. de tempor.

Cap. 8. 3. Modus hic ligandi iterum duplex.

1.

2.

Lib. 2. vitæ eius c. 6. Tom. 4. Sur. 20. Auguſt.

Catenæ diaboli.

Lib. 5. cap. 13. hiſt.

incideret mentio de Lucifero, apud inferos ligato, respondit per os eius diabolus. Vosne stulti existimatis magistrũ meum catenis vllis ferreis in inferno vinciri? Nequaquam: sed tria sunt Missæ canonis verba, quibus id fit. Percunctantibus autem alijs, quænam illa essent, noluit ea edicere, ac verbo tenus recitare, sed postulato Missali, digito demonstrauit, PER IPSVM, ET CVM IPSO, ET IN IPSO, quibus Sanctissima Trinitas significatur. Atque hæc, inquit, tria illa verba sunt, quibus ligatur Magister meus: patefacere volens, tam Luciferum, quam alios omnes malignos spiritus nullis alijs in inferno detineri compedibus, quam Sanctissimæ Trinitatis virtute, quæ in tribus personis vnus est Deus. Hi sunt *rudentes* illi, quibus Beatus Petrus, peccantes Angelos *in tartarum* fuisse detractos, ait. De quibus Iudas quoque Apostolus scribit, quod *Angeli qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruentur.* Nam & si nonnulli dæmones in aëre constituti, libere hinc inde circumeuntes, *quærant quem deuorent*, sicuti B. Petrus loquitur: sunt tamen illorum plurimi in inferno ligati, maxime qui sub Lucifero prima merebant stipendia. Hoc namque ex præfatis Iudæ Apostoli verbis colligi posse videtur, cum dicit illos qui *suum non seruauerunt principatum*, sub perpetua adseruari caligine.

2. Pet. 2. 4. versu 6.

1. Pet. 5. 8.

Sextum. Nota *Sexto*, Christum dæmoni sua eripuisse arma, quibus confidebat, de quibus superius quoque diximus. Sciendum autem duo illum habuisse præcipua ante Christi aduentum armorum genera, quorum *priora* in ipso erant, nempe, fraus, & impostura, quibus homines in magnos errorum labyrinthos, ac superstitiosum idololatriæ cultum præcipites trahebat, adhibitis visibilibus miraculorum signis: quorum D. Augustin. in doctissimis illis de ciuitatis Dei libris, meminit: quod videlicet idolum Mineruæ sine vlla ambustione in igne illæsum permanserit, quod Apollinis statua fleuerit, quod Deorum simulachra sibi mutuo interdum loco cesserint, vocemq; ediderint, futura prædixerint, aliaque similia fecerint, quorum pleni sunt Ethnicorum libri. Quibus

Duplex genus armaturæ diabolicæ. 1.

Lib. 3. de ciu. c. 7. & 11. & lib. 4 c. 29.

non

non solum Gentiles in sua detinebantur idololatria; verum etiam Iudæi, ad eandem pellicebantur: idq; eo vehemētius, quod doctissimi quique Poetæ, Oratores eloquentissimi, Philosophi acutissimi, ipsimet Deorum simulacris venerationem exhiberent, eaque literarum suarum commētis defenderent. Quinimmo, magnus ille, ac vt vocant, diuinus Plato, vna cum præceptore suo Socrate in Pyræum, hoc est Athenarum portum, Dianæ colendæ gratia, vt D. Athanas. fatetur, sese contulit. Hæc vero armatura iam diabolo omnino est erepta, vt talibus miraculorum impostoris, neque-at amplius Christi fideles circumuenire, aut per statuas responsa reddere. Christus enim primo natiuitatis suæ initio, huius armaturæ præsidium ei statim ademit. Quando nimirum Octauius Augustus Romanor. Imperat. Apollinis Pythij, ac deinde Delphicum consulens oraculum, nullum aliud tulit responsum, quam

Vide Vale. Max. li. 1. c. 8. & Lactan. l. 2. c. 8. & 9.

Orat. cont. idola ad Machar.

Niceph. l. 1 cap. 17.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Similiter & post Christi necem, prohibebantur dęmones oraculorum responsa edere ijs in locis, vbi sanctorum Martyrum quiescebant reliquiæ. Quemadmodum Sozomenus testatur de Daphneo, apud Antiochenos, Apolline: qui sanctissimæ Babylæ Martyris corpore impeditus, obmutuit. Quod idem de alijs Constantin. Magnus I. Christianorum Imperator, apud Eusebium fatetur. Idem fiebat, si quis fortè eximiæ sanctitatis vir in aliqua ciuitate præsens esset: veluti Serapis de se testatur, quod B. Apollinaris, B. Petri discipulus, loquendi facultatem ei ademerit, aut si quis solummodò Christianorum præsens esset; adeo vt oportuerit idolorum sacerdotes, antequam oraculorum respōsa exposcerent, altiori proclamare voce: *Procul hinc sint lotus & vnctus,* Christianos nimirum significantes; qui baptismatis, ac confirmationis Sacramento initiati, & aqua abluti, & chrismate vncti sunt. Quin & deinde penitus conticuere omnes; adeo, vt: *nec responsa queat consultus reddere vates,* quemadmodum, Plutarchus in libro de oraculorū defectu conqueritur. Erat

L. 5. hist. c. 18.

In vita Constan. l. 2. c. 49.

In vita eius tom. 4. Sur. 23. Iuly.

aliquando ſumma apud Gentiles Philoſophos eruditio, quę nunc ſecundum Eſaiæ, Abdiæque vaticinium, ijs eſt adempta. *Peribit enim ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium eis abſcondetur.* Itaque iam nunc in ſola Eccleſia vera eſt prudentia, veraque doctrina; extra quam quidquid ſcientiæ eſt, inſcitia eſt, & ignorantia: ne quis fortè per gentilium eruditionem, in errorum labyrintos incidat. Ad dæmonis verò aſtum, vt vafritiem quod attinet, illam CHRISTVS ipſi integram reliquit; ita tamen, vt nos probe aduerſus eam munierit, eius dolos nobis explicans; *vt non circumueniamur à Sathana, non enim ignoramus cogitationes eius*, inquit Paulus. Si quis verò tantæ ſit ſimplicitatis, vt eas nequeat deprehẽdere, poterit ab alijs, qui prudentiores ſunt, conſilium petere; quorum defectu ſancta Catholica Eccleſia non laborat. *Secunda*, diaboli arma, in homine erant ſita; nempe peccatum, & praua inclinatio, quæ per lapſum magnum ſumpſere incrementum. Chriſtus autem pro peccatis noſtris, amariſſima ſua paſſione, ſatisfaciens, ea per Sactamentorum vſum, quibus omnia abolentur peccata, hominibus adimit. Per hæc namque abundantem nobis infundit gratiam, quæ vitiorum impetum refrenat, refrigerat æſtum. Experiuntur hoc, qui Sacramenta frequentant: & quo ſæpius ea iterant, eo experiuntur efficacius. Prauas verò inclinationes, non omnino abſtulit, ſed debilitatas, reliquit: non vt ſemper nos in peccatorum ſordibus detineret, aut æternæ damnationis (vti hęreticorum nonnulli blaſphemantes mentiuntur) obnoxios redderet. *Nihil etenim nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; hoc eſt, qui probe Chriſtiani ſunt, ac ſincerè Deum timent. Neque verò paſſiones illæ quæ in nobis ſunt, quamdiu non prævalent, peccatum ſunt. Hinc namque Paulus nunquam nobis inculcat, vt *non ſint in nobis paſſiones:* cum ipſe ijs ſe ſubiectum clamet, ſed vt *non regnet peccatum in noſtro mortali corpore.* neuè eius concupiſcentijs obediamus. Vocat autem *concupiſcentiam, peccatum* μετονυμικῶς, non quod reuera peccatum ſit; vt exponit B. Auguſtinus, *ſed quia* peccato facta eſt, & conſentientem ad peccatum trahit, concipitq; peccatum. Quemadmodum medicinam ſalutarem eſſe di-

Iſai 29.14
Abdi 1.8.
2. Cor. 2.11
2. Armatura?
Rom. 8.1.
Rom 7.24.
Rom. 6.12.
Cur concupiſcentia vocetur peccatum.
I.
L.1. de nupt. & concup. c.22.
Li.1. cõtra 2. ep. Pelã. c.10.
Li.3. de lib. arb. c.19.

se dicimus, quod hominem sanum faciat; & aerem melancholicũ, quod homines efficiat melancholicos. *Deinde* quod ex peccato proueniat, quod enim nos impugnat, venit ex originali, quo omnes nascimur, peccato. Sicuti hominis vrinam dicimus bonam, vel malam; provt ex sano, vel ægro corpore prouenit: item scripturam vocamus manum. Porrò quinque de causis, Christus has in nobis passiones reliquit. *Primo*, vt experimento disceremus, quam abominabile sit peccatum, quod in tantas miseriarum nos protrusit passiones. *Secundo*, vt diuinorum donorum charissimata studiosius conseruantes, ijs non abutamur. Tales ergo passiones, quẽadmodum varijs in locis docet Augustinus, pœnæ sunt vitiorum: quemadmodum & illæ, quas quotidie ob primorum parentum lapsum sustinemus. *Tertio*, vt non ideo seruiremus Deo, quò possemus hisce tam molestis concupiscentiarum motibus exonerari (tunc etenim nostri caussa id potius faceremus, inquit idem Augustin.) sed diuini amoris gratia. *Quarto*, vt cum dæmone confligentes, victoriæ palmam, ac cœlestis gloriæ brauium reportemus: *Nemo* etenim *coronatur, nisi qui legitime certauerit*. *Quinto*, vt Dei potentiam, charitatemque experiamur; qui & vult, & potest nos inde eripere.

2.

5 De causis reliquit nobis Christus passiones nostras. 1. 2. *Lib. 13. de Trin. c. 18. Lib. 2. de peccat. meri. c. 34. Tract. vlt. in Euang. Ioan.*

3.

Li. 1. de Ciui Dei, c. 8

4. *2. Tim. 2. 5*

5.

Nota septimo, Christũ diaboli distribuere spolia. Hic quippe malignus spiritus, multa ante Christi aduẽtum spolia diripuerat, quin etiamnum quotidie plurima quasi ad se pertinentia, diripit: verũ his à Christo spoliatur, qui ea distribuit, instar capitanei, arcem aliquam inuadentis, & ibidem reperta spolia militibus viritim distribuentis. Sic CHRISTVS, provt dudum ante Esaias de ipso prædixerat, *Fortium diuidit spolia*. Habebat *inprimis* diabolus in limbo, animas Patrum, quas se illic perpetuo retenturum sperabat. Quos Christus eripuit, *captiuam ducens*, vt inquit Paulus, *captiuitatem*: extrahens illos ex diaboli faucibus, ac sibi vendicans, secumque ad cœlorum regna prouehens, offerens hæc spolia, Patri cœlesti, quasi passionis insignes primitias, eosque per diuersos beatorum agminum choros distribuens. *Secundo*, diabolus in sua potestate habet homines, fallaci deceptione

Septimũ.

Isa. 53. 12. Quæ spolia diabolo eripuerit Christus.

1. *Eph. 4. 7.*

2.

Creatori ereptos. Quos Christus nunc rursus, vt Sanctus
Irena li.5. Irenæus, & Beat. Augustinus testantur, illi subtraxit: disper-
Aug l.1.q. tiens hanc prædam Apostolis suis, eorumque legitimis Suc-
Euang c.5 cessoribus, quibus tanquam vicarijs suis, Christiani ouilis
3. gregem commisit. *Tertio*; diabolus vti mundi huius prin-
ceps, ministris suis certa dignitatum, officiorumque munia
distribuebat, vendicans sibi rerum omnium dominium;
Quemadmodum coram CHRISTO Domino mendaciter
sese iactitabat, dicens: *Mihi vniuersa tradita sunt, & cui volo,*
Luc.4.6. *do illa.* Verum & hic CHRISTVS singulos dignitatum ti-
Eph.4.6. tulos suis electis distribuit, provt Paulus testatur: *Ascendens*
Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona homi-
nibus. Dedit enim *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Pro-*
phetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Et
sic de cæteris, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus functio-
Prou.8.15. nibus. Per illum, namque, vti Sapiens ait, *Reges regnant, &*
legum conditores iusta decernunt. Per illum *Principes imperant, &*
4. *potentes decernunt iustitiam. Quarto*, diabolus suos ministros
inducit, vt aliorum bona diripiant; nempè proximo-
rum famam, & pudicitiam, per detractionem, aut con-
iugij violationem. Verum CHRISTVS iniustas omnes
possessiones, iustissimè distribuit: quando singulis ad se
venientibus, rerum inique direptarum restitutionem præ-
5. cipit. *Quinto*, diabolus efficit, vt ministri ipsius honoribus,
opibus, dignitatibusque, ad peccatum abutantur: CHRI-
STVS contrà, suos excitat, vt omnia conuertant ad Dei ho-
norem, gloriamque: inducens illos vt opibus terrenis tem-
pla, monasteria, nosocomiaque, in religiosorum, paupe-
rum, ac ægrotorum vsum ædificent, honoribus, ac autho-
ritate, Ecclesiæ immunitatem conseruent, & promoueant;
eruditione plurimos lucrentur. Atque hinc multi Reges,
Isa.60.9. ac Principes, secũdum Esaiæ vaticinium; Apostolis eorum-
que successoribus, multa temporalia contulerunt; Comita-
tus, Ducatus, regna: immò ipsam imperialem vrbem RO-
MAM, diuini numinis instinctu, Constantinus Augustus B.
Syluestro dono obtulit, vt oues Christi non solum spirituali
authoritate, verum etiam potestate mundana, regerentur,
defen-

defenderentur, ac tandem ad æternam beatitudinem perducerentur.

Ob hanc Christi potentiam, qua profligat dæmones, eorũq; satellites, quatuor eximiæ dignitatis tituli, quos Regius psaltes describit, Christo dum in cœlum ascendit, ei tribuũtur. *Primo*, namq; vocatur fortis. *Deinde* potens in prælio. *Tertio*, Dominus virtutum. *Postremo*, Rex gloriæ. Fuit etenim *fortis*: quia solus ingentes illos toto passionis tempore cruciatus tolerauit, vt per Esaiam dicat, *torcular calcaui solus*. *Potens* insuper *in prælio* fuit, quando sua passione fortem alligauit, viribusque spoliauit, dicens: *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea*. Factus quoq; secundum humanam naturã *Dominus virtutum*; hoc est, præ omnibus sublimatus, siue in cœlis, siue in terris, & sub terris; omnia namque ipsi tanquam supremo rerum Domino, parent. *Rex* denique *gloriæ* quia sine eius merito, ac gratia, nulli mortalium ad cœlestis regni gloriam patet aditus: quam illis largitur quibus vult: immò ipsum agnoscere, gloria est; provt alibi aiebat: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum*. Fœlix ergo, qui sub tali capitaneo merens, hostem superat: percipiet enim pro mercede, vitę æternę præmium; contra vero diaboli satellites, perpetuos recipient gehennæ cruciatus, mortemque sempiternam.

Quatuor tituli Christo in cęlũ ascendẽti attributi. *Psal.* 23. 8. 1. 2. 3. 4. *Isa.* 63. 3. *Ioan.* 17. 3.

Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Hæc quarta est ratio, qua Christus conuincit, sibi nihil cum dæmone negotij, neq; se in nomine Beelzebub dæmonia eijcere; quippe, qui semper ipsi cõtraria egit, agitque. Christus colligit, ille dispergit: Christus pacem, & charitatẽ conciliat, ille rancorem & discordiam &c. In his autẽ Christi verbis, duæ sunt notandæ sententiæ: prima est: *qui non est mecum, contra me est*. Quæ & si de diabolo hic intelligenda sit, vt exponunt B. Chrysostomus, Hieronymus, Anselmus, alijque nonnulli; est tamen etiam generaliter vera; nempe, omnes illos esse contra CHRISTVM, qui cum ipso non sunt. Ratio est: quia CHRISTVS rerum omnium est Dominus, *in cuius ditione*, vti Mardochæus aiebat; *cuncta sunt posita*. Ideò creaturæ omnes ad ipsius seruitium obligantur, & ni faciãt,

XII. 4. Christi argum.

Chrys. ho. 42. in Matth. Hieron in Comment. Anselm in Comment. Imperfect. Esth. 13. 9.

peccant: quia Christo contrariantur. Mundani Principes nullam habent authoritatem in illos, qui alijs subiecti sunt Dominis, atque ideo generaliter dicere non possunt; *qui non est mecum contra me est*: sunt enim qui neque pro ipsis stant, neque contra eos. Vnde non nisi de subditis suis hoc dicunt, qui ad hoc obligantur; vt suos Dominos iuuent, ni ipsorum velint dici ac haberi aduersarij. A CHRISTO nullo est exemptio; vna namque eademque res est, non esse cum ipso, & ipsi contrariari: item, eidem non contrariari, & cum ipso esse. Itaque sicuti hic dicit; *qui non est mecum, contra me est*: ita & alibi ait: *qui non est aduersum vos, pro vobis est*.

Luc. 9. 50.

Duo tãtũ genera hominũ.

Disce hinc *primo*; nullum reperiri hominem, qui non aut bonus sit, aut malus: omnes vel sunt in gratia Dei; illius amici, vel inimici; digni cœlo, vel inferno. Itaque quilibet vel ad cœlestem tandem perueniet beatitudinem, vel ad perpetuos gehennæ cruciatus; nullum enim datur medium. Qui in purgatorio degunt, Dei sunt amici, illicque ad tempus solummodo ab ijs expiantur peccatis, pro quibus hic sufficienter non pœnituerunt; vt sic eo purgatiores, ad regnum pertingant cœlorum. Hac de causa noli tibi ipsi imponere, putans te non fore malum, quando non notabiliter delinquis: si in Dei gratia non es, contra illum es; ipsius hostis es, quantumque sanctus videaris. Infantes, priusquam sacri baptismatis fonte renati sunt, & ab originalis peccati labe expiati, Deo sunt contrarij, illiusque inimici; adeo vt qui non baptizati hinc discedunt, Christi aduersarijs socientur, licet proprium seu actuale nullum commiserint peccatum. Nascuntur enim cum originali, quo & voluntas à Deo auersa est, & anima Dei gratia spoliata. Renatorum vero anima diuinæ gratiæ amictu vestitur, & voluntas ad Deum conuertitur. Hæc est Ecclesiæ, à multis eximiæ eruditionis Patribus, maximè vero B. Augustino, ante annos mille ducentos, varijs diuinarum Scripturarum testimonijs, aduersus Pelagianos comprobata fides.

Infantes non baptizati.

Hom. 19. in fin.

Disce *secundo*, quod Imperfectus notat; si is Deo aduersatur, qui cum Christo nõ est; hoc est, qui bonis operibus eius volun-

voluntatem non implet: quanto minus cum illo est, qui contra ipsum est, malis nimirum actibus ei aduersando? In extremo iudicij die damnabuntur, qui proximo non subuenerunt; verum qui furto, aut alia re iniusta, eidem nocumẽtum inferunt, grauiorem sustinebunt damnationem. Inter illos qui cum Christo non sunt, sed ipsi aduersantur, diuersi existunt gradus. Sunt etenim qui longius ab illo absint, sunt qui propius; pro peccati grauitate, ac voluntatis obstinatione. Qui de confessione cogitant, necdum propinqui sunt, sed appropinquare incipiunt. Qui vero hoc necdum concipiunt, neque tamen noua committunt peccata, sed interdum boni quid operantur, remotiores sunt. Remotiores adhuc, qui nec bonum agunt, nec malum. Omnium remotissimi, qui & multum committunt mali, & boni nihil. Quilibet hic Christianus suam ingressus conscientiam, sedulo secum despiciat, an cum Christo sit, vel non. Cum Christo esse, est, cum ipso aduersus hostes decertare: cũ illo amicos, & homines communes habere: eius honorem potius, quã, priuatum emolumentum sectari, Christi inimici sunt peccatores, ipsaque peccata: prout Sapiens ait; *odio est Deo, impius ac impietas eius.* Si peccatum, aut malum aliquod tibi complacet, superbia, auaritia, luxuria, ebrietas, nõ es cum Christo. Immò nisi pro viribus, hæc vitiorum monstra quam longissimè à te profliges, à Christo remotissimus es. Si detractione delectaris, & mundi vanitate, ac propijs sensualitatibus, cum Christo non es. Si delinquentibus familiarem te reddis, vt ad ipsorum delicta non ingemiscas, neque de prospero inimicorum Christi (quales inprimis sunt Turcæ, ac hæretici) successu doleas; sed magis ita te habes, ac si hæc ad te omninò non pertineant, cum Christo non es. Si denique ita vitam instituis, quasi in conspectu, ac præsentia diuinæ maiestatis non degeres, cum Christo non es. Hoc scias qui hic cum Christo non est, non solum in hac vita, verum etiam in sequenti contra ipsum fore, atque ijs locis acturum, qui Christo omnino contrarij sunt. CHRISTVS enim cum suis degit in cœlo, in totius mundi loco altissimo, lucidissimo, pulcherrimo, amplissimo, iucundissimo: vbi nulla rerum

Matt. 25.

Gradus eorũ qui non sunt cum Christo.

Esse cum Christo, quid?

Sap. 14. 9.

indigentia, ſed bonorum omnium affluentia, vbi inſignis Beatorum Angelorum exercitus, ac celeberrimus glorioſiſſimorum Sanctorum numerus: vbi perpetuæ Dei laudes, ineffabilis lætitia, & exultatio. In quo fœliciſſimo conſortio, qui cum Chriſto non fuerit, cum dæmonibus perpetuo erit in inferno, loco totius mundi profundiſſimo, tenebroſiſſimo, fœtidiſſimo, anguſtiſſimo, horribiliſſimo. Vbi malorum omnium abundantia, bonorum omnium indigentia: vbi abominabilis dęmonum, ac damnatorum omnium, nunquam non Deum blaſphemantium, propriaſque miſerias deplorantium, ſocietas. Vidè horum locorum vter tibi arrideat; ijſque te nunc ſocia, qui hanc, vel illum occupant.

2. Pars ſuperioris ſententię.

Altera ſententia eſt: *qui non colligit mecum, diſſpergit.* Non ſolum illi Chriſto contrariantur, qui cum *ipſo* nõ ſunt; verum etiam omnia noſtra, quæ facimus, opera, vel cum Chriſto, vel contra Chriſtum ſunt: hoc eſt, vel bona, vel mala ſunt.

Opera dupliciter conſiderantur.

Quod vt accuratius intelligas. Nota dupliciter nos de operibus diſſerere. *Primo* generaliter; conſiderando eorum ſpeciem. Vnde hoc modo nonnulla opera bona, laudabiliaque ſunt: nempè dare eleemoſynas, orare, ieiunare, &c. Nonnulla mala vt furari, occidere, iurare, &c. Quædam nec bona, nec mala, vt ambulare, laborare, loqui, edere, ac bibere.

1.

2. *Secundo*, particulariter, conſiderando ea prout à quolibet fiunt, quando non ſolum naturam operis, verum etiam circumſtantias attendimus. Operis enim bonitas, vel prauitas, non ex ſpecie tantum prouenit, ſed etiam ex circumſtantijs, quæ interdum opus ex ſpecie bonum vitiant, verbi gratia, orare, ac dare eleemoſynam, more Phariſæorum; vt nimirum, videaris ab hominibus. Interdum faciũt bonum, quod vice verſa malum erat; nempe cum quis necatur, aut mulctatur, ex iuſtitia, &c. Inter circumſtantias, etiam intentio numeratur; qua quid fit, & ſine qua nihil omnino agitur. Hæc ſi bona eſt, etiam opus bonum erit, ſi mala malum. Itaque nullus actus neuter dici poteſt, vt non vel bonus, vel malus ſit. Eſt enim aut ex ſua natura bonus, maluſve; aut ſaltem ex intentione. Hoc pacto ambulare, laborare, loqui, edere, bibere, bona ſunt, ſi recta intentione, ad bonum finẽ, fiant:

Mich.6.5.

An detur actus neuter.

fant: mala vero, si aliter. Licet verò hæc intentio, bonum opus queat efficere malum; non tamen sola sufficit, vt opus malum, efficiat bonum. Cuius ratio est: quia, *bonum constat ex integra causa*: & requirit omnes circumstantias bonas; adeo vt si vna earum desit, bonum non sit. Sic si in ieiunio, oratione, aut alia quauis actione, aliqua desideratur circumstantia; nempe, vel recta intentio, vel moderatio, &c. censeri debet potius mala, quam bona. Opus autem quod ex natura sua malum est, non potest sola intentione bona, effici bonum, propter malum quod in se habet: vnde si bonum effici debet, ab alijs virtutibus debet informari v. g. vt homicidium efficiatur bonum, ac laudabile facit iustitia: quãdo quis ob flagitium iuste, & via debita occiditur. Vnde liquet, peccare eos, qui ob bonum aliquod mentiuntur; cum mendacium ex sua natura veritati, quæ Deus est, contrarietur, ac nulla intentione queat effici bonum.

Intentio quid possit in moralibus.

SCIENDVM præterea duorum esse bonorum operum genera: quorum alia vocantur, *actus morales*; qui ad rectæ rationis dictamen fiunt: alia vero *Christiana opera*: quæ ex gratia Dei fiunt. Horum autem discrimen in eo est, quod prima non solum à bonis fiant, verumetiam à malis; hæreticis, ethnicis, ac Iudæis: cum ex rectæ rationis regula parentes honorant, pauperes adiuuant, Deum precantur, &c. Verum his nec cœlum promerentur, nec peccatorum veniam consequuntur, nec Deo placent, nec gratiam impetrant. Itaque non omnia eorum opera, (sicuti nonnulli de bonis infidelium actibus peruersè dicunt) peccata sunt. *Naturaliter* namque *ea quæ legis sunt*, inquit Paulus: *faciunt*; secundum naturalem conscientiæ ductum: cui si quis reluctetur, eum delinquere hisce verbis idem docet: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Hoc est, vt communis habet interpretum expositio; si quis faciat aliquid, contra id quod credit faciẽdum, nempe contra suam conscientiam, is peccat. Alia vero sunt *Christiana opera*, quibus maius nobis in cęlo pręmium acquirimus: cum ex gratia Dei fiant, quæ meritorum omnium fons est, & origo; iuxta illud Pauli: *Gratia Dei vita æterna*. Disce ergo *primo*, omnia opera filiorum Dei, hoc est iustorum,

Actus Morales.

An omnia infideliũ opera sint peccata. *Rom.* 2. 14.

Ro. 14. 24.

Actus Meritorij. *Rom.* 6. 23. Docum. 41.

Opera iustorũ vel merentur vel demerentur.

rum, vel meritoria esse, vel peccata; quia, aut per gratiam Dei bona intentione fiunt, aut mala; non ad honorem Dei, ad quem omnes nostras actiones dirigere, Paulo monente, debemus. Alioqui vanæ sunt: de quibus non minor in die iudicij reddenda erit ratio, quam *de verbis otiosis.*

1. *Cor.* 10. *Colos.* 3. *Mat.* 12. 36

Secundo, nõ requiri, vt cum opus aliquod auspicamur, actualem habeamus ad Deum intentionem, hoc namque in quotidiana rerum tractandarum varietate, foret impossibile. Sufficit semel saltem hoc concepisse, vt cogitemus nos de cætero ita victuros, actuosque, vti filios Dei decet: quibus incumbit, vt nihil nisi ad eius honorem, agant.

2. Qualis intentio requiratur ad meritum.

Tertio, omnia Christianorum opera, non solum bonitatem ex Dei gratia mutuari debere; verumetiam ex recta ratione. Deo nihil gratum quod iustæ repugnat rationi: multa tamẽ grata, quæ per gratiam supra rationem fiunt: sicuti cum facultates pauperibus erogamus, vt voluntaria paupertate ei famulemur.

3.

Quarto, nos hic solummodo loqui de operibus illis, quæ homo facit quatenus homo, hoc est, ex propria voluntate. Quicquid enim naturaliter fit, sine ratione, nec bonum est, nec malum; nec peccatum, nec meritum. Talia sunt opera infantium, vsu rationis carentium, item dormientium: & illa, quæ ex improuiso, naturæ ductu, facimus; scil. oscitare, sedendo agitare pedes, aut manibus gesticulari, &c. Atque huc vsque exposuimus, quo pacto omnes hominum actiones vel bonæ sint, vel malæ, iuxta Philosophorum placita: & secundum Christianorum doctrinam, vel meritoria, vel peccata.

4.

Duodecim modis opera Christi colligũt, & diaboli dispergũt.

NVNC consequenter docebimus, quo pacto opera Christi cum ipsius ministris colligãt: diaboli autem, ac satellitum ipsius, dispergant. *Primo*, Christus hominem, cum Deo vnit, reconcilians suos Patri offenso, nosque filios Dei efficiens; largiens nobis sacratissimum corpus suum, & Spiritum S. Sic Patrem orabat, vt nos *cũ ipso vnum essemus*: nempe diuinę maiestatis domicilium, in quo Sanctissima Trinitas commorandi sibi locum deligeret. Diabolus verò dispergit, quando nos à Deo studet auellere, ac alienare, veluti Cain, qui à facie Dei fugerat.

1. *Ioan.* 17. 21 *Ioa.* 14. 23. *Gen.* 4. 14.

2. *Secundo*, Christus vnit, quando nos retinet intra

nos:

nos; hoc est, quando nos ipsos, nostrasque cogitationes, & actiones studiosè obseruamus. Quemadmodũ Paulus Timotheum admonebat, *vt se ipsum* custodiret. Diabolus autẽ dispergit, quando nos extra nos, cum filio prodigo, propellit, qui tandem difficulter *ad se* fuit *reuersus*. Facit namque, vt in aliorum hominum actiones, defectusque oculos deflectentes, nos ipsos negligamus. *Tertio*, Christus vnit, seu colligit nos in precibus; Diabolus animum, ad diuersas rerum sæcularium vanitates, distrahit. *Quarto*, Christus passionum nostrarum inclinationes colligens, vincensque, rectæ rationi eas subdit; quemadmodum equi cum in curru colligantur, ab auriga conuenientius regi possunt. Ita namq; Angelus Domini Saræ ancillam Agar remittebat, vt sub manu eius humiliaretur. Diabolus passiones nostras soluit, ac rectæ rationis imperio subtrahit, vt libere hominẽ ad quęuis mala precipitem trahant. *Quinto*, Christus in nobis congregat virtutes, quibus promereamur, atq, in cœlesti regno nobis spiritalem paremus thesaurũ, quo deinde læti illic perfruamur. Diabolus dissipat omnia, peccando enim, omnia, quę virtutum studio acquisiuimus; nempe, gratia, ac amor Dei, aliaq; merita perduntur. *Sexto*, Christus in ouili suo hominem colligit, in sancta scil. Ecclesia, sub vno capite, Vicario suo, vnaque fide. Diabolus inde extractos dispergit: quia non desiderat obedientiam, sed propriam voluntatem, non sinceram fidem, sed proprię persuasionis cõmenta. *Septimo*, Christus est lapis ille angularis, qui ex Iudæis, ac Gentibus, cæteriſque nationibus omnibus, vnũ spiritale efficit corpus: non solum per vnum eundemque, quem nobis largitur, spiritũ, verumetiam per vnum corpus, quod in sacra Eucharistia sumimus; per quod, iuxta Pauli doctrinam, *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus*. Diabolus diuersas efficit sectas, tum ex Ethnicis, varia idolorum portenta colentibus; tum ex hæreticis, diuersa dogmatum monstra fingentibus, ac inter se discrepantes Synagogas, &c. faciẽque vt rarius quis SS. Eucharistia vtatur.

Luc.15.17. 3. 4. *Gen.16.9.* 5. 6. *Ps.117.22. Mat.21.42 Eph.2.20.* *1.Cor.10.17.*

Octauo, CHRISTVS in religione homines coniungit; vbi sub obedientia, ac voluntaria paupertate, nihil proprij sibi 8.

ven-

vendicant, sed sunt illis omnia communia, omnibus vna voluntas; vt vni superiori morem gerant. Diabolus inde eos studet eijcere, vt quisque in proprietate viuens, ex voluntatis suæ arbitrio faciat, quod velit. Atque hinc dispersi modo huc, modo illuc, vagabundi cursitant: nonnulli ad
9. hæreticos, alij ad tepidos Catholicos. *Nono*, CHRISTVS in vrbibus congregat ciues bonis legibus, moribus, pace, vnitate, concordia, charitate, sub Magistratus obedientia. Diabolus dispergit per seditionem, & rebellionem, facitque vt in exilium protrudantur, vt Superioribus immorigeri sint, ac rebelles, vt vacent rapinis, incendijs, latrocinijs:
10. per quæ miseri ciues abiguntur, separãturque. *Decimo*, Christus virum ac fœminam coniugij Sacramento copulat, quo fit, vt qui antea vnam habebant, in duobus corporibus, animam, mutuæ charitatis vinculo, etiam vnum nunc corpus
Matt.19.5. efficiantur, per immaculati tori consortium, quo Christi
Heb.13.4. Ecclesiam prolis fœcunditate multiplicent. Diabolus per adulterij crimen, aliasque luxuriæ species, per quas & coniuges separantur, & liberi disperguntur, disiungit. *Vndecimo*,
11. *Actor.2.* CHRISTVS in Pentecoste vnicuique Apostolorum cognitionem linguarum largitus est, vt sic vnanimiter mundum, ad agnitionem nominis sui, conuerterent: docens omnes, vnanimiter DEVM laudare, animasque lucrari, cuiuscun-
Gen.11.7. que etiam linguæ ac nationis simus. Diabolus per peccatum, homines qui antea vnius erant labij, per variarum confusionem linguarum, dispersit, & hodierno etiam tempore, odia, ac dissensiones inter diuersas nationes, concitat. *Duodecimo*, CHRISTVS hominem cupit colligere, & ad
12. *In Comm.* illud vnicum in cœlo BONVM perducere, vbi vera, vt inquit Anselmus, erit vnitas, quando secundum B. Pauli
1. Cor.15.28 dictum, *Deus erit omnia in omnibus*. Diabolus in hoc mundo hominem dispergit, ad diuersas rerum mundanarum distractiones: ad honores, opes, voluptates, externasq; occupationes: instar Pharaonis, qui dispergebat filios Israel
Exod.5.12. per omnem terram Ægypti, vt conquirendis paleis tempus perderent.

CÆTERVM diligenter notandum. CHRISTVM non

non dicere : *Si quis non colligit*, ſed adiungere, *mecum*. Nam & diabolus, & mundus etiam colligunt, at non cum Chriſto. Mundus quidem colligit opes, dignitates, beneficia, ſuppellectilem pretioſam, ſplendidas veſtes, *impletque promptuaria ſua, vt eructent ex hoc in illud*, quemadmodum Regius canit Pſaltes; tandemque dicit : *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos*. Verum enimuerò, omnia hæc morte diſperguntur. Nonnulli opes inter ſe diuidunt, alij dignitates ſibi vendicant, quilibet de pretioſa ſuppellectili, veſtibuſque ſplendidis capit, quod poteſt; corpus interim vermibus in prædam cedit, ab ijſque depaſtum, in cinerem, pulueremque conuertitur, oſſibus hinc inde diſſipatis, anima in gehennam protrahitur. Diabolus verò etiam colligit; *primo*, omnia, ac ſingula peecata tua; ſiue venialia illa ſint, ſiue mortalia; nihil omnino relinquens intactum. His, vt in reuelationibus S. Brigittæ legimus, replet codicem, quem contra te in iudicio proferet. *Deinde* pœnas, ac tormenta. Nam ex peccatis nutrimentum ignis, & ligna efficit, inquit Eſaias, vt æternum ardeas : *& torrentes ſulphuris, ac picis*, ſed ſemper maiori cum fœtore vt ignis ardeat. Si venialia peccata purgatorij materiam, *ligna, fœnum, ſtipulas* faciunt ſecundum id quod Paulus loquitur, iuxta B. Gregorij, aliorumque patrum expoſitionem, multo magis ex mortalibus efficietur *ſulphur, ac lignorum ſtrues*, vti Hebraicus textus Iſaiæ habet. Ad hanc materiam diabolus gehennæ ignem præparat, vt eam inflammet. Inſuper & flagra & reſonantes malleos, vincula, vermes, anxietates, omniaque tormentorum genera, quibus non vnum aliquod duntaxat membrorum tuorum, verum totum corpus vna cum anima perpetuo excarnificabitur. Hic quidem guſtu in ciborum delitijs delinquis, ea de cauſa totum corpus tuum cum diuite epulone in inferno pœnas luet. Lingua abuteris ad detrahendum, iurandum, mentiendum, maledicendum, &c. verum illa *totum maculat corpus*, inquit Beat. Iacobus, *& inflammat rotam natiuitatis noſtræ*. Furaris manibus, verum corpus vniuerſum ideo gehennæ vinculis conſtringetur, atque in exteriores tenebras conijcietur. Quemadmodum enim

Mundus etiam colligit. *Pſ.* 143. 13. *Luc.* 11. 19.

Diabolus colligit. 1. *Lib.* 6. *Reuel. c.* 39. 2. *Iſai* 30. 33. *Item* 34. 3. 1. *Cor.* 3. 12. *Lib.* 4. *Dial. c.* 39. *Iſai.* 30. 33.

Luc. 16. *Iac.* 3. 6.

ore

ore hauritur venenum, quo occiditur corpus; ita peccatum vno solo membro perpetratum, totum hominem, corpus, & animam, excruciabit.

XIV. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem : & non inueniens, dicit; reuertar in domum meam vnde exiui.* Arbitrantur nonnulli, Christum verba hæc ad illum, quem à diabolo liberauerat, direxisse, vt à peccatis sibi deinde cauens, non incideret denuo in idem periculum. Simili modo paralyticum, quem apud probaticam pis-
Ioan.5.14. cinam curauerat, admonuit, dicens: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Verum quandoqui-
Mat.17.45 dem Christus apud Matthæum subiungit : *Sic erit & generationi huic pessimæ*; patet ea Iudæis, & maxime Pharisæis dicta, blasphemantibus Christum, quod à diabolo obsideretur, eiusque vi reliquos dæmones eijceret. Quamquam Christus ita temperare solitus sit parabolas, vt etiam alijs possint accommodari: nam & hęc de qua nunc agimus, potest per applicationem intelligi de reditu diaboli ad hominem, è quo semel est egressus.

Spiritus simpliciter, quid?

Nota *primo*, Scripturam cum verbum illud *Spiritus* simpliciter sine addimento ponit, semper Spiritum sanctum intelligere : Cùm autem de diabolo loquitur, addere aliquid : nempe *Spiritus malus*, qui exagitabat Saul; & apud
1.Re.16.23 *Osea 5.4.* Oseam, *Spiritus fornicationum*, Item *Spiritus vertiginis*, qui ho-
Isa.19.14. *Isa.29.10.* minem rectæ rationis vsu spoliat : *Spiritus soporis*, qui torporem corporibus, animisque conciliat. Et hoc loco *Spiritus immundus*, quo nomine sæpius tam in veteri, quam in nouo

Spiritus immundus.

testamento vocatur dæmon, cuius est, omnia contaminare, quique immunditiam, quasi naturaliter, imbibisse videtur. Nascitur hæc immundities ex peccato, quo vbi te polluisti, immundam quoque efficit animam tuam, ac diabolo
Nah.2.10. similem. Ita Nahum Propheta : *Facies eorum*, inquit, *sicut nigredo ollæ.* Ad quid ergo externus corporis ornatus, cum interius diabolica nigredine, deformitate, immunditiæque deturpatus es?

Diaboli impotentia, & malitia.

Nota *secuudo*, diabolum semel eiectum, non posse se quo velit, recipere : alioquin nequiter quicquid hominem, è

quo

quo profligatus eſt, aliquatenus concerneret, nempe, pecora, arbores, ædes, agros, perderet, &c. Vnde poteſtas eius limitatur, vt ſolum arida perambulet; hoc eſt, loca infrugifera, ſolitaria, arenoſa, ſabuloſa, & inuia, Quemadmodum draco ſtetit *ſuprd arenam maris*, cum è cœlo eſſet deiectus. Per hæc autem *arida & inaquoſa loca*. Gregorius intelligit corda iuſtorum, nullo malarum cupiditatũ humore conſperſa, quæ aduerſus quoſuis tentationum inſultus induruerunt, vt nullo modo ad diaboli obſequium emolliantur. Hos etenim callide ſolet explorare, ſi quis forte pateat angulus: verum quando videt nullis eos ſubiectos paſſionibus, tentationum inſtrumentis: alio digreditur. Delectatur enim vt ait B. Iob *locis humentibus*, hoc eſt, hominibus exterius pulchrè ornatis, interius tamen virtute vacuis, & paſſionum humore plenis. Quemadmodum calamus, ſeu arundo interius vacat, lociſque paludoſis creſcit, ſpecioſis decoratus folijs, quæ leuiſſimo ventorum flatu magnum ſibilum edunt. Quo minoribus agitaris paſſionibus, eo minus loci in te reperiet diabolus: quo firmius in bono perſiſtis, eo citius à te fugiet. Qui *ſupra arenam maris* conquieſcit, hoc eſt, homines leues, mundanos, inſtabiles, qui quouis ventorum flatu agitati, facile à melioris vitæ præpoſito reſiliunt.

Apo. 12. 18.

Loca arida quæ. *Greg. li.* 33. *Mor. c.* 3. 4. 5.

Loca humentia. *Iob* 40. 16.

Ap. 12. 18.

Nota *tertio*, diabolum vbique venari quietem, ſed nuſquam ſtabilem inuenire: Nam quemadmodum febricitans non inuenit ſolidam quietem, etiam in molli toro, quia ratio inquietudinis in ipſo eſt: ita & diabolus quocunq; ſe recipit, gehennæ cruciatus circumfert, ijſque excarnificatur: quia & odio, rancore, & faſtu vehemẽter torquetur. O verè miſerabilem damnatorum ſtatũ, quorum nullo tempore aliqua requies, nec exiguum ſolatium, nec minima aquę guttula! Nihilominus, videtur diabolus aliquid cõſecutus quietis, quãdo odium in aliquẽ poteſt exſpuere, eũq; & hic, & in gehenna perpetuis tormentis cruciare. Quemadmodũ iracundus, nõnihil dicitur conquieſcere, quando exerto animi rãcore ſe poteſt vlciſci. Hoc modo diabolus quieſcebat, quãdo Antiochũ Regem horribili tormentorũ genere excarnificabat:

3. Notab.

Luc. 16. 24

2. *Mach.* 9. 3.

& He-

Ioſeph. l. 17. antiq. c. 8. & Herodem, de quo Ioſephus: & ex illo Euſebius refert,
Euſeb. l 1. hiſt. c. 8. quod ineffabiles ſuſtinuerit, circa vitæ finem, cruciatus, & alios nonnullos. Deo ita ad eorum emendationem permittente, talibus in agone eos cruciat tormentis, quorum animas paulò poſt ſecum ad tartara abripit. Caue ab hac diaboli quiete, qui pro modica, quam hic interdum indulget, reſpiratione, æternas conciliat inquietudines.

4. Notabile. Imperfectus ho. 42

Nota *quarto*, diabolum ſemel occupatos, egerrimè relinquere: & ſi per confeſſionem expellatur, parat tamen reditum. De quo Imperfectus, *Grauis & intolerabilis eſt primus diaboli impetus. Quod ſi quis forti animo ſuſtinuerit eum, in ſecundo inueniet infirmiorem, in tertio magis debilem. Et quanto plus repercuſſus fuerit, magis refrigeſcet. Vnde in perſecutionibus Chriſtiani, ſi inprimis quando comprehenduntur, non denegauerint territi, nullis potuerunt poſtea vinci doloribus.* Quia diabolus non tantum in ſe habet virtutis, quantum terroris; adhæret homini adinſtar catti, patienter præſtolantis ad foramen, è quo muris perſenteſcit odorem. Hinc ſcribit Caſſianus dæmonem quendam continuos quindecim annos, cuidam Monacho ſtruxiſſe inſidias, vt eum ad lapſum impelleret. Immò nec B. quidem Paulum omiſit, licet toties ab eo profligatus, nihil in eo haberet aut virium, aut poteſtatis. Quo ſæpius à Sanctis abigitur, eo frequentior, vt D. Auguſtinus inquit, ſolet redire. Quapropter vigila quia ſemper intentos in te dæmon habet oculos; neq; tantum Gregor. teſte, malos inſectatur, quantum bonos.

Collat. 8. c. 16.

2. Cor. 12. 7

Hom. 10. in Apoc.

Greg li. 33. Mor. c. 8.

5. Notabile. *Hieron. in 1. c. Mab.*

Nota *quinto*, cum B. Hieronymo; quod diabolus hominem, *ſuam* vocet *domum*: non quod ad ipſum pertineat, vel commorandi illic legitimum habeat domicilium; ſed quod illud olim ante baptiſmum occupauerit, eiuſque circumſtantias omnes nouerit, atque etiamnum fortaſſis illic nonnihil, quod ad ſe pertineat, reliquerit: nempe inueteratas vitiorum paſſiones ad peccatum procliues. Vnde Venerabilis Beda hæc Chriſti exponens verba, inquit; *verſiculũ hunc magis extimeſcendum, quam explicandum*; ne peccatum nos opprimat, quo carere nos iam putabamus. Rarum eſt, vt peccator omnibus diaboli reliquijs exuatur, quando diu eum poſſi-

Beda in Commen. Peccandi conſuetudo.

possedit. Multum valet ad peccatum peccandi consuetudo, vt intellectus peccatorum malitiam non consideret, aut negligat, quo vitiorum sordibus opertus limo instar, vti Dorotheus ait, delitescit, caue ne diabolo in te locum aperias, abominabile est Sanctissimæ Trinitatis domicilium, in quo Pater, Filius, & Spiritus S. hospitium sibi deligerunt, conuerti in turpissimum diaboli stabulum. *Doroth. in Exercitijs.*

Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & adsumit septem alios Spiritus secum, nequiores se: & ingressi habitant ibi? Matthæus adiungit, quod veniens inueniat domum *vacantem*; tria ergo reperiuntur in domo, siue in homine, quæ dæmonem ad reditum alliciant. *Primo*, quod domus *mundata* sit; hoc est, homo per Sacramentalem confessionem à vitijs expiatus. Ad tales namque reuertitur libentius, quam ad illos qui graui peccatorum sarcina pressi, de confessione nihil cogitant. Idque *primo*, ad diuinæ maiestatis grauiorem contumeliam, cuius domicilium iterato ingreditur: violans Christi sponsam, animam scilicet, à peccato per Dei gratiam expurgatam, quam instar Lenonis, turpiter prostituit. *Deinde*, vt hominem grauiori implicet peccato. Grauius Dei gratia semel benigne oblata repudiatur, cum ad pristinas peccatorum sordes redimus, quam non accipitur. Iuxta illud B. Petri: *Melius est non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod traditum est sancto mandato.* *Tertio*, Quia talibus quasi noue confederatis, sibi arctius deuinctis, regnum suum stabilit & auget, ac bonos efficacius oppugnat. Velut si quis alicuius castri transfuga, ad hostes deficiat, & suos imbecilliores efficit: & quibus se adiunxit animum viresque auget. Nota tamen, non simpliciter hic dici, domum fuisse *mundatam*, sed adiunge, *scopis*: vt significetur scopis non semper omnium sordium expurgari illuuiem: cum in pauimento quod anno integro lutosis pedibus conculcatur, multæ sordes, adeo indurentur, vt ferreis debeant abradi ligonibus. Simili modo multi Christiani, varijs rerum temporalium occupationibus toto anno immersi, multisque peccatorum sordibus quasi inueterati, semel aut iterum ad confessionem annualem accedunt; con-

XIV.

Matt. 12. 44.

Tria alliciunt dæmonẽ ad reditum.

Primum.

Cur ad hos dęmõ libens redeat.

1.

2.

2. Pet. 2. 31

3.

Scopis mundari.

fitentes quicquid obiter (nec enim debite se discussérunt) in mentem venit. Absoluti deinde, iniunctam sibi persoluunt pœnitentiam, ac scopis probe videntur mundati. Verum fundamenta vitiorum nondum abrasa sunt, sed superficies: ideo tales confessiones desiderat diabolus, quibus maiores illæ maculæ non absterguntur. Qui hoc pacto confitentur, illi *primo*, ob negligentiorem conscientiæ discussionem, non omnia legitime exponunt. *Secundo*, raro cum vera peccatorum contritione accedunt, quorum numerum, grauitatemque non considerant. *Tertio*, ob inueteratam peccandi consuetudinem, non adhibent conuenientia emendationi remedia. *Quarto*, non fugiunt peccandi occasiones: nempe alterius sexus conuersationem, commessationes, garrulitates, &c. ex quibus incontinentia, ebrietas, detrectatioque prouenit. Ideo multa in talibus inuenit dæmon, per quæ ad reditum allicitur. Patet enim in ijs ostium, quo putat se denuo posse ingredi. Si omnino velis ab illo exonerari, confitere sincere, pleneque. Et si forte longo id tempore non feceris, dies aliquot deligas, quibus omni diligentia te præpares, sedulo tecum considera, singulorum circumstantias peccatorum; item numerum, speciem, grauitatem, discute occasiones peccati, & mala quæ inde tibi prouenerint, quæ iniuste acquisieris, quod scandalum liberis, alijsque domesticis dederis, & id genus alia. Grauia sunt hæc, ac densæ sordes, quibus conscientiæ nitor obfuscatur. Ab his ergo omnibus totus debes purgari vt nihil relinquas, quod nouæ peccati occasio sit. Memineris quid responsi dederit Moyses Pharaoni, dicenti, vt iret sacrificatum Domino, ouibus, ac armentis in Ægypto relictis: Immò, inquit, *cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex ijs vngula*. Etenim si quidquam rerum suarum illic filij Israel reliquissent, potuissent forsitan tentatione permoti, de reditu cogitasse. Si nolis arborem crescere, radicitus eam euelle, quam radicibus relictis amputaueris, repullulascet; sine vlla mora concubinam abige, res male partas restitue, occasiones peccatorum deuita, neque vllo modo animam facias publicam peccatorum viam: ora cum Psalte regio; *viam iniquitatis amoue à me.*

Negligẽtis cõfessionis mala.

1.
2.
3.
4.

Examen cõscientiæ.

Exo.10.24

Ibid.26.

Ps.118.23.

Inde

Inde vero ad scopas te conferens, aqua compunctionis, & (si potes) vndis lachrymarum conscientiæ tuæ pauimentum adsperges: adhibitis duabus scopis: quarum *prioribus* veteris confitendo peccata, eaque cum sincero emendationis vitæ proposito ita scopando, vt denuo non committas: in quo Sacerdos opitulabitur tibi, tollens reatum peccati, quantum ad culpam. *Posteriores* vero sunt pœnitentiæ exercitia, quibus etiam à peccatorum pœna liberaberis, si digna fuerint, & debito modo susceptа. Itaque si in hunc modum sæpius scopaueris conscientiam, hoc est, potius octauo quoque die, quam rarius, tunc diabolus nullam habebit redeundi occasionem.

Scopæ duæ. 1. 2.

ALTERVM est, quod inueniat domum *ornatam*. Quod tribus potest intelligi modis. *Primo*, quidem: de vero animarum ornatu, quem quilibet Christianus percipit: tum, in confessione per Dei gratiam, qui non solum peccata ei condonat, verum etiam donis sancti Spiritus, aliarumque virtutum muneribus exornat, totamque animam diuino amictu cooperit: tum etiam in sacræ Eucharistiæ sumptione, quando Christus proprio suo sanguine eam ornat, suisque meritis condecorat. *Secundo*, de simulata, vti Venerabilis Beda exponit, ac fictitia sanctitate; qua multi bona aliquot opera faciunt, vt videantur & honorentur ab hominibus. *Tertio*, de externo corporis ornatu, quod tunc splendidius solet exornari, quando aliqua agitur festiuitas; vel Eucharistia suscipitur. Persuadent sibi hominum plerique, necessario sumendũ tunc præstantiorem amictum, vt Christum honore aliquo videantur afficere, quemadmodũ eundem colimus in Ecclesia aureis argenteisque hierothecis, calicibus, alijsque donarijs: sed decipiuntur misere. Huiusce modi namque magnifico templorum ornatu, nemo nisi Deus honoratur, ad cuius solius cultum omnia hæc adhibẽtur: nempe altarium paramenta, vestes sacerdotales, aliaque Ecclesiastica suppellex. Verum corporis ornamentis, tuum solummodo expolitur corpus, ac sæpe anima maculatur: tum, ob tempus, quod inutiliter poliendo, comendoq; insumis: tũ, ob vanã tui ipsius complacentiam; tũ denique,

Secundũ quod ad reditũ allicit. Trib. modis inuenit dæmõ domũ ornatam. 1. 2. 3.

Ho.40. in Euang. Luc.16.19 ob nouitatem, qua mundi ineptias ſequeris; & ob ſuperfluos, quos ijs impendis, ſumptus. Vnde recte Beatus Gregorius. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod ſi videlicet culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues ille epulo, qui torquetur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa, niſi ad inanem gloriam, quærit; videlicet, vt honorabilior cæteris eſſe videatur. Nam quia pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quod nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, vbi ab alijs non poſſet videri.* Nemo ergo exiſtimet in luxu, atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe. *Quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Paulus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: non in veſte pretioſa.* Similiter & Beatus Auguſtinus: *Exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto ſunt interioris maiora detrimenta. Quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior adornatur.* Hinc Bernardus curioſam veſtiũ formam, deformitatis mentium, morumque, indicium eſſe ait. *Sordidæ autem veſtes, candidæ mentis indicia ſunt*, inquit Hieronymus. Cæterum Diuus Bernardus varijs, pulcherrimiſque rationibus demonſtrat, non eſſe iam tempus, vt veſtium immoderato ſplendore exornemur, dicens: *Si Chriſti membra volumus inueniri, ſequendum nobis eſſe ſine dubio caput noſtrum; vt videlicet prima nobis reparandarum ſit ſollicitudo animarum, pro quibus ipſe iam venit, & quarum prius ſtuduit mederi corruptioni. Corporis vero curam illi tempori magis reſeruandam, & in illum diem differendam, quo reformandi corporis gratia eſt venturus.* Quæ quidem hic non ideo à me dicuntur, vt cum ſordidis immundiſque veſtibus ad menſam Domini accedamus, ſed vt doceamur. *Primo*, non ideo omittendam communionem, quia pretioſis non ſumus induti. *Secundo*, non placere eos diuinæ maieſtati, qui ſumptuoſo ac indecenti ornatu, quem per Apoſtolos, Prophetaſque inhibuit, ſacratiſſimum eius ſumunt corpus. Peccatis his Deus inhonoratur. *Tertio*, quod habenda ſit cura ornatus animæ, quam Deus ingreditur: vt

Idem ho.6. in Euang. circa princip.

Matt.3.4. 2.Tim.2.9.

Ser.18.de Apoſt.in fine

Ber.l.3. de conſid.c. vlt.

Hier.epiſt. 4.ad Ruſt. ca.2.

Ber.ſer. 6. de Aduen. Domini in princ.

Scopus ſuperioris doctrinæ.

Iſa.3. Ezec 7. 2.Tim.2.

in ea

in ea bonis operibus, desiderijs, orationibus, meditationibusque exornanda, plus collocemus temporis, quam in ornatu corporis. Licet contrarium plurimi faciant, qui horas aliquot insumunt corporis cultui, medietatem autem non impendunt animę: quibus fastidio est quotidianum sacrum; festis, Missæ, Concioni, ac vespertinis precibus cum tædio interfunt. Auari in Deum sumus, eiusque sponsam. Timendum profecto, vt post hanc vitam suæ maiestatis gloriam nobis illiberaliter communicet.

Tertium quod ad reditum allicit.

TERTIVM est, quod S. Matthæus adiungit de *vacuitate* domus. Vnde cum diabolus domum inuenit *vacantem*, eiusque & ianuas & feneſtras patentes, facilè potest ingredi. Post sumptam Eucharistiam multi persuadent sibi, quod ad nihil obligentur, nisi vt quiete resideant in Ecclesia, vel per plateas prætextu visendorum templorum ambulent: interea vacant garrulitati, detractioni, alijsq; nænijs; nec oculorum debita est cura, nec quæ audita visaque, ex animo eijciuntur. Quæ reuera magna diaboli, duo per hoc mala operantis, est tentatio. *Primo*, namque, hominem hoc modo à frequenti communione auocat; ingerens non esse Sacramentum hoc toties, cum insigni temporis iactura, iterandum. Alioquin impossibile, vt famulæ domesticas obeant functiones, aut alij suis vacent operibus. Hæc autem tentatio specie virtutis palliatur: quasi ob Dei reuerentiam fiat; interim verè est diabolica. Nec illicitum est, nec indecēs, post Eucharistiæ sumptionem, ordinariæ se dare functioni, ac paulum sese cum Deo vnire, aut etiam à prandio nōnihil honesta sese recreatione oblectare. Verum illud malum, ac culpabile est, si mox post ipsam communionem vacemus eis quæ nunquam licēt. Exemplo tibi sint sacerdotes, qui quotidie in sacrificio cōmunicant, ac sua interim negotia expediunt. *Secundo*, ex hoc otio occasionem peccati accipit. *Nec etenim habet callidus hostis*, inquit Bernardus, *machinamentum efficacius, ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur.* Vnde, *otiositas*, vt ait idem, *mater est nugarum, ac nouerca virtutum.* Qua de causa recte admodum B. monet Hiero. vt *semper aliquod faciamus operis, quo diabolus occupatos nos inueniat.*

Diabolus duo mala ex domus vacuitate quærit.

1.

2. *Ber. in fine ser. 19 super Cātica Ber. l. 2. de cōsid. c. vl. Hier. epist. 4. ad Rust. ca. 5.*

Leo ser.14. *Cassian. Collat.6. c 14. Bern. Ep.341.*

inueniat. Qui autem otiosus est, nihil operatur boni, atque ideo secundum id quod S. Leo X. Cassianus, ac Bernard. dicunt, *magis deficit, quam proficit*, dans nimirum diabolo locum in corde otioso.

Non oēs otiantur, qui non laborant manibus.

Sciendum tamen, non omnes vacare otio, qui corpore, manibusque non laborant, vt sæcularium nonnulli male opinantur, & maxime Mechanici; quibus nullum aliud exercitium est, quam quod manuum vsu perficitur; sequentes nimirum quendam Gulielmum de S. Amore, docentem circa annum Domini 1250. Religiosos omnes mendicantes, debere manibus sibi victum potius parare, quam ostiatim stipem emendicare; qui paulò pòst mala morte obijt.

Tria exercitiorum genera.

Tria sunt exercitiorum genera, quibus se homines occupant.

1. *Primum* est, corporale illud, quod manibus pedibusue fit, omnium scil. minimum, licet plebei homines pro præcipuo, imo pro vnico habeant. In hac namque laboris occupatione, præcipua hominis pars intellectus nimirum, potest aut vacare otio, aut inanibus detineri; prout in mechanicis quotidie liquet: qui operando de mundanis plerunque loquuntur: sicuti bestiæ quæ sine intellectu, aut rationis vsu laborant.

2. *Secundū*, internum, quod sola peragitur anima; vt est orare, meditari, legere. Quod Angelorum, aliorumque Beatorum spirituum est, qui ex hoc beati sunt, quod Deum videant, possideant, ament. Illud ipsum est, quod in Magdalena laudabat Dominus, cum diceret: *Mariam optimam elegisse partem, quæ non auferetur ab ea.* Hoc autem omnium est difficillimum, iucundissimum, vtilissimum. Nulla quippe, res maiori coniuncta difficultati, quam vt sine distractione oremus, ac meditemur: nulla etiam exercitatis iucundior, quam vt Deo hoc pacto vniantur: nulla denique vtilior, quam vt per diuinarum rerum contemplationem in præsentia Dei, sine passionum distractione præsentem vitam recolant, ac futura disponāt. Vnde Ethnicum illum Publium Scipionem, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cicero: *nunquam se minus otiosum esse, quam cum esset otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset.* Et Socrates aiebat, *otiositatem optimam esse possessionem.* Qui namque externarum rerum occupationib.

Luc.10.24

Li.3. Offic. in princ.

non

non distrahitur, intellectum potest occupare cogitationib. vtilibus. Ideoque vita contemplatiua omnium est perfectissima, & Carthusiani, quorum præcipuum munus est, vt diuinarum rerum contemplationi iugiter insistant, in supremo perfectionis gradu computantur. *Tertium*, externum simul cum interno, quando & corpus, & ingenium eodem tẽpore occupamus: vt contingit in concionibus, publicis lectionibus, disputationibus, consultationibus, Sacramentorum administratione, Missæ oblatione, cantu Ecclesiastico, &c. quorum fieri nihil potest, sine vsu ingenij, corporisque exercitatione, vt ita proximo opitulemur. Vnde considerantes omne opus bonum, quod vel proximo, vel nobis ipsis impendimus, de sursum esse: operæ pretium fuerit, vt qui tertiæ huic cupit insistere actioni, se ipsum primo in secunda exerceat: nempe orando, meditando, studendo: vt eruditione acquirat, quod alios doceat: per meditationem gustet ea, quæ scit; sicq; se ipsum prius, quam alios moneat; per orationem autem, cœlestis auxilij opem imploret, vt cum profectu, proximo suam eruditionem communicet. Vnde *primo*, sequitur: Religiosos manibus non operantes, otiosos non esse, aut sine labore victum mereri: quia plus laboris est in ingenij vsu, quam in corporis exercitatione. *Secundo*, sequitur; nos non solum corporali labore, sed etiam internis meditationibus posse apud Deum promereri. *Tertio*, posse nos omne tempus quod vigilantes transigimus, cum fructu ac emolumento expendere. *Quarto*, istum laborem corporalem magis esse meritorium, qui per internam intellectus operationem, actualius ad diuinæ Maiestatis honorem refertur. *Quinto*, multos etiam, licet magna cum sedulitate, graui insistant operi: quemadmodum pueros otiosos dicimus, qui ædiculis ligneis construendis, aut crepundijs exornandis tempus insumunt. Semper vtilibus insiste, & quanquam minimè negotiosus, aliquid saltem operis age, ne omnino otiosus sis. Nam prout celebris ille Marcus Attilius aiebat, *melius est otiosum esse, quam nihil agere*; hoc est, præstat in otio de negotio cogitare, quam magno corporis conatu nihil efficere boni.

3.

Consectaria ex dictis.

1.

2.

3.

4.

5.

Attilii Reguli Apophth. Diabolus quid faciat domo vacante.

Diabolus cum domum suam vacantem & exornatam
1. inuenit, tunc septem facit. *Primo*, namque, vadit: quo signi-
Li. 2. Mor. cap. 13. ficatur *primo* permitti ei à Deo, inquit Gregorius, vt desiderium suum perficiat. Quemadmodum Scriptura ait, *Sathan egressum à facie Domini*, postquam facultatem obtinuerat B.
Iob. 1. 12. In 1. Iob. Iob pro voto excruciandi. *Secundo*, ipsius celeritas, vt dicit Olympiodorus, ad perficiendum malum, & diligentia, si nactus sit peragendæ rei occasionem. *Tertio*, quod hoc nuntium etiam Principi suo significet, vt ab eo auxiliares copias
2. accipiat. *Deinde, assumit*; auxilium scilicet; ea tamen conditione vt ipse primarius sit actor, quia ex fastu neminem supra se patitur. Quem fastum omnes superbi ab ipso discunt, qui
3. etiam nequitia gestiunt videri superiores. *Tertio, alios spiritus.* Dicunt Doctores nonnulli, omnes Angelos, tam bonos, quam malos, adeo natura à se differre, sicuti diuersi generis flores: vt lilia, rosas, narcissos, &c. aut etiam diuersa animantia, nempe feles, canes, mures, glires, &c. Sicque specie inter se differunt; adeo vt *alij* sint, ac diuersi à se inuicem. Possumus etiam dicere, quod *alios* sibi adsciuerit *spiritus*, hoc
4. est aliarum omnino functionum: nonnulli enim ad superbiam inflammant, alij ad auaritiam, &c. *Quarto*, quod *septem*
Luc. 8. 2. adsumpserit, quo numero malitiæ plenitudo significatur.
Greg. ho. 33 in hom. in Euang. in princ. & Imperfectus. ho. 30 in Matth. Quemadmodum ex Maria Magdalena *septem* dæmonia eiecta legimus. Vnde septem secum capitalia adducit vitia, vt hominem in malo perficiat. Tu verò infœlix, quo pacto cum his nequissimis spiritibus contendes. Si enim non quiescis, quando vel pulex ingreditur aures, vel leuis catarrhus in dentes defluit, quomodo cum septem dæmonibus
5. tutò, ac pacate ages, eosque in anima tolerabis. *Quinto*, hosce omnes *nequiores se*; vt in primis discamus, quod qui par-
Doctrin. 3. ua negligit, facilè ad maiora, vt rectè Dorotheus ait, prolabatur. Sic Dauid ex otio in adulterium, ex adulterio in
2. Reg. 11. homicidium incidit. *Deinde*, quod posteriora peccata prioribus communiter sint deteriora: idque, tum, propter hominis, è peccato semel erepti, ingratitudinem, tum quod vnum peccatum alliciat alterum, quodque maiori

cum

cum affectu ad illa quæ sæpius iterauimus, reuertamur. Hinc est quod B. Augustinus inquit; *cupiditatem carnis expulsam per pœnitentiam à consuetis operibus, cum non inuenerit in quibus delectationibus requiescat, auidius redire, & rursus hominis mentem occupare.* Quia tunc citius ad pristinæ voluptatis delectationem redi- 6.
tur. *Sexto*, septem hos spiritus *ingredi* in hominem, quia affectus mouent, & voluntatem in malo detinent: & corpus in- 7.
gressi, ad omne flagitiorum genus illud inflammant. *Septimo*, quod *habitent ibi*, facientes hominem in peccatis obstinatum; sic vt efficiatur peior, quam antea fuerat. Cõsidera quã miserabilis sit peccator, qui à recto virtutis tramite declinauit: virtute adhære, ne si inde desciueris, totus confringaris. Ante omnia autem otium deuita, da operã vt aliquid quotidie boni opereris. *Impossibile* namque *est*, inquit Dorotheus, *hominem semper in eodem statu permanere, sed aut peior fit semper, aut melior. Quare qui saluari cupit, abstineat non solum à malo, sed & bonum faciat necesse est.*

Lib. 1. q. Euang. c. 8

Dorothe. doctr. 12.

Et fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. Æger semel à XV.
morbo curatus, si re incidat, in maiori versatur periculo, quã ante; ita qui semel peccatis sunt exempti, si ijsdem denuò inquinentur, periculosius agunt: vt quo status vnde exorbitarunt sit altior, eo quoque lapsus sit deterior. Sic Iudas è sęcularis vitæ cõuersatione, ad Apostolicę perfectionis apicem à Christo euocatus, in supremũ flagitium incidit; vendens pditoriè Dominum ac Creatorẽ suum, amore pecunię. Similiter & Religiosi, quos diuina misericordia, ex mundi huius fæcibus extraxit ad Monasticũ institutũ, si inde apostatæ resiliant, in magnas plerumq; incidunt ærũnas, graueśq; miserias. Vnde hæresiarcharũ plerique, vel fugitiui fuere monachi, vt Eutyches Cõstantinopolitanus Abbas. Lutherus, Bucerus, Oecolãpadius, Petrus Martyr, &c. vel deploratæ vitæ Episcopi: quẽadmodũ Macedonius Cõstantinopolitanus; Dioscorus, Alexandrinus, Petrus Gnaphæus, Antiochenus, Photinus, Sirmiensis: Priscillianus, Abulẽsis in Hispania Episcopi, &c. aut certè Sacerdotes impbi, vt liquet in Arrio, Berẽgario, Zuinglio, Carolstadio, &c. vel ad minꝰ clericatu initiati, veluti Iulianꝰ Apostata, Caluinꝰ, Beza, alijq; cõplures.

Simile. Recidiua quã noxia.

Exempla.

Quam enormiter hi omnes lapsi sint, significat vel solũ hæretici nomen: quo designatur supremum peccatum, quia tales teste D. Hieronymo, *omnem superant malitiã*. Ratio autem cur recidiuantes peiores sint, ac difficilius curentur, potest dari triplex. *Prima*, est in ipso diabolo: qui intentiorem taliũ agit curam: Estque similis Præfecto carceris, qui fugientem è cippo vinctum postliminio recipiens, arctioribus cõstringit vinculis, grauioribus manus pedesque ponderibus onerat, minus q̃ ante, libertatis indulget. Ita & ipse ad arctiorem captiui sui custodiam, septem sibi alios adsciscit dæmones, considerans anteactæ fugæ causas, si animaduertit, quod ad meliorem te frugem receperis, ex bonis aliorum monitionibus, cõcionibus, aut proximorum cõuersatione, omnia huiusce modi adminicula subtrahit, facit vt neque videas, neq; audias, quod ad compunctionem animum aliquatenus permouere valeat. Quemadmodum Auenirius Indorum Rex, omnia per quæ filius suus Iosaphat ad Christianæ fidei dogmata induci vllatenus potuisset, è medio tolli curauit, prout alibi diximus. *Altera* est, in delinquente; qui sibi in suo relapsu duplicat malum: *Primo*, ita vires eius per peccatum eneruantur, vt non facilè resurgat; *Deinde* ipsa vitiorum cõsuetudine ita cõstringitur, ac quasi vinctus detinetur, vt peccandi dulcedine, suauius in ijs commoretur. Operarij qui diutino labori adsueuerunt, nõ possunt esse otiosi: adeo vt nonnulli ad triremes damnati inde ob assiduam remigandi cõsuetudinem, discedere nõ optent. Ita & inueteratus peccator, qui in peccatis perseuerãs, *quasi aquam bibit iniquitatẽ*, hoc est non inuenit in illis quidquam impedimenti, neq; vllum cõscientiæ remorsum. Quem ideo Hieremias cum *Aethiopibus* cõparat, nõ valentibus mutare pellem: aut cum *meretricibus*, nolẽtibus erubescere. *Postrema*, est in Deo; qui talẽ deserit. Quemadmodũ namq; Medicus qui ęgrum restituit sanitati, eumq; de seruanda diæta, instruxit; si videat ipsum non acquiescere consilio, sed omnia contemptui habere, tanquam deploratæ salutis hominem deserit; ita & Dominus Deus sæpenumero dat nobis varia salutaris remedij consilia, auxiliaque: monet, immò & minis impellit, quibus vbi obtemperare, nolumus,

Hier in 18. Isai & 16. Ezech. Triplex ratio cur recidiuãtes peccatores ægrius curentur.

1.

Damasc. in vita Ioasaphat & Barlaam. Dom. 12. post Pent. §. 11.

2.

Iob. 15 16.

Hier. 13. 23 Hier. 3. 3.

3.

tunc

tunc missos nos facit, ac cum Laodicēsi Episcopo ex ore nos suo exspuit: dicens: *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Id est, si vel bonitatis meæ clementia, ad amorem mei incitareris, vel iustitiæ seueritate, ad metum compellereris; necdum de salute tua conclamatum esset. At verò quia nullam in te mutationem conspicio te desero; Sic olim Deus decē tribus Israël deseruit, & nunc omnes Iudæos: magno interim solatio est, quod salutis aditus peccatori, dum viuit nunquam penitus occlusus sit. Fieri potest vt alicuius eximiæ sanctitatis viri intercessione, tandē aliquando resipiscat. *Est peccatum ad mortem*, inquit Ioannes Euangelista; *non pro illo dico, vt roget quis.* Quia pro tali lachrymis Deus flecti debet, ieiunijs, vigilijs, alijsque pœnitentiæ exercitijs. Teste Bernardo. Quod qui potest, magnus Dei amicus esse debet. Neque Samuelis oratio Sauli potuit prodesse: neque Deus Moysis, Samuelis, Noë, Danielis aut Iobi preces exaudire voluit, orantiū pro salute filiorū Israël. Vnde Dominus Hieremiæ ꝓhibebat orare pro illis: *non enim exaudiam te*, inquit. Nonnunquam peccata tam sunt & grauia, & multa, vt Deus hominem à se totum abijciat. Quod tamen, quia nobis incertum; idcirco ꝓ quolibet omnia adhibenda media, vt à peccatis possit retrahi. D. Bernardus omne impēderat studium ad conuertendum Guilielmū Aquitaniæ Ducem, ac Pictauiæ Comitē, quia vnus è præcipuis erat, fouentiū partes Antipapæ aduersus Innocentiū II. expellens Episcopos è suis diocesibus; & multa, & horribilia perpetrās, vt nulla emendationis videretur superesse spes, quemadmodum & in superiori concione à me dictum. Quod cum attentius secum B. Abbas volutaret, adijt Ecclesiam, sacrū facturus. Comes vero excommunicatione ictus, præ foribus sustinebat, & frendens cōsuetas in virum Dei minas iactitabat. Ille cum peracta consecratione ac pace de more data, sacratissimum corpus Christi patenæ imposuisset, ignea facie, ac flammeis oculis foras egreditur, ipsumque Guilielmum terribilibus hisce verbis aggreditur: *Rogauimus te, & spreuisti nos, supplicauit tibi in altero, quem iam tecum habuimus, cōuentu seruorū Dei ante te adunata multitudo, & cōtempsisti. Ecce ad te processit*

Apoc. 3. 15.

4. Reg 17.

1. Ioan. 5. 16.

Gradu 12. humili.

1 Reg 16. 1 Hiere. 15. 1 Ezech. 14. 14.

Hier. 7. 16.

Bern. Bonæuallis Abbas li. 2 part. 6. vita S. Bern. Et Theobaldus c. 6 vita S. Guilielmi in to. Surij Sup. §. 2.

filius

filius virginis, qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ, quem tu perſequeris, adeſt Iudex tuus, in cuius manus illa anima tua deueniet. Nunquid & ipſum ſperes? Nunqnid & ipſum, ſicut ſeruos eius, contemnes? Comes his auditis, protinus diriguit, ac tremebundus metu, mẽbris proſtratus, nec oculorum aciem ad Bernardum cõuertere præſumpſit. Et quidem eleuatus à miniſtris, rurſus in faciem ruit, & ſaliuis per barbam defluentibus, alta ab imo pectore ſuſpiria trahebat. Tum vir Dei propius accedens, & pede accliuem ſtimulans, ſurgere iuſſit: *præſens eſt*, inquiens, *Pictauienſis Epiſcopus, quem iniurijs onuſtum, ab Eccleſia ſua expuliſti. Vade & reconciliare ei, & protinus in pacis oſculo iungito amicitiæ fœdera: & in ſedem reſtituito, redde pro ignominia gloriam. Subdere proinde Innocentio Papæ, & ſicut omnis eis obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo tanto patre Pontifici.* Dictum, factum. Comes etenim morem Abbati in omnibus geſſit, adeoque ſeſe emendauit, vt vitæ reliquum in omni ſanctitate tranſigens, Religionem Guilhelmitarum, à ſe ita denominatam inſtituetet, ac miraculis clarus, hinc emigraret. Quod ideo hic *inprimis* commemoro, vt doceam de nullius conuerſione deſperare. *Deinde*, quod eximiæ pietatis, ſanctitatiſque vir eſſe debeat, qui diſſolutorum hominum emendationem, apud Deum impetret. *Poſtremo* non ſatis eſſe ad hoc orationibus tantum inſiſtere, verum etiam omnia alia, quæcunque poſſumus efficaciſſima remedia, adhibere: cum diaboli vires multæ, ac magnæ ſint, qui difficulter ſuam ſibi ſinit prædam è faucibus eripi.

Videatur vita S. Guiliel. to. 1. Surij. 10. Febr.

XVI. *Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi.* Nouum hoc miraculum eſt, quod Chriſtus hic in fœmina operatur. Cum enim alij omnes eum calumnijs, blaſphemijſq; impeterent, & quidam eum inſanire, alij à dæmone obſeſſum, nonnulli magicarũ artium ſtudia obijcerent; hæc ſola inter omnes audito Chriſti ſermone, ex quo alij ſcandalizabantur, in vocem laudis erumpens, dignis eũ celebrauit præconijs. Idem Domino in cruce contigit; quãdo bonus ille latro, in tam frequenti hominum multitudine, ſolus eum agnouit; ac veluti Deum ſuum adorauit, quem cęteri omnes aſpernabantur, & irridebãt. Quod certe nõ ſine

Luc. 23.

ingen-

ingenti factum miraculo; quia Christus sine externis medijs, diuina gratia, corda eorum promouit: adeo vt mirum haud quaquam sit, tam paucos ex concionum nostrarum instructione ad meliora conuerti. Si Christo, cuius verba instar ignitorum carbonum vrebant, ac miraculorum gloria confirmata erant, fides non est habita; quo pacto nobis habebitur, qui & interius frigemus, neq; vllis, ea quę docemus, miraculis comprobamus? Interim non minorem meretur admirationem, ℣ hodie verbum Dei ex ore sacerdotis benigne susc ipere detrectemus, quam ℣ olim Christo Domino fides derogata sit. *Primo*: quod idem illud Dei verbum prædicamus: *Deinde*, ℣ toto nunc credente mundo, fidei veritas miraculorum signa non requirit. *Postremo*, quia Spiritus sancti gratia, in omnes Christi fideles abundè est effusa, qui corda auditorum incendat, & ℣ Concionatorum deest feruori, in auditorum animis suppleat. Fortè ideo non mouemur, quia quotidie verbum Dei, ex frigida audimus consuetudine, potius, quam ex vera deuotione. Nihilominus, si quis facinorosus ad ignem condemnatus, indies ab aliis intelligeret, ℣ in fine istius anni viuus esset flammis exurendus, nisi fuga salutem sibi pararet; audiretque simul media, quibus effugere posset: procul dubio sæpe partim metu, partim spe moueretur ad fugam. Videmus quam libenter ægri de remedio audiant, si fortè queant conualescere. Quod igitur nos remoratur quo minus ꝓmissis diuinis, vel minis vllatenus moueamur? Procul dubio diaboli ista fraus est, qui intellectum aufert, ne veritatem consideremus; & cor indurat, ne emolliamur. QVINQVE autem sunt in his Euangelicis verbis notanda. *Primum* est ℣ tacentibus nobilibus, diuitibus, eruditis, viris, Mulier quædam rupto silentio, veritatem libere ꝓfiteri fuerit ausa. Quo exemplo Deus nos docet, se per ea quæ sunt abiectissima, ac maximè infirma, virtutis suæ potentiam exercere, ad maiorem nominis sui gloriam. Sampsonis eximia fortitudo, non in manibus eius, alijsve membris. Sed in crinibus erat, quibus ad cutem resectis, cæterorum hominum more, inualidus reddebatur. Mulier hæc inter reliquos auditores animi constantia, vitæque probitate maximè

Concionũ parui fructus mirandi.

Quinque sunt hic notanda. 1.

Iudic. 16. 19.

ximè excellebat: quę etſi ratione ſexus fragilis verecundaq; eſſet, cæteros tamen confudit: ſicuti etiam hoc tempore multæ reperiũtur, quæ maritis fortius, q̃ Deo ſeruiunt; octauo quolibet die confitentur, & ſacram ſynaxin adeunt, non formidant publicis Catholicæ religionis exercitijs, ſuam apud omnes (quod prô dolor viri aliqui non audent) fidem profiteri.

2. Secundum eſt, *Quædam*; ſignificans non fuiſſe notam, quemadmodum de ignoto aliquo ſolemus dicere, eſt quidam. Nonnulli exiſtimant hanc fuiſſe *Martellam*, famulam Marthæ, quæ poſtmodum cum Domina ſua, & Lazaro, Magdalena, ac Maximino vno ex 72. diſcipulis, à Iudęis capta, ac naui impoſita, ſine vllo aut remige, aut gubernatore, cœleſti ope Marſiliam incolumis appulit. Diſcant ergo hic famulæ, nullatenus diuinum intermittere obſequium, etiamſi hominibus fumulentur: illarũ namque conditio plura habet Deo ſeruiendi media, quam vel dominorum, vel dominarum. Proximè namque ad ſtatum religioſorum qui in ſchola perfectionis ſunt, accedunt: cum tres euangelicas virtutes, quibus religioſi ſeſe ex voto adſtringunt, commodè queant æmulari. Nam quantum inprimis *caſtitatis* attinet ſtudium, nulla ipſis eſt difficultas: & in ſæculo degentes, illam poſſunt & animo concipere, & opere exequi, prout de ſancta Barbara, Catharina, Agnete, alijſque caſtiſſimis virginibus liquido conſtat. Ad *obedientiam* vero eas cohortatur Paulus, vt nimirum *Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis morem gerant, ſicuti Chriſto*. Quæ quidem conſideratio, verę obedientiæ fundamentum eſt: quando ſcilicet ſuperiorem aliquid præcipientem, non quaſi hominem, ſed quaſi Chriſtum Dominum, cuius vices gerit, attendimus. Itaq; poſſunt fideles famulæ, nõ minus ad perfectæ obedientiæ pertingere palmam, quam qui in clauſtris degunt religioſi. Quin & *paupertatis*, poſſunt aliquatenus adſequi meritum; *Primo*, quia tenuioris fortunæ communiter ſunt (ditiores namq; famulari recuſant) *Secundo*, quia p naturæ neceſſitate in cibo, potu, lumine, foco, nõ proprijs, ſed dominorum, dominarumque ſuarum rebus, parcè, frugaliterque vtuntur. *Tertio*, quia poſ-

In geſtis S. 2. Martha 29. Iulij.

Famulæ poſſunt etiam 3. Euangelicæ perfectionis conſilia æmulari. Caſtitatẽ.

Obedientiam. *Epheſ. 6. 5. Coloſſ 3. 22*

Paupertatem.

possunt quicquid vel vestium, vel nummorũ famulatu promerentur, instar pauperum tenuiter, & nõ ad superfluitatẽ impendere; succurrẽdo ex ijs quæ supersunt, vel amicis pauperibus, vel alijs. Hanc fœlicem famulantium conditionem Paulus cõsiderabat, cum scriberet; *Seruus vocatus es: non sit tibi curæ*; hoc est, nõ afficiaris seruiendi tædio. *Sed si potes fieri liber*, euadendo seruitutis iugum, *magis vtere*, manendo in seruitio. 1. Cor. 1. 21.

Tertium est, *De turba*; per quod duo designantur. *Primo*, hanc mulierem nõ fuisse de nobilium fœminarum numero, quæ nolunt sine singulari honore in turba cõsistere. Vt quotidie in nostris domicellis conspicimus, quæ inambulando, sedendo, stando, tam sunt curiosæ, vt non solum alias aspernentur; sed tãto ambitionis fastu turgent, vt publicè nõ erubescant stomachando, ac quiritãdo suã in præeundo, ac primo loco, impudentiam ꝓdere: ægre ferentes si quæ alia minoris dignitatis fœmina, ijs loco cedere detrectet. Tales nullatenus sunt de hac, Christum audientium, turba; sed de superborum dæmonum caterua. *Secundo*, mulierem hanc non gressu corporis venisse ad Christum; vt ei loqueretur, sed cõtenta voce, ex frequẽti hominum turba proclamasse: vt hinc doceamur, in rebus Dei honorem concernentibus, nullatenus verecundari. Non erubuit Dauid publicè coram arca Dei saltare, ac Michol vxorem suam, quæ despectui eum habebat, reprehendere. 2. Reg. 6. 21.

Tertium, per quod 2. designantur. 1. 2.

Quartum, ꝙ *extollens vocem suam*, altiori sono proclamauerit. Ex imo namq; sinceri cordis affectu, vt à quolibet audiretur, edebat vocem. Vtinam nostris etiam cõcionibus ita quisquam permoueretur, vt præ animi compunctione, clamorẽ cordis sui ad Deum eleuãdo exaudiretur. Hæc mulier vna è primis fuit, in quibus prophetia B. Virginis Marię, vaticinãtis *se ab omni hominum generatione beatam fore*, impleri cœpta est. Hæc namque altiori coram omnibus proclamat voce, id quod postmodum per totum terrarum orbem, longè, lateque, de huius sacratissimæ Virginis laudibus, promulgandum erat, quia in omnibus mundi prouincijs ac regionibus, ab omni creaturarum genere, eximijs laudum præconijs exornanda erat, vt nullus esset Orbis angulus, in quo Quartũ. Luc. 1. 28.

quo non ſingulari aliquo veneratioñis ſtudio foret colenda. Ex horum locorum numero in primis eſt Lauretũ in Italia, Mons Serratus in Hiſpanijs; Hallę & Aſpricollis, in Brabantia.

Quintũ ex quo duo docemur.

Quintum, quod hanc vocem publice ita ediderit, vt tamen eam ad Chriſtum referret. Vt hinc *inprimis* doceamur, quod honor ille qui Deiparæ Virgini impenditur, nullatenus Chriſto, eius filio diſpliceat, aut aduerſetur: cũ ex illius honore id ꝓueniat, atque ad ipſius honorem referatur. Nã ꝙ B. Mariam Dei genitricem, præ cæteris creaturis veneramur, ac colimus, ideo facimus; quia ipſius filius creaturarum omnium eſt Dominus: adeò vt certi ſimus ipſi gratum, quod ſanctiſſimam eius parentem reliquis omnibus dignitate, ac honore præferamus. Cum famulum aliquem ob honorem Domini ſui in pretio habes, eique benefacis; tum Dominum potius, quam illum honore afficis, iuxta illud Philoſophi; *Propter quod vnum quodque eſt tale ipſum eſt magis tale*: id; magis eſt amatum ob ꝙ amamus. Poteris hinc noſtrorum hæreticorum inſipientiam deprehẽdere, qui ſanctis honorem omnem inuidentes, fruſtra timent ſe Deo cultum debitum ſubtracturos; non conſiderantes, ꝙ per hoc Deum magis, quam Sanctos honorent.

1. *Ariſt. 1. de demonſt. in fine c. 2.*

2. *Secundo*, docemur, mulierem hanc nõ ꝓtuliſſe verba illa, ex aliqua leuitate, ſenſualitate, aut mundani ſpiritus inſtinctu, inſtar alicuius, quæ linguam (vt nonnulli hæretici ſacrilegè de illa ſentiunt) cõtinere non valuerit, ſed eodem illo ſpiritu, quo Eliſabetha olim dixerat.

Benedicta tu inter mulieres. Spiritus qui ex Deo non eſt, Dei genitrici, quæ malignorum ſpirituum hoſtis eſt, & aduerſatrix, honorem nullum deferet. Vnde Venerabilis Beda ait, mulierem hanc typum expreſſiſſe Eccleſiæ; quæ Sancti ſpiritus adflatu Mariam Virginem, per omnia orbis climata honorat, & inuocat.

Luc. 1. 42.

Beda in c. 11. Luc.

XVII. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Verba hęc felicitatem ſignificant B. Virginis, quod talem mundo ediderit, educaritque prolem: cum filiorum fœlicitas, parentum animos exhilaret, vt Salomon ait, *filius ſapiens lætificat patrem; filius vero ſtultus mœſtitia, eſt matri ſuæ.* quod quidem

Prou. 10. 1.

quidem duabus de causis fit. *Primo*, ex amore parentum erga liberos, existimantium sibi id fieri, quicquid fit pignoribus: quemadmodum vniuerso corpori bene est, quando vnum aliquod membrum cultu, aut honore afficitur. *Secundo*, ex cõmodo, vel incommodo, quod à liberis parentes exspectant. Vnde sicuti insipientes, ac peruersi filij, genitores suos contristant, immo Salomone attestante; *despiciunt*, ita ita prudens eosdem magnopere exhilarat. Hinc idem Salomon, magno honore matrem suam Bersabeam affecit, posito ei throno ad dexteram, & in occursum prodiens, eam adorauit, hoc est, ad terram inclinatus, veneratus est. Iustum namque est, ac æquum, vt parentibus necessitatis tempore filij subueniant, eosque alant, ac in honore habeant. Quemadmodum senior Tobias filium suum docebat, præcipiens: *vt honorem deferret matri suæ, omnibus diebus vitæ suæ.* Quantocunque etenim dignitatis titulo præemineant, etiam Principes, Reges, Cardinales, Pontifices, parentes tamen ea pollent authoritate, vt eos, si quid delinquant, admonere possint, & arguere. Ideo impie agunt, qui ad aliquem dignitatis prouecti gradum, despiciunt parentes, vt tanquam serui domestico incumbant famulatui: cum deberent in senio eorum studere quieti, illamque benigne ipsis indulgere, pro labore, quem in educandis ipsis sustinuere.

Prou. 15. 20

3. Reg. 2. 19.

Tob. 4. 3.

Nota hoc loco, quod sicuti duo bonorum sint genera, in liberis; ita duo esse parentum genera, diuersimodè de his exultantium. Sæculares qui mundano reguntur spiritu, maximè lætantur prospero temporalium successu, quando filios ad altiorem aliquem dignitatis gradum prouectos conspiciunt; hoc namque & magni æstimant, & inde honores, opes, aliaque emolumenta, sibi promittunt. Tales mundus beatos, fœliceque prædicat. Verum qui diuino reguntur spiritu, tunc se fœlices arbitrantur, si quando suos Deum reuereri videant liberos, eoque se beatiores prædicant, quo illi in virtutum studio maiorem indies profectum faciunt. Sciunt namque animi bona, ac sinceram in Deum pietatem, mundana omnia longè transcendere. Vnde de solida rerum

Nota. Duplex gaudium de liberis.

1.

2.

diuinarum, qua filij fruuntur, fœlicitate, lætantur: ſperantes ſe eiuſdem futuros participes, tum, ob merita quæ inde exſpectant, tum, ob preces, quas filij pro ipſis, tum hic, tũ poſtmodum quando defuncti erunt, effundunt. Huiuſcemodi namq; liberi ſemper ſunt ſolliciti, pro ſalute parentum, ſpiritualiq; profectu, imo & temporalium proſperitate. Sic exhilarabatur mater ſeptem Machabæorum, vidēs natos ſuos tanta cum alacritate, ac fidei conſtantia, pro patria lege occumbere. Cuius laudabilem zelum imitata S. Fœlicitas, totidem filiorum mater, ſuos ad martyrium exhortata, *Sic eos*, vti B. Gregor. ait, *poſt ſe timuit viuos in carne relinquere, ſicuti carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant.* Cum Anno Dom. 316. Sebaſte ciuitate Metropolitana minoris Armeniæ, quadraginta Chriſtiani milites, fidei cauſſa ab Agricolao Præſide deteti, poſt alia tormentorum genera, etiam crucifragiũ eſſent perpeſſi, ſicq; omnes exanimati, fuit inter eos Melito quidã, cui cum Tyrannus parcere vellet, acceſſit mater, monens filium vt conſtanter ageret. Cumq; alij omnes fœlices Deo animas reddidiſſent, & ſacra eorum corpora, ad ripam fluminis veherentur, Meliton (qui adhuc cum morte certabat) ſolus relictus fuit: quem pia genitrix, ne cæteris inferior eſſet, humeris impoſitum adhuc ſpirãtem, currus ſecuta, detulit dicens: *O nate, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne à choro deſeraris.* Qui in humeris matris lætam animam efflauit: cuius deinde corpus Maternis manibus ſuper reliquorũ fœliciſſima corpora proiectum fuit. Socrates, Sozomenus, & Theodoretus ſcribunt de fœmina quadam, quæ cũ anno Dom. 371. audiret Modeſtum, Edeſſenæ vrbis Præfectũ, ab Arriano Imperatore Valente, miſſum, vt Chriſtianos oēs, qui in campum conuenerant interimeret, eo quoq; gradum accelerauerit; vt inter primas reperiretur, adſumpto ſecum teneræ ætatis puero. Quam cum ita properantem Modeſtus conſpiceret, ac quo ſe conferret, interrogaret. *Ad campum*, inquit illa, *in quo populus Eccleſiæ Catholicæ coactus eſt, vt neci detur. Vnde celerrime feſtino, ne ſero veniam, & Martyrij palma ſpolier.* At cur quæſo, ait Præſes, infantem tecum ducis? *vt ille quoque*, inquit, *mortis optatiſſimæ particeps reddatur.* Hæc erant veræ Chriſtiano-

2. Mach. 7.

Hom. 3. in Euan. cir. prin. Baſil. orat. de 40. Mart.

Soc. l. 4. c. 14.

Sozo. l. 6. c. 18.

Tho. l. 4. c. 16.

ſtianorum matres, quæ de filiorum æterna ſalute, ad quam eos mundo ediderant exhilarabantur. Ceſſante autem perſecutionis procella, monaſterijs chara ſua pignora offerebant, vt diuino illic manciparentur obſequio, fœlices arbitratæ ſe, ſi ſuorum quempiam in perfectioris ſcholæ paleſtra decertantem, Chriſtoque militantem conſpicerent. Ita teſtatur Gregorius, Romanos nobiles liberos ſuos S. Benedicto Abbati, in diſciplinam tradidiſſe, non vacuos quidem (vt nunc, quando parentes ſuorum nonnullos in cœnobia detrudunt, ac paterna hæreditate excludunt, vt reliquos faciant opulentiores) ſed inſigni certe cum dote. Patrimonium namque totum, ſimul cum liberis, Deo in holocauſtum gratiſſimum offerebant, re ipſa demonſtrantes, ſe non filiorum affectu (quos hac ratione opulentiores reddere minime cupiebant) ſed ſincero Dei amore moueri, vt qui pro ſalute animarum ſuarum diuino ſeſe cupiebant addicere ſeruitio, ſine vllo monaſterij grauamine, commodius poſſent educari. Qui filios religionem ingredientes, ſine legitima cauſa paterna priuant hæreditate, non ſolum inique agunt, verum *in primis* pauperes eleemoſynis, (quæ monaſterijs ad tenuioris fortunæ religioſorum ſuſtentationem adſignatæ ſunt) ſpoliant. Vnde cum opulentiores relictis in ſæculo bonis paternis, Monaſteria complent pauperiores, qui illic Deo quoque famulari cupiebant, excluduntur. *Deinde*, Magnam Deo irrogant iniuriam, inquit Saluianus Maſſilienſis presbyter, cuius hæc ſunt verba: *Nunc nullus omnino minus à ſuis relinquitur, quam quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minus reſpicit, quam quos præcipue religio commendat. Denique ſi qui à parentibus filij offeruntur Deo, omnibus filijs poſtponuntur oblati: indigni iudicantur hæreditate, qui digni fuerint conſecratione: ac per hoc vna tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo eſſe pretioſi. Ex quo intelligi poteſt, quod nullus pene apud homines vilior eſt, quam Deus: cuius vtique ſit deſpectione, vt eos præcipue parentes filios ſpernant, qui ad Deum cœperint pertinere.* quod ipſum quoque grauiter D. Hieron. de ſuæ ætatis parentibus deplorat, dum inquit: *Solent miſeri parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos*

Li. 2. dial. c. 3.

Parentes qui filiis Religioſis non dant hæreditatem peccant. 1.

2. *Salu. li 3. ad Eccl. Cath fere in princ.*

Hier ep. 8. ad Demet. virg. ca. 4. in princ.

generos non inueniunt, virginitati tradere. Tanti, vt dicitur, vitrum, quanti margaritam. Certe qui religiosiores sibi videntur, paruo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in vtroque sexu secularibus liberis largiuntur. Fecerunt hoc multæ, proh dolor, nostri propositi fœminæ: atque vtinam rarum esset exemplum: quod quanto crebrius est, tanto aliæ fœliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla secutæ sunt. B. Lucia virgo, diuino seruitio sese dicatura, matri dixit, *omnia quæ mihi datura eras, eunti ad corruptionis meæ authorem*, sponsum scilicet carnalem, *hominem moriturum, da mihi eunti ad integritatis meæ Authorem Dominum Iesum Christum.* B. Hieronymus de Demetriade virgine loquens; *Fertur*, inquit, *& omnium Christianorum ore celebratur, quicquid fuerat nuptijs præparatum, à Sancta Christi Sponde Virgini traditum, ne sponso fieret iniuria: immo vt dotata pristinis opibus veniret ad sponsum: & quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum Dei sustentaret inopiam.* Itaq; recte Basilius B. Magnus, *omnino*, inquit, *ijs qui ad Dominum accedunt, necessaria, quæ ad ipsos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque prorsus quidquam subtrahere, ne sacrilegij iudicium incurrant.* Hæc illi sanctissimi Ecclesiæ Patres.

Sur. to 6. 13. Decem. epist. 8. c. 4

Re. 187. ex breuiorib.

Hactenus de vera parentum fœlicitate, quam ex filijs consequuntur, disserui; iam nunc ipsi vobiscum ruminate, quo modo sacratissima Dei genitrix ratione filij, ab hac muliere *beata* nuncupetur. Nullum illa in CHRISTO mundanum conspexit honorem, opesue; quia *pauper, & in laboribus à iuuentute sua, non habuit, vbi caput reclinaret*, vt de se ipso apud psalmographum, dicat: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*, & in præsenti Euangelio, nihil CHRISTO præter blasphemiam, & contumelias tributum est. Manifeste itaque colligis mulierem hanc neque CHRISTVM, neque ipsius genitricem de mundanarum rerum fœlicitate beatam prædicasse, sed ob inuisibilem, quam oculis interioribus conspiciebat, excellentissimæ dignitatis sublimitatem. Videbat CHRISTVM, hominę esse maiorem, dæmone mundi principe superiorem, quem cum tota malignorum spirituum caterua vnico verbo domabat. Vnde facile colligere poterat, eum & Dei esse Filium,

Psal. 87. 16. Mat. 8. 20. Psal. 22. 7.

lium, & ipsius matrem, omnem mundanæ fœlicitatis beatitudinem longe transcendere: quæ vt B. Bernardus inquit, non potuit altius ascendere, quam quod Dei efficeretur mater. Nam per huius dignitatis excellentiam, omnes superat creaturas, mediatrix inter homines & Deum. *Vellus nempe est medium*, ait, *in terrorem & aream, mulier inter solem & lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta, plena mansuetudinis & misericordiæ. omnis misericordiæ sinum aperiens, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Vnde altius intueri oportet*, eiusdem B. Bernardi verbis vtor, *quanto deuotionis affectu eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delitijs affluens: innixa super dilectum suum.* Hactenus Bernardus.

Medit. in Salue Regina. *Ser. de Apoc. c. 12.* *Serm de Natiu. B. Virg. Cant. 8. 5.*

Quod autem mulier hæc *ventrem, & vbera* castissimæ Mariæ virginis, nominatim exprimit, non ex leuitate, sed sancti Spiritus inspiratione est factum, qui nos per hoc quinque docet. *Primo*, Christum vnum esse Deum, qui in ventre matris suæ conceptus, ac natus, ab eodem quoque est lactatus, & educatus, licet id hæretici nonnulli inficias eant. *Secundo*, Mariam verissimam Dei esse matrem, quem in vtero suo baiulauit, vnde & summam consecuta est fœlicitatem, nempe ipsum Dei Filium. *Tertio*, quod vteri sui partum ipsa lactando enutriuerit, nulla aliunde adscita nutrice, vt nostri temporis domicellæ faciunt, simulantes se ob lactis defectum non posse suis vberibus admouere liberos: euitando nimirum hoc excusationis prætextu graue ac molestum nutricationis munus. Quas & Ethnicus ille apud Gellium culpat, & D. Basilius; dicit id naturæ instinctui repugnare, cum etiam mutæ animantes suos alant fœtus, nullo penitus parcentes labori. Quamobrem non frustra creditum est, sicuti ad fingendas animi atque corporis similitudines, vis & natura seminis, non secus ad eandem rem, lactis quoque proprietates valere. Quæ igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque & animum, benigne ingenitis primordijs inchoatum, insitiuo degenerique alimento lactis corrumpere, nec considerare peregrinarum nutri-

Quinque docemur per ventrē & vberaB. Virginis.

1.

2.

3.

Phauorin. apud Gellium l. 12. ca. 1. ho. 9. Hex.

cum temeritatem, ac incuriam, qua sæpe fit, vt infantes, vel negligantur, vel prauo lactis humore, à maternæ indolis natiua probitate degenerent? An non Caius Caligula naturæ crudelitatem ex nutricis suæ alimento hausit? An non Titus continuam ægritudinem, & Tiberius Cæsar bibacitatem inde traxere? *Quarto*, discis hinc eximiam huius castissimæ virginis Sanctimoniam, *quæ corpore & animo purissima fuit*, inquit Bernardus. Si namque *venter*, qui Christum portauit beatus fuit, hoc est minus principale membrum: per consequens reliqua potiora membra, vtpote caput, manus, pedes, &c. immo omnes animæ potentiæ, memoria scilicet, intellectus, & voluntas beatissimæ fuerunt, adeò vt rectissimè de illa dici queat; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Discis *quinto*, non fuisse in virgine inordinatas passiones, quæ ex ventre originem trahunt, sed quod à Deo instar primorum parentum, Adami, & Euæ, procreata, voluntatem suam, cũ diuina semper vnitam habuerit, omnesque vitiorum inclinationes rectæ rationi subiectas; ita quod originalis, nec actualis peccati labe, siue veniale, siue mortiferum illud fuerit, vnquam fuerit contaminata, vbi namque originale fuit peccatum, ibi solutæ sunt passiones, atque inordinate mouent, pro naturali inclinatione, inducentes interdum hominem in mortale peccatum, quando nimirum rectæ rationis clauum aliorsum detorquent, vel saltem in veniale, quando ex inopinato rationem anteuertunt. In MARIA ne minimum quidem peccati vestigium exstitit, ita vt quando de peccatis agitur, oporteat nos hanc solam excipere, vti post *a* Beatum Augustinum, rectissimè *b* Bernardus ait: Quin imò Diuus Bernardus illius *ventrem* quatuor egregijs exornat epithetis. Vocat namque eum *in primis c* locum delitiarum, in quo Dei filius, quasi in splendido tabernaculo requieuit. *Secundo*, *d* hortum voluptatis: ob multiplices virtutes. *Tertio*, *e* florentem campum, quod sine humana opera pulcherrimum illum florem CHRISTVM IESVM mundo protulerit. *Quarto*, *f* terræ medium, quod mortales omnes peccatorum pondere pressi, ad eam currant, sicuti grauia ad centrum.

4. *Ser de Natiu. B. Maria.*

Cant. 4. 7.

5.

a Li. de natur. & grat. c 36.

b Ser super Salue Reg.

c Ser. 2. de Nat. Dom.

d Ser 4. de Assum. B. Virg.

e In depre. s. 2 de Aduen. Dom.

f Ser. 2. de Pentecost.

trum. Dicit g *alibi* nullum fuisse in terris locum, digniorem vteri virginalis templo. Vide quo pacto, quotquot fuere sancti Patres, mulierem hanc sequantur, in prædicando sacratissimo huius beatissimæ Virginis vtero, è quo tanquam ex salutifero fonte, omnis nobis promanauit fœlicitas, summunque bonum; BEATA ergo VISCERA MARIAE VIRGINIS, QVAE PORTAVERVNT ÆTERNI PATRIS FILIVM. POTERIS hinc agnoscere impiam, ac sacrilegam hæreticorum nostrorum blasphemiam; docentium non solum cum originalis peccati labe MARIAM prognatam, verum etiam multa actualia commisisse peccata: nec cogitant. *Sapientiam non habitare in corpore subdito peccatis.* Non decuit matrem DEI diaboli esse mancipium; aut DEVM ipsum, qui summus peccati osor est, ex inquinato corpore sibi corpus adsciscere, qui ab esu, aspectu, ac odore casei abhorret, non edet quicquid ex caseo confectum.

g *Ser. 1. de Assum. B. Mariæ.*

Hæretici notati.

Sap. 1. 4.

Decebat, vt rectissime Bernardus ait, mediatricem Dei & hominum MARIAM Virginem omnibus esse præditam dotibus, quibus à Deo posset exaudiri. Vnde secundum corpus quidem erat ipsius mater, habens authoritatem imperandi filio; verum si secundum animam, non fuisset aliquo modo illi similis, carens scilicet peccatis, ac plena virtutibus, materna hæc ipsius authoritas insufficiens fuisset, vt pro nobis intercedendo, in omnibus exaudiri meruisset.

In Apo. 12. signũ| magnum apparuit, &c

Mulier hæc exclamans, *Beatus venter qui te portauit*, non intendit, tunc solum beatam fuisse MARIAM, cum actu CHRISTVM in vtero portaret, aut vberibus lactaret; sed quod tam ipsa, quam corpus eius semper beata fuerint, sint, & erint. Erat namque *gratia plena* antequam conciperet CHRISTVM, nunc plena est gloria. Eius sanctissimum corpus tanta erat ornatum sanctitate, pulchritudine, decore; vt terra indigna fuerit, quæ illud post obitum, in se retineret: ad cœlestis enim regni palatium Angelorum manus illud deportauerunt, secundum id, quod Psalmographus ait, *Surge Domine in requiem tuam.*

Luc. 1. 28.

Ps. 131. 8.

Copronymi impietas. Theoph. in Niceta & Suidas.

tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ, hoc est, sacratissimum illud corpus, quod nouem mensium spatio incoluisti. Sacrilegus iconaclasta Constantinus Copronymus, Imperator, aiebat illam quidem fuisse honore dignam, quoad vsque Christum gestauit in vtero, eum porro vbi enixa est, nihil fœminis alijs dignitate præstitisse: quemadmodum loculi auro referti, tam diu habentur in prerio, quam diu illud continent, postmodum verbo abijciuntur. Nihilominus tamen mulier hæc, etiam eius vbera, postquam Christum iam lactare desierant, beata fore prædicat. Itaque non considerabat sacrilegus, quod Christus ex hospitio materni corpusculi egredicus, hospitij pretium largiter cœlestis gratiæ dotibus persoluerit; perfundens eam multiplicibus sancti Spiritus donis, pro lacte illo, quod ex vberibus eius infantulus hauserat. Vnde & miserabiliter admodum vitæ finem anno 775. imposuit, vt cum se prælio accingeret, in crure diuinitus sit punitus, ac febri acutissima vstulatus vociferaretur, *se viuentem etiam propter Mariam Deiparam igni inextinguibili traditum, in eumq; coniectum.* Atque ita blasphemum reddidit spiritum: vt vel hinc pateat, Deum haudquaquam impunitum relinquere, si quis sanctissimam eius matrem blasphemet. Caue ab hæreticis, qui eius honori, inuocationique inuident: quin potius eam, vt par est, omni pietatis, ac deuotionis cultu, prosequere. Testatur Diuus Bernardus eius maiestatem tam esse immensam, ac ineffabilem, vt omnes humanæ linguæ in eius laude, balbutiant; quodque eius laus in æternum nunquam de ore Angelorum, hominumque recessura sit.

Refutatur

Theoph. & Georg Cedrenus

Serm. 3. in Salue Regina

XVIII. At ille dixit: *quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, In græco textu pro eo, quod nos legimus, *quin imo*: habetur μενοῦνγε quod est, *certe*, vel, *multo amplius*: ac si Saluator diceret: Mater quidem mea est modis omnibus beata, quod me in mundum produxerit, educauerit que, verum enimuerò multò adhuc beatiores sunt, qui verbum DEI audiunt, & custodiunt: ita vt non inuerit inficias, quin ita se res haberet sicuti mulier hæc dixerat; sed insinuat, absolutam matris

suæ

ſuæ beatitudinem, in eo nequaquam conſiſtere: cum multi Chriſti progenitores in inferno ardeant: nempe, Roboam, Achas, alijque improbi Iudæorum Reges: adeo vt potius ijs obſit, quam proſit, quod Chriſtus illorum fuerit filius, & magno dolore torquentur, quod à Chriſto, ſuo filio æternis gehennę cruciatibus adiudicati ſint, à quo inſigni honoris premio afficiendi fuiſſent, ſi vitam ſuam virtutum ſtudio tranſegiſſent. Itaque Chriſtus verbis his non intendebat mulierem hanc notare infamia, quaſi male locutam, nec ſuam parentē deſpicit, ac ſi beata non ſit, ſed *Primo*, auget eius digniſſimam prædicationem. Mulier hæc, debito laudis præconio eam ſecundum corpus ornauerat: cum in ſublunari hoc mūdo nulla queat maior eſſe beatitudo, quam Dei exiſtere matrem: cui Deus ipſe paret, cuiuſque dignitas ob infinitam diuinæ maieſtatis dignitatem, etiam aliquatenus infinita eſt, ergo debuit ſecundum animæ dignitatem, à Chriſto vlterius prædicari, cum ea perfectior ſit. Itaque ſignificat Chriſtus quod laudabiliter admodum de ſua matre ſentiret, ſed & omnia laudū eius præconia ſufficienter exprimeret, quaſi dicat: ideo adhuc eſt longe beatior, quod verbum Dei audiat & cuſtodiat: per hoc namque ſpiritalis mea mater eſt, concipiens me intra cordis ſui penetralia, meque bonis virtutum actionibus pariens, per quæ promeruit, vt carnalis quoq; mater efficeretur, vt canit Eccleſia, *Quem meruiſti portare.* Item: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ virginis matris, Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculū eſſici mereretur, ſpiritu Sancto cooperante præparaſti, &c.* Deus namq; ſingularem eius reſpiciens humilitatem, aliaſque virtutes, ideo ex eius corpore, ſuum maluit aſſumere, quam ex alterius fœminæ. Has autem virtutes ex diuini auditione verbi ſibi acquiſierat. *Secundo*, voluit Chriſtus docere, quid in eius ſanctiſſima matre imitari debeam⁹. Cum ſuis inculcaret, vt Patrem ſuum cœleſtem ſequerentur, non ait, Pater meus eſt omnipotens qui cœlum terramque vno verbo condidit, ſed: *eſtote perfecti, ſicut & Pater meus cœleſtis perfectus eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos.* Et de ſe ipſo, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ac ſi diceret: nō cupio vt vos homines vel me, vel Patrem meum potentia ſe-

Quinque hic docemur. 1.

Aug. ca. 3 & 5. de Sancta virginitate.

Luc. 1. 48.

2.

Matt. 5. 48

Mat. 11. 29

quamini, ſed charitate, perfectione, humilitate, ac mãſuetudine: ſic neceſſe non eſt, vt matrem meam, in ſua corporali maternitate ſequamini, ſed in audiendo, atque opere adimplendo Dei verbo, in quo diligentiſſimam ſeſe ſemper exhibuit. Vnde docet nos, vt non quęuis Sanctorũ facta, vel exẽpla ſectemur: cũ illorũ plurimi multa ſupernaturalia præſtiterint: qualia ſunt: miracula, horrẽda pęnitẽtia, ac caſtigatio, ſemel tãtum in hebdomada refici, aut nullum omnino cibũ guſtare: quemadmodum B. Catharinã Senenſem factitaſſe legimus: ſubdio cõſiſtere, ſine vlla ſeſſione, vel accubatione, vt de Simeone Stilite veterum produnt hiſtorię, &c. Hęc etſi imitari nec fas, nec poſſibile nobis, non tamen omnia eorum opera tanquam imitatu impoſſibilia reijcere debemus. Nullus vnquam exſtitit ſanctorum, quin aliqua ſaltem habuerit, quę imitari poſſimus, nempe humilitatem, obediẽtiam, patientiam, aliaque his ſimilia. 3. *Tertio*, voluit nos Chriſtus docere, inquit Chryſoſtomus, ſi eius mater ſine auditione atque impletione diuini verbi plene beata non fuerit, nos multo minus beatos effici: tum, quod ad beatitudinem pertingere valeamus, etiamſi de Chriſti cognatione non ſimus. 4. *quarto* diſcis, magnum eſſe ſalutis conſequendæ indicium, Dei verbum libenter audire, prout Dominus alibi teſtatur, *qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Ioan. 8. 47. Quapropter cum attendis ad Dei verbum, illudque ſæpe in corde tecum ruminas, verbiſque, ac factis adimplere ſatagis, lætandi habes occaſionem, quaſi in regia ſalutis via conſtitutus. Sin inuitus audis, quia nonnulla tibi proponit ingrata, aut quia lubentius vanis te applicares. &c. Eſt cur malũ vitæ exitũ timeas. Quemadmodum Achab Micheæ monitis acquieſcere nolenti, & Ioachim Regi, Vriæ Prophetæ, necem machinanti, accidiſſe legimus. 3. Reg. 22. 21. Hier. 26. 21 5. *Quinto*, docet Saluator, in quo conſiſtat vera beatitudo: qua de re olim inter veteres multiplices, variæque, (vt ad longum ediſſerit Diuus Auguſtinus,) erant opiniones: quarum pleraſque etiamnum hodierno tẽpore, apud mũdo deditos Chriſtianos, licet reperire: qui accuratius ſuę inſiſtunt ſenſualitati, quam diuinę legis operationi. Nemo mortalium eſt, qui non beatus effici cupiat, adeo

Lib. 15. de Ciui. Dei. c. 10. Omnes amãt beatitudinẽ.

adeo vt impoſſibile ſit, quempiam aliud quid optare, cum humana voluntas non queat niſi bonum eligere: verum pauciſſimi ſunt, qui obiectum verę beatitudinis norint. Nonnulli honorum ſummum bonum putant, alij opes, quidam voluptates, multi eruditionem aut aliud quid. Qui etſi ex fide errorem ſuum cognoſcant, re ipſa tamen oſtendunt, malle ſe ſtultiſſimæ gentilium philoſophorum opinioni, quam ſaluberrimę Chriſti doctrinę inſiſtere, qua de cauſa eorum quoque conſequuntur præmium, quorum ſecuti ſunt exemplum. Nouit Chriſtus qui ſupremam nobis beatitudinem dabit, in quo ea ſita ſit: ac proin multo æquius illi credere nos Chriſtiani debemus, quam vlli quantumuis doctiſſimo Philoſopho. Docet ergo nos Chriſtiana fides, hominem dupliciter eſſe, ac dici beatum. *Primo*, poſt hanc vitam, in cœlis, vbi ſumma beatitudo, in viſione ac fruitione Dei conſiſtit vt Chriſtus ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* *Secundo*, in hac mortali vita, vbi beatos dicimus, qui in regia ſunt via, ad æternam beatitudinem. De qua Chriſtus, tam in præſenti Euangelio, quam in alijs ſcripturæ locis, ſæpe diſſerit. Quæ quidem ſcripturæ nihil aliud ſunt, quam inſtructiones, ac documẽta ad æternam illam fœlicitatem perueniendi, adeo vt hic beatos illos prædicet, qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt. Quaſi dicat: vis ſcire modum, quo beatus eſſe poſſis? Dei verbum audi, & fac. Quæ ſententia Concionatores omnes, aliosque Catholicos Doctores inſtruit, qua intentione diuini verbi prædicationi debeant inſiſtere: nempe, vt homines ad cœleſtem patriam adducant. Ad hoc namque Dei verbum conſecuti ſumus, cuius argumentum, ac fundamentum eſt, Deum agnoſcere, & agnoſcẽdo, Deo frui. Sunt autem in hac Chriſti ſententia quatuor notanda, quæ nobis beatitudinis conſequendæ modum inculcant. *Primum* eſt, *qui audiunt*, eſt namque beatitudinis adipiſcendæ initium, Dei audire verbum: adeoque in primis longe diſtant ab hac, qui conciones non adeunt.

Pauci verã.

Beatitudo duplex.

1. *Ioan. 17. 3.*

2.

Quatuor notanda.

Primum. Beatitudinis initium.

Secundo qui non attente audiunt. *Tertio*, qui non credunt. *Quarto*, qui de ſuis admoneri delictis detrectant. *Quinto*, qui

2.

An lectio necessaria?

qui diuinas inspirationes non obseruant. Cæterum, nō dicit CHRISTVS, *qui legunt*, sed *qui audiunt*. Idque *primo* quia non omnes legere norunt. *Deinde* quia nō expedit cuique frequēs lectio: sunt enim, qui secundum propriam persuasionē, verbum Dei volentes exponere, nouam introducūt fidē. *Tertio*, ꝙ auditione efficacius moueamur, quam lectione; cum verbum Dei non detur nobis ad scientiam solum q̄ simplici ac nuda lectione consequi licet, sed vt salubriter compuncti tāquam vitæ regulam memoriæ altius infigamus: quod auditu melius, q̄ lectione consequimur. Itaque hac de causa semper prophetis suis in veteri Testamento Dominus ait: *Loquimini ad filios Israel*, & Paulus, *quomodo*, inquit, *credent ei, quem non audierunt*? Verbum Dei auditum magnam habet ad permouēdum hominis animum energiam, item ad consolationem, ac mœroris, qui sæpe cor nostrum affligit, leuamen, vt olim dixit Sanctus Clemens Papa.

Rom 10.14

Epist. 1.

Secundū. Verbum Dei non audiunt.

ALTERVM est, VERBVM non vocem solam, cuius & canes feleſque possunt esse participes. Verbum auditur ab his qui intelligunt, quiq; illud animo defigentes, opere studeant adimplere: vnde illi *inprimis* non dicuntur Dei VERBVM audire, qui aure corporis illud percipientes, cordis aure nō audiunt. *Secundo*, qui alijs illud potius, quam sibi audiunt: quales sunt illi, qui ad se illud nō putant pertinere: sed magis ad alium quempiam, cuius illic vitia perstringi arbitrantur. *Tertio*, qui ita audiunt, quasi remotissimū sit, veluti filij Israel, qui diuinæ iussionis minas, quas Prophetæ ipsis intentabāt, ac si longe adhuc abessent, contumaciter irridebant. Vnde hodierno tempore, multi etiamnum Christiani reperiuntur, qui diuinas de morte, aut extremo Dei iudicio comminationes, è suggestu audientes, taciti secum cogitant, non tam cito illas adfuturas, vitam autē se adhuc in annos multos posse producere. Tales audiunt vocem, quę per Ioannem Baptistam significatur, vocem inquam, quam Scriptura, Dei appellat *vocem*, & non *verbum*: Ioannes namque, non depræsenti, sed de futuro vaticinabatur. vnde discipuli ipsius, quos baptizauerat, & in sua doctrina instruxerat, debuerunt ab Apostolis baptizari, atq; Euangelicæ prædicationis verbo de-

1.

2.

3.

Isai. 28. 13.

Isai. 40. 3.

Act. 15. 4.

nuo

nuò inſtrui: vt per hoc nos Chriſtiani doceamur, diuina promiſſa, minaſque ita audire, ac intueri non vti longe diſſita, ſed quaſi breui adfutura.

TERTIVM eſt, DEI per quod in primis ſignificatur. quod non hominum, ſed Dei verbum audire, ac loqui debeamus. Illi autem cenſentur hominum audire verbum, qui plus ad eruditionem, aut eloquentiam concionatoris attendunt, quam vt ſalubriter compuncti vitam in melius emendent. Illi quoque Dei verbum non dicuntur prædicare, qui proprij capitis commenta, vel, vti Hieremias ait, vana ſua *ſomnia*, populo pro ſuggeſtu proponunt, ac pro puro Dei verbo obtrudunt. Quod omnibus commune eſt hæreticis, qui veteres diuinarum literarum expoſitiones repudiantes, ad ſuum palatum nouas ſibi indies excogitant. *Tertium.* Verbum Dei quid. 1. *Hier.23.7*

Secundo, quod non ſolum ſcripturam audire oporteat, verum omne id, quod Dei exiſtit verbum. Vnde non ait: beati ſunt qui *ſcripturas* vel audiunt, vel legunt, ſed qui audiunt *verbum Dei*. Illud namque longe eſt ſcripturis vetuſtius, quæ tunc necdum literis exaratæ erant, cum hæc verba Saluator loqueretur (eſt autem mihi hic ſermo, de nouo Teſtamento, cui fides noſtra præcipue innititur) neque breui poſt exaratæ fuerunt. Matthæus namque primus exſtitit, qui aliquid literarum monumentis conſignauit, atque ad poſteros tranſmiſit, nimirum octauo poſt paſſum (ſi Euſebio credimus) CHRISTVM anno. Inſuper & verbum Dei plus complectitur, quam Scripturæ, quemadmodum multis ex rebus conſtat, quas Chriſtiani etiam præter Scripturas diu vſurparunt. Ioannes quippe, ſecundum Epiphanij ſententiam, non niſi anno CHRISTI nonageſimo octauo, ſuum conſcripſit Euangelium, hoc eſt, poſt eius paſſionem ſexageſimo quarto: multa commemorans de Chriſti doctrina, paſſione, miraculis, quorum apud alios nulla omnino mentio: adeo vt ſine Scripturis hæc credita, obſeruataque ſint. Neque enim putandum eſt, quod omnia quæ ab alijs Apoſtolis, aut Euangeliſtis omiſſa videbat, ſcribendo recenſere voluerit: quippe qui 2. *In Chron.* *Hæreſ.51.*

Ioan.21.25 qui ipſemet teſtatur, CHRISTVM plura egiſſe, quam vllis
Greg.l.1. literarum monumentis queant conſignari. Ea propter plu-
ep.24. rima credimus literis non exarata, ſed in corde Sanctæ Ec-
Li.2 ep.10 cleſię conſeruata, cui non minor quam ipſis ſacrorum Euan-
Lib.3.ep.33 geliorum codicibus habenda eſt fides: quemadmodum
Metaph. ante Beat. Gregorium magni nominis meritique Abbas,
ex Cyr.11. Theodoſius, de quatuor primis Oecumenicis Concilijs
Ianuar. aiebat.
Niceph.l. QVARTVM eſt, CVSTODIVNT, quod non ita acci-
16.c.33. piendum, ac ſi ſatis eſſet, Dei verbum ciſtis, arciſque noſtris
Quartum cuſtodiendum tradere, aut memoria ſolum complecti, ha-
bendo illi fidem. Nam & Herodes audiebat, credebatque
Mar.6.20 Ioanni Baptiſtæ de verbo Dei diſſerenti, & Sacerdotũ non-
nulli, prout Euangeliſta ait, *credebant in Ieſum.* Inſuper & Eth-
Ioan.12.11. nicus ille Præſes Felix, vna cum Druſilla vxore *tremefactus* eſt,
Act.24.26 diſputante Paulo de iuſtitia, caſtitate, extremique iudicij ſe-
ueritate: qui tamen ideo beatiores non fuere, cum auditum
Ioan.14.21 Dei verbum non cuſtodierint, aut ad effectum perduxerint.
Tract 75. Hinc eſt, quod Chriſtus alibi aiebat: *qui habet mandata mea, &*
in Ioan. in *ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui habet,* inquit Auguſt. *in memo-*
fine. *ria, & ſeruat in vita, qui habet in ſermonibus, & ſeruat in moribus:*
Serm.5. de *qui habet audiendo, & ſeruat faciendo.* aut qui habet faciendo, &
Aduentu. ſeruat perſeuerando. Vnde D. Bernardus dicit verbum Dei
ita cuſtodiri, ſicuti corporalis cibus primo ore editur, ac ma-
Simile. ſticatur, deinde traijcitur in ſtomachum, ac poſtmodum re-
Verbum liquis membris communicatur: ſimili namque modo opor-
Dei quo- tet ante omnia audire Dei verbum. Deinde in ventrem me-
modo au- moriæ reponere, cogitando ſollicite, quo pacto operando
diendum. illud poſſimus adimplere, totis nimirum animi viſceribus,
Ioan.12. totiſque corporis viribus. Chriſtus verò verbum Dei alibi
24. comparat grano frumenti, quod in nullius cedit vſum niſi
prius cadens in terram mortuum fuerit: ac deinde vireſcens
in calamum ariſtamque conſurgat, fructumque adferat. Vn-
de ſi cum emolumento Dei verbum cupis audire, debes il-
lud verbis & operibus oſtendere. Doctrina namque Chri-
ſtiana eſt, vti in Scholis nominamus, ſcientia practica, quæ
non niſi in exercitatione conſiſtit. Qui non frequenter pin-

git

git literas, dediscit scribendi artem, & qui non subinde musica pulsat instrumenta, in obliuionem paulatim venit: ita qui Dei verbum opere non exercet, perdit illud. vnde B. Iacobus *auditorem verbi & non factorem*, comparat *viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo*, qui absens, statim *oblitus est, qualis* ante *fuerit*. Hac quippe de causa verbum Dei docetur ac creditur, vt actu compleatur: quod qui non facit, is imperfectè illud habet. Nota postremo, CHRISTVM non dicere, *qui audierunt & custodierunt*, sed *qui audiunt & custodiunt*, vt hinc doceamur, non sufficere ad salutem aliquando bene vixisse, nisi ad finem vsque vitæ, in recto virtutis studio, constanter perseueremus, ad instar Deiparæ virginis MARIÆ, quæ non solum Christo, quam diu in corpore eius fuit, suũ detulit obsequium, verum etiam omnia eius verba, & opera, postquam iam vita functus erat, executioni demandauit, *conferens* nimirum *ea in corde suo*, & opere adimplens. *Iacob 1. 21.* *Luc. 2. 19.*

ORATIO.

O *Dulcissime Domine Iesu Christe, Rex cœli, ac Princeps mundi, qui malignum Spiritum meritorum tuorum virtute, è regni sui possessione profligasti, armis spoliasti, viribus debilitasti, blasphemijs impetitus ab his, quibus opem laturus veneras, vt à diaboli tyrannide liberarentur: obsecramus te, eripe nos ex peccati seruitute: malignantium spirituum, quibuscum quotidianus nobis est conflictus, cateruas, magicorum incantationes, quæ per diaboli malitiam pijs* CHRISTI *fidelibus plurimum incommodant, coërce. Largire insuper nobis omnibus gratiam, constanti animi robore, tibi soli deseruiendi, ac intelligendi omnes tibi contrarios esse, qui tecum, aduersus diabolum, in arenam non descendunt. Quod pauci admodum homines capiunt, falso sibi persuadentes, quod tuas tueantur partes, etiamsi tibi arbitratu non obsequantur, famulanturue. Vbi autem diuina tua opitulante gratia, à spiritibus nequam liberati erimus, nobis vires suffice, ne vlterius illum in pectoris nostri domiciliũ recipiamus, custodiendo nimirum fores animæ*

nostræ,

noſtræ, atque in diuino tuo ſeruitio, nos iugiter occupando, oramus quoq; ipſam Sanctiſſimam Virginem, ac genitricem tuam Mariam, quæ ex ſuo puriſſimo ſanguine; benedictiſſimo tuo corpori materiam ſubminiſtrauit, illudque nouem menſium ſpatio, in vteri ſui habitaculo baiulauit, vberibusque lactauit, fouit, aluit, tibique toto vitæ tempore, vti famula fideliſſima, miniſtrauit, atque in omnibus diuinæ iuſſioni tuæ obtemperauit hanc, inquam, oramus, vt velit pia eſſe mediatrix inter te & nos, preces noſtras ad te deferendo, imperfectiones noſtras apud te excuſando, deſideria exponendo, omnemque peccatorum condonationem impetrando. Exaudi quæſo illam pro nobis deprecantem, illiq; nos amore tui commenda, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis, & regnas Deus, per omnia ſæcula, ſæculorum.

Amen.

* * † * *
*

DOMI-

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Ioan. 6.

IN illo tempore: abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia videbãt signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Cũ subleuasset ergo oculos Iesus & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eũ: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri. Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo Iesus: facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cũ gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus: quantũ volebant. Vt autẽ impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines cum vidissent, quod fecerat Iesus signũ, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundũ.

Breuis Euangelii Exegesis.

CVm intellexisset, Christus, quod Herodes se cuperet videre, eo quod rediuiuũ putabat Ioannem à se occisum. Iamque Apostoli ex varijs regionibus, ad quas prædicandi caussa eos miserat, redijssent: se cũ his, in remotiorem contulit solitudinem, tum, ne ab Herode, quem sua indignum præsentia iudicabat, videretur, tum, vt discipulis à turba semotis, & prædicando iam fatigaris, aliquã corporis, animiq; quietem indulgeret, tum deniq;, ne illi aliquid arrogantiæ sibi, de miraculorum signis à se editis, adsumerent. Vnde mare Galilææ, quod & Tyberiadis (ab oppido Tyberiade ad oram illius sito,) nomen traxit, transfretauit. Turba vero vbi hoc animaduertit, pedestri itinere, (nam & semita pedestris patebat, sed prolixior) eũ anteuertit, Christo interim ob discipulorum defatigationem, naui vtente: qui ideo tardius nauigantes, ac diutius conquiescentes, à turba sunt præuenti. Cum autem iam traiecissent, ac tam frequentem hominum multitudinem conspexissent, egressus CHRISTVS è naui, benigne eos est allocutus; docens eos pariter, ac sanans. Hæc namque ipsorum erat intentio, hic in Christi prosecutione scopus, nempe, quia miraculorum signis effulgens, omnia morborum genera sanabat. Porro forte inter eos, & peregrini aliqui erant, qui secundum diuinam legem Hierosolymam tendebant, vt ibidem solemnem paschatis iam appropinquantis diem peragerent. Cum itaq; Christus docuisset turbam, secessit pro consuetudine, comitantibus discipulis, in editiorem aliquem montem

montem, Turba interim inferius præſtolante, ac ibi perſuadente, quod deſcenſurus eſſet, quod cum non fieret, iamque temporis aliquãtulum effluxiſſet, adierunt diſcipuli Dominum dicentes, Præceptor, locus hic in quo ſumus, deſertus, & incultus eſt, atque ab omni cibo deſtitutus, iamque refectionis hora tranſijt: itaque turbam dimitte, vt in proximis villulis, pagiſque victum ſibi quærat. Chriſtus vero id fore negat, quin velle ſe, vt ipſi populo de victu proſpiciant. Quibus reſpondentibus: ducentorum denariorum panes nullatenus tantæ multitudini poſſe ſufficere, ſuſpiciens de monte Dominus, ac ingentem hominum frequentiam ſollicite intuens, dixit Philippo, vnde turbæ huic ememus panes? non quaſi dubitet (ſciebat namque quid eſſet facturus) ſed vt experiretur quantum in fide Philippus profeciſſet. Qui ſi in ea aliquatenꝰ cõſolidatus fuiſſet, dixiſſet vtiq; Domine, tu qui omnipotẽs es, noſti qua via, quoue medio, huic multitudini famelicæ ſubueniri queat, verum fide inſtar puſillanimis vacillans, reſpondet, 200. denariorum panes non ſufficere, vt vnuſquiſque vel modicum quid accipiat, interrogans autẽ Dominus, quot panes haberent, & intelligẽs ex Andrea, fratre Petri, non niſi quinque hordaceos ad manum eſſe, & duos piſces, quorum paucitate impoſſibile ſit tantam hominum (erant namque viri numero quaſi 5000.) ſatiari multitudinem, iuſſit eos ad ſe adferri, ipſamque turbam, per centenos, ac quinquagenos, diſponi, tũ, vt accuratius totius populi poſſet iniri numerus; tum, vt meliori ordine ipſis miniſtraretur, qui poſtquam in fœno,

aut gramine cōſediſſet, accepit Ieſus manibus ſuis, ea, quæ adlata erant, atque oculis in cœlum ſublatis (vt autorem tantæ poteſtatis oſtenderet, gratias Patri ſuo cœliſti egit, tum, quod cibum hunc in hominum alimentum creaſſet, tum, quod ei placeret ad tantæ multitudinis conuerſionem, celebre aliquod miraculum edere, quibus peractis benedixit eis, impertiens nimirum, multiplicationis donum, ſicut ab eadem benedictione ſegetes, in exordio mundi, hanc percepere vim, vt multiplici fœnore excreſcant, tandemque fregit, ac fruſtatim diſcipulis populo diſtribuendos porrexit, quibus iuſſa cōplentibus, omnes quotquot præſentes fuere, ſatiati ſunt, piſces namque, ac panes, tam in Chriſti, quam etiam Apoſtolorum, populique manibus, adeo magnum accepere incrementum, vt nemo non receſſerit refectus, & lætiſſimus, diſcipulis interim reliquias (tum, vt miraculi magnitudo magis ad oculum pateret, tum, vt nos docerent ciborum exigua fragmenta nullatenus perdenda) ſtudiosè colligentibus, & quamquam conijcere liceat comedentium pleroſque, fruſta aliquot aſportaſſe, impleti ſunt tamē ab Apoſtolis cophini duodecim, etſi præter multitudinem virorum (horum autem numerus fere ad 5000 aſcendebat) totidem forſitā mulieres, puerique fuerint, populus conſpecto tam euidenti miraculo, poſt diuinæ laudis præconia, Chriſtum proclamauit, Prophetam ſuum, ac Meſſiam, toties in ſcripturis à Deo promiſſum, poſt quæ, iuſſi ſunt diſcipuli transfretare, illicque Chriſti aduentum præſtolari. turbæ interim abeuntes, in itinere miraculi huius magnitudinē expendunt, Chriſtumq;

ſeu

ſeu verum Meſſiam mundi ſaluatorem, Populique Iudaici liberatorem, prædicant, adeo inter ſe conſultauerint, de Chriſto ſibi in regem adſciſcendo, quod vbi illecognouit, fugit iterum in montem ipſe ſolus, tum, vt Patrem quietius oraret, tum, vt turbæ conatus reprimeret, neque enim in mundũ venerat, vt humano more regem ageret, alijs principaretur, quia non datus, ſed natus rex.

Documenta huius Concionis.

I. Septima ætas mũdi.

Abiit Ieſus trans mare Galileæ, quod eſt Tyberiadis. Hæc ſeptima eſt Dominica, ſeptimam ſeu vltimam mundi ætatem ſignificans, quæ initium ſumens ab ipſo nouiſſimi iudicij die in omnem æternitatem eſt duratura, electis quidem, in cæleſti gloria perpetim regnantibus, reprobis vero, æternas cũ dæmonibus gehennæ pœnas ſuſtinentibus. Quemadmodũ namque homo poſt ſextam peractam ætatem, nihil præter ingruentem mortis horam præſtolatur, ita nec nos aliam in hoc mundo religionis fideiue mutationem, niſi generalẽ totius mundi, in quo maxima fiet mutatio, interitum, ſecuti etenim cadauer, ad ſepulchra nunquam rediturum defertur: ita mortales omnes mundum hunc ſublunarem, nunquã ad illũ remeaturi, deſerunt, & ſicuti anima hominis poſt obitũ à corpore, quod hinc relinquitur, ac humo defoditur, ſeparatur, ita qui hic ſpiritualẽ duxerunt vitam, ex malorum numero adſumentur, mali vero, qui ſecundum carnem vixerũt in gehenna, infimo nimirum terræ loco ſepelientur. Proponitur autẽ nobis à ſancta matre Eccleſia hodie præſens Euãgelium quatuor potiſſimum de cauſis, quarum *Prima eſt*, Ꝙ ſeptimam mundi ætatem ſignificet, ſicut namque primum mari Galilææ transfretato, in monte cum diſcipulis ſuis Dominus quieuit, ita ſancti ad cæleſtis regni quietem, per mũdi huius oceanum (in quo nihil præter varias tempeſtatum procellas, horrenda pericula, ingentem famem, ſitim, frigus videas)

Quatuor de cauſſis hodiernum Euangeliũ proponitur.

1.

deas) ſublime ſolium regni cœleſtis conſcendunt, vbi à tempeſtate ſecuri, quid hic rerum agatur aſpiciunt, quo nullus omnino poteſt pertingere, qui non prius hic in mundo vixerit, vnde qui in matris vtero moriuntur illinc exulãt. *Galilæa* vero, idem eſt quod *tranſmigratio*, ſignificans homines nihil hic aliud agere, quam in hoc mari, de loco in locum, trãſmigrare atq; ad aliam patriam properare (cõmorandi.n. natura dedit diuerſorium, non habitandi locum) quamuis alii aliud ſibi perſuadeant. Deinde quemadmodum turba humi, fœno ſedens, à Chriſto eſt refecta, ſic & ſancti in cœlis, ſtabili ſedentes loco corpora ſibi ſubiecta habẽt, ſine vlla (quã nos hic ſentimus) obluctatione, refecti cibo potuq; cæleſti, hoc eſt, ipſa deitate, fruentes præſenti cœlituũ omniũ gloria.

Galilęa quid?

2. Hiſtoria hæc quando contigerit.

Secunda, ꝙ hiſtoria hæc circa hoc anni tempus contigerit, *proximũ* namq; (vt verbis vtar Euangeliſtæ) *erat Paſcha*; ſicut & nunc, eſt autẽ hæc Dominica vltima ante paſſionis. docẽs nos, regni cœleſtis gloriã Chriſti cruciatibus acquiſitam, ad quã nemini, niſi ſit meritorum ipſius particeps, patet acceſſus. *Tertia*, vt pii qui amplius quam mediam quadrageſimę partem exegerunt, animo exhilarentur: non ꝙ ad *ieiunij* finem prope peruenerint, eorum inſtar, qui ollas carnium eſuriunt, ſed, *Primo*, quod pœnitentiæ, ieiunijque exercitatione, ad conſcientiæ tranquillitatem peruenerint, profligatis omnino vel ſaltem ex parte, vitijs animi nitorem obnubilãtibus. *Secundo*, quod diuinæ gratiæ dulcedinem paulatim delibare incipiant, guſtantes, ac videntes, quam ſuauis ſit Dominus. vnde hodie Eccleſia nos ad conſcientiæ examen inſtituit, vt videamus an etiã aliquid huius in nobis diuinæ dulcedinis experiamur. Inde Dominica hæc *Lætare* (ſic enim Miſſæ introitum auſpicamur) nominatur: cuius officium ſic incipit: *Lætare Hieruſalem, & conuentũ facite omnes qui diligitis eum, gaudete cum Lætitia. &c.* multis quadrageſima tædio eſt, qui nullam ſpiritualem ſentiunt in ea mentis lætitiam, quia non vt filij, ſed vt ſerui aluntur, inſtar mercenariorum, qui in diuitum ædibus, grauem peragunt laborem, neque cum patrefamilias prandent, ſed cum famulis & famulabus, vulgari, ac craſſiori cibo veſcuntur, hinc plurimi magna cũ difficultate

3. Cur pij nunc lætentur?

1.

ficultate ieiunant, externa sectantur solatia, vt non laute solum, & delicate reficiantur, sed & alijs mundanis voluptatibus animum oblectent, cum sint peccatorum mancipia, qui namque innocentiam non custodiunt, inquit B. Gregorius, interius secundum animam non satiantur, filij vero Dei interno gaudent solatio, qui etsi ex ieiunio, & corporali pœnitentia, sentiant nonnihil difficultatis, magno tamen animi desiderio illa cõplent, quemadmodũ turba hæc, ingenti cum appetitu, hordeaceis (etsi difficilioris digestionis sint,) vescebatur panibus. *Quarta*, quia præsens hoc Euangelium figura, & similitudo quædam est sanctissimæ Eucharistiæ ad cuius susceptionem, digne iam præparari oportet. Ioannes Euangelista, etsi nullas historias à cæteris conscriptas repetat, hanc tamen ideo repetijt; quia Saluator noster corporalis cibi occasione, paulo post copiose admodum, de panis huius cœlestis alimento, quem nobis in animæ cibum reliquit, disseruit. Vnde in præsenti Euangelio, duo discimus de hoc venerabili sacramento. *Primo*, quonam pacto Christus illud nobis donauerit. *Secundò*, quomodo illud suscipere debeamus. Ad *primum* quod attinet, sciendum *primo*: Miraculum hoc imminente paschali solemnitate peractum, sicuti & Eucharistiæ sacramentum institutum. *Secundo*, in pane esse factum, sicuti & hoc. *Tertio*, in vtroque naturæ factam esse transmutationem, vt namque tam ingens hominum multitudo satiaretur, aliæ creaturæ in panes, piscesque miraculose mutatæ sunt, in hoc autem Sacramento, panis in corpꝰ Christi transsubstantiatur. *Quarto*, quemadmodum hic non minus cibi superfuit, quam antea erat: (impleti namq; sunt ex reliquijs cophini duodecim) ita & Christus post sumptionẽ, integer omnino perseuerat, *cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit* (verbis vtor Diui ANDREÆ Apostoli) *Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. Quinto*: Quemadmodum CHRISTVS hic populo nullum administrauit potum, quod cibus etiam potionis vice situm sedaret, ita hoc venerabile Sacramentum, sub panis solius specie, continet non tantum

Greg. l. 35 mor. c. 17.

4.

Duo documenta Eucharistia.

Eucharistiæ comparatio cũ præsenti miraculo.

In vitae ius scripta à Clerico Achaia Tõ. 6. Sur. 30. Nouem.

carnem Christi, sed sacratissimum eius sanguinem, imo totum Christi corpus, & animam, Deum & hominem: vt non minus aut gratiæ, aut substantiæ Christi sub vna, quam sub vtraque specie, accipias. *Sexto*, vtraque hæc transubstantiatio (vt inquit B. Ambrosius) diuina peracta est benedictione, quæ elementorum species immutat. Vnde iisdem tã hic, quam in vltima cœna, cum sacramentũ hoc institueret Dominus, vsus est cæremoniis, iisdem gestibus: quorum Sex exprimuntur. *Primo*, accepit panem in manus, veluti autor. *Secundo*, suspexit in cœlum, indicans diuinæ opus virtutis. *Tertio*, gratias egit Patri cælesti, qui magna humano generi beneficia præstiterat. *Quarto*, benedixit panibus, ita vt hæc benedictio hos panes, pisces que quasi semina quædam, inquit D. Augustinus, fecerit, ex quibus alii pisces, & panes, quasi germinando prodirent: in cœna autem vltima, panem in corpus suum transsubstantiauit. *Quintò*, fregit; hic quidem, vt frangendo multiplicarentur, in cœna vero, vt suam mortẽ significaret, quando nimirum anima corpus relictura erat. *Sexto* cibum hunc porrexit hic Apostolis, & per illos populo, sic & quotidie per presbyterorum manus, corporis sui sacramentum fidelibus distribuit.

Lib. 4. de Sacr. c. 4. 6. Cæremoniis Christus in multiplicatione panum vsus est.
1.
2.
3.
4.
Tract. 24. in Ioan. in princip.
5
6.

Ad *secundum* quod attinet: modum dico Eucharistiæ suscipiendæ, debemus, *Primo*, audire verbum Dei, ac fidem habere his, quæ de hoc sanctissimo Sacramento docemur. Quemadmodum turba hæc Christum sequebatur, ac sequendo audiebat. *Secundo*, animam per peccatorum confessionem sanare, ac erigere: sicuti ægroti, ac debiles curabantur, antequam de hisce panibus, piscibusque comederent, est enim hoc sacramentum, alimonia viuentium, & bene valentium, non mortuorum, vel aduersa valetudine nauseantium. *Tertio*, transfretare mare, hoc est mentem in cœlestibus habere, ac cum CHRISTO quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram, prout Sacerdotis voce in Missæ sacrificio mouemur, vt *sursum corda* habeamus. Quemadmodum Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, alique docent. *Quarto*, insidere terræ, deponentes omnes

Quonam modo oporteat Sacramẽtum Eucharist. suscipere.
1.
2.
3.
Cyp. serm. de ora. Dõ. Chrys. ser. in encæniis Aug. l. 2. de bono perseuerantia.
4.

ira-

iracundiæ, aliarumue passionum, turbulentas commotiones, sicuti pulchre docet Bernardus. *Quinto*, fœno insidere contemnentes, omnia momentanea, ac caduca, quæ nihil aliud nisi fœnum sunt, nempe, honoris dignitatem, voluptatis iucunditatem, pecuniæ cupiditatem, &c. *Sexto*, Elaborandum est, vt cum appetitu, cibum hunc cœlestem sumamus: quêadmodum turba hæc famebat. cum hoc Sacramentum, tanquam cibus saluberrimus, eo plus conferat vtilitatis, quo maiori cum auiditate suscipitur. *Septimo*, danda est opera, vt cum turba diuinæ gratiæ vbertate satiari, nullatenus vacui domum reuertamur. *Octauo*, Postquam illud deuote susceperimus, diligenter expendendum, quod Deus præstitit, beneficium, qui proprio suo corpore, ac sanguine, nos refecit. *Nonne videtis*, inquit Chrysostomus, *quanta promptitudine paruuli papillas capiunt & quanto impetu labia vberibus infigunt? accedamus cum tanta nos quoque ad hanc mensam auiditate.* Matres solo lacte infantes alunt, Christus vero, etiam carne sua & sanguine. Itaque magnas illi, cum hoc populo gratias age, eumque roga, vt in te maneat, teque regat, ac pascat. *Nono*, bonis virtutum studijs teipsum exerce, & Apostolos in duodecim complendis cophinis adiuua. *Primo*, intellectum imple Dei, ac tui ipsius cognitione. *Secundo*, voluntatem bonis desiderijs, rectoque proposito. *Tertio*, sensus interiores pijs cogitationibus. *Quarto*, interiores animi vires omni virtutum genere. *Quinto*, os pijs verbis, & precibus. *Sexto*, quinque sensus exteriores sedatis, ac compositis moribus. *Septimo*, omnia & singula membra bonis operibus. *Octauo*, Imple diuina præcepta, humili obedientia. *Nono*, pauperum manus, & vêtrem largis Eleemosynis. *Decimo*, mundum bonę conuersionis odore. *Vndecimo*, Thesaurum tuum cœlestem meritorum multitudine. *Duodecimo*, cœlum aliquot animarum accessione. Imprimis Euangelistæ verbis: Nota Christum *Abijsse*, nempe, ex Iudæa, in Galilæam. sciebat se *lucẽ* esse *mundi*, prout alibi ait, neque sibi vllatenus quiescendum, aut otio vacandum, sed virtutis suæ radios, exercendos: solis instar, qui sine vlla cessatione, vniuersum orbem terrarum obit, & illustrat: Ideo Christus vrbes perambulabat, pagos, villasque

Lib. de præcepto & dispensatione

5.

6.

7.

8.

Hom. 60. ad pop. Antioch.

9.

Apostoli adiuuandi in 12. cophinis colligendis.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.

Ioan. 8. 12.

inuiſit, ſolitudines ſyluaſq; pererrat, maria transfretat, alias regiones adit, &c. vt nos doceret, ſe omni loco poſſe inueniri, hinc Pſalmiſta ait: *ſi aſcendero in cœlū tu illic es, ſi deſcendero in infernū, ades*, &c. imo in corde eſt, in anima noſtra, quæ per ipſum mouetur, exiſtitque, qui nunc Iudaicam perambulat regionem. *Primo*, vt cōmodius tam inſigne perpetraret miraculum, paſcendo ſimul, tot hominum millia, deinde vt per hunc egreſſum doceret, quod fidei doctrina, ab Hieruſalem egreſſa, omnibus tandem eſſet prędicanda, quodq; nos gentiles Diuini verbi pabulo, Sacramentis, alijſque ſpiritalibus donis, vbertim reficiendi eſſemus. *De Syon*, namque *exituram legem & verbum Domini de Hieruſalem*: iam olim Eſaias iuxta, ac Michæas vaticinati erant. Abijt autem *trans mare*, hoc eſt, locum quem ob ſui magnitudinem, *Mare* nominamus: docet enim Scriptura ſacra, Deum in exordio mundi, *congregationes aquarum appellaſſe maria*, vocatur autem hæc aqua *Mare Galilææ*, à terra adiacente: *Geneſar* autem, vel *Geneſareth*, à cōtinente dicitur: & *Mare*, vel *lacus Tyberiadis*, ab vrbe, quam Herodes in honorem Tyberij Cęſaris conſtruxit, cum antea vocitaretur *Chynereth*.

Pſal. 138.8. *Rom.* 10.8. *Act.* 17.28. Cur Chriſtus Iudęam perambulatit

Iſa. 2.3. *Mich.* 4.2. Mare hoc quale.

Gen 1.10.

Ioſeph. l. 3. *bell. Iudaici. c.* 18. Quid figuret.

Per hoc mare, præſentis mundi conſtitutio, omnibus miſeriarum, atque inſtabilitatum procellis refertiſſimi, intelligitur, quem Chriſtus iuuandi noſtri cauſa transfretauit, vt ſic cœleſtem poſſemus cōſcendere montem, aſſumpſit namque humanę naturæ miſeriam, vt experimento eam in ſe cōprobans, melius noſtri miſereretur, quando in tentatione, & anguſtijs, ad ipſum ſupplices confugimus, accuratius enim nouit, quam qui ex ſola ſpeculatione didicit. Voluit itaque nos *in primis* docere, vt vera cum fiducia ipſum adeamus, *non enim habemus Pontificem*, inquit Paulus, *qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato*. & reuera magnum eſt afflictis ſolatium, in cœlis habere auxiliatorem, qui humanarum miſeriarum preſſuras, doctus experientia, iam ſentit, quod nos in tribulatione cōſtituti ſentiamus: cum de ſeipſo dixerit Apoſtolus: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* Tanto amore ſuos proſequitur Chriſtus, vt omnia quæ ipſis fiunt, ſibi putet facta, imo per

Tria Chriſti documenta. *Primum.* Fiducia in aduerſis. *Heb.* 4.15.

2 Cor. 11.29

Pro-

Prophetam dixit, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* & apud Euangeliſtam: *quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis, mihi feciſtis*: Magna ergo, vt dixi conſolatio eſt, ſcire Chriſtum Dominum, cœli ac terræ imperatorem, nos magis diligere, quam ipſi nos diligamus, ideoque & poſſe, & velle opitulari nobis. *Zach.2.8. Mat.25.24*

Diſce *ſecundo* tentationis hanc eſſe vtilitatem, vt citius aliorum miſereamur. Non ſine cauſa Deus Petrum, qui vniuerſalis Eccleſiæ caput conſtituendus erat, ex imbecillitate in tantum permiſit labi, vt Chriſtum negaret. *Magnæ actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus*, inquit Gregorius, *vt is qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. prius itaque oſtendit eum ſibi, & tunc præpoſuit cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret, quam miſericorditer alienas infirmitates tolleraret.* Itaque & tu in ægritudinibus, & afflictionibus tuis, ſemper tecum expende, quid illis animi, qui aliorum deſtituti ſolatio, minus habent ſuppetiarum, quam tu. Item, quam ingentes illæ pœnæ fuerint, quas Chriſtus ſolus, noſtri cauſſa, pertulit: Excedentes nimirum, omnes totius mundi cruciatus, vt per ipſius afflictiones confortatus, etiam pauperum tribulationibus ſubuenias, nullumque à te repellas, qui ſiue internas, ſiue externas ægritudinis, paupertatis, ſcrupuloſitatis aliarumque difficultatum moleſtias, quas antea nunquam audieris, fidenter aperit. *Secundũ. Tẽtationis vſus. Matth.26 Hom.21.in Euang.*

Tertio, vult nos Chriſtus docere vt eum ſequamur vltra *mare*: Mundum nimirum relinquentes, ſiue actu fiat, quemadmodum Religioſi faciunt, qui ſæculo renuntiantes, à mundo ſegregantur, ſecundum diuinæ admonitionis præſcriptum: Monemur enim *recedere à tabernaculis hominum impiorum, & nullatenus tangere, quæ ad illos pertinent, ne inuoluamur in peccatis eorum: & vt obliuiſcamur populum noſtrum, & domum Patris noſtri, vt concupiſcat rex decorem noſtrum*: ſiue animo, nempe, quando *in primis* parati ſumus omnia potius relinquere, quam Deum offendere; iuxta illud: *non poteſt meus eſſe diſcipulus, qui non omnibus, quæ poſſidet, renuntiat* quando ſcilicet res poſtulat, vt vel Deum offendamus, vel omnia ipſius amore re- *Tertium. Nũ.16.16. Pſal.44.11 Luc.14.26*

rę relinquamus. *Secundo*, Quando in cœlis conuersantes, animo tractamus, quo pacto ad diuinarum rerum prę-
Phil. 3.20. scriptum, cœlestem hic in terris possimus vitam degere. Quemadmo-
Tom. 4. Surr. 22 Iul. dū Apostolus dicebat, *nostra autem cōuersatio est in cœlis.* de S. Maria Magdalena proditum est, quod quolibet die septies, animo, & corpore, in cœlum fuerit rapta, nos vero animo ad minus, ac cogitatione illic simus, angelicam in terris duc-
Gē. 18. & 19. Tob. 5. entes vitam, instar Angelorum istorum, qui Abraham, Loth, & Tobiæ apparentes, cum ipsis cibum, potumque sumebant, assumptis nimirum aereis corporibus, quibus præsentes sese exhibebant, cogitatione interim absorbti in Deum, cuius beatifica visione assiduo perfruuntur. O quam fœlices, qui hoc pacto mundum transfretantes, cum Christo suauiter, in stabili virtutis studio, quiescunt: nullis externarum rerum agitati procellis. Porro qui se mundo, vestitu, loquela studeant conformare, & moribus, necdum traiecerunt mare, sed in medijs constituti fluctibus, omnibus ventorum procellis a-
Alia explicatio Maris. gitantur. Nonnulli per *mare* spiritualiter intelligunt pœnitentiæ laborem, qui asper, & difficilis est, & acer, instar salsi maris, verum reijcit peccatum, sicuti Oceanus cadauera. Hoc mare quidam accedunt, cum de pœnitentiæ exercitatione cogitant, sed cum iniuste parta vident reddenda, impudicas feminas profligandas, aliosque deprauatos mores relinquendos, subsistunt. *Secundo*, alij mare quidem ingredi-
2. untur, at vbi minimam persentiscunt difficultatem, retracto pede, bene incipiunt, sed nō persęuerant. Qui etsi interdum
3. cum B. Petro subsidunt, mergique incipiunt, non deberent tamen retrogredi, sed cum eodem diuinam opē implorare, quo haud dubiè, dexteram suæ Maiestatis extendens, eos
Mat. 14. 30 subleuaret. *Tertio* sunt, qui omnia traijciunt, persęuerātes in bono, ad nouissimum vsque vitę halitum. Hi in hac mortali vita, internam inueniunt requiem, & postea consequentur sempiternam. Quemadmodum Apostoli primo, cum Christo veniebant ad littus, deinde conscendebant montem, regnum cœlorum denotantem.

II. *Et sequebatur eum multitudo magna.* Ingens hæc hominum turba Christi insistens vestigijs, significat Saluatorem nostrum,

strum non veniſſe in mundum, vt vnam conuerteret duntaxat gentem, ſed omnes quotquot ſunt nationes, ac populos doctrina ſua ad ſe pertraheret, ſuamque Eccleſiam, *Catholicam*, hoc eſt, vniuerſalem efficeret: diſperſam nimirum per omnes totius orbis fines. ad cœlum aſcendens diſcipulis ait: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ*, quod & fecerunt, cum *in omnẽ terram*, vti ex Dauide, Apoſtolus repetit: *Exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, peruagatum eſt quippe mundum vniuerſum *fructificans & creſcens*: vt idem alibi ait. Itaque nomen hoc *Catholicum* ab ipſo Chriſtianæ fidei exordio, S. Apoſtoli mox Eccleſiæ indiderunt, ſuoque ſymbolo, antequam per orbem prædicationis cauſſa diſpergerentur, inſeruerunt: docentes, vt nullã aliam congregationem, pro vera Chriſti Eccleſia adſciſceremus, quam illam, quæ Apoſtolorum temporibus, per mundum vniuerſum viguit, longe lateque diffuſa, hinc inter ſynagogam, quæ in ſola vigebat Iudæa, & ſanctam Eccleſiam, notabiliter etiam Dauid diſtinxit: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius*, hoc eſt, inter Iudæos tantum. Similiter & ab omnibus hæreſibus eandẽ Apoſtoli ſeparārunt, quæ nullo vnquam tempore per vniuerſum inclaruerunt orbem, nec originem ab Apoſtolis deducere potuerunt. Auguſtinus ait, hæreticos quidem ſibi titulum *Catholicum* vendicare, verum reluctante penitus conſcientia, adeo vt ſi quis eos percunctetur, qua ad *Catholicam* eatur? non audeant ſuam demonſtrare ſynagogam, ſed noſtram ipſiſſimam Catholicam Eccleſiam. fatetur idem, eſſe quidem hæreticos, per totam terræ faciem diſperſos, ſed diuerſos, alioſque. Nam Donatiſtæ, in ſola Africa: Priſcillianiſtæ, in Hiſpania ſuum exerebant virus: ſicuti nunc Caluiniſmus, Galliam, Angliam, Scotiamque infecit, Lutheraniſmus, Germaniam, Zvvinglianiſmus, Heluetiam, &c. at vero Eccleſia Catholica Romana per totum terrarum orbem, clariſſimos veritatis ſuæ radios vbique exeruit: *ſemper vna eademque tanquam florida vitis creſcendo vndique* diffuſa, vt idem Auguſtinus ait. Illi vero ſunt, tanquam ſarmenta inutilia, agricolæ falce præciſa, ac ſine fructu in terram conjecta, ſed *obijcies* forſitan Catholicam

Catholicus quid? *Mar. 16. 15* *Rom. 10. 18* *Pſal. 18. 5.* *Coloſſ. 1. 6.* Quando Eccleſia cęperit dici Catholica. *Pſal. 75. 1.* An hęreſes Catholicæ. *Cap. 4. cõt. epiſt. fũda.* *Simile habet Cyrill. Hieroſ. catech. 18.* *Lib. de pacto. cap. 18.* *Ibidem.* *Obiectio.*

cam religionem iam non vbiuis locorum vigere, cum plurimæ regiones ab illa desciuerint, nempe Græcia, Palestina, & in quibus Mahometistica regnat perfidia: quin & nonnullæ integræ prouinciæ eam nunquam amplexatæ sunt, sicuti America, ac loca illa quæ meridiem versus sita sunt. Ad quæ duo *Respondeo*: Vt quis habeatur, dicaturque Catholicus, nō necesse esse, vt omnes homines, regionesque nostræ inhæreant fidei, sed quod in omnibus mundi locis, vna atque eadem omnino fides sit, vel fuerit, vel adhuc futura sit, nam ad *Catholici* conseruandum nomen, vti rectissime ait Driedo, satis est, *ipsa eiusdem fidei ab Apostolis in vniuerso orbe plantata continuatio*: quæ etsi hoc tempore, non nisi in vna tantum vigeret pronuncia, Catholica tamen & esset, & diceretur: tum, quod alibi fuerit; tum, quod & alibi futura sit. Certissimum namque est, quod regiones illæ, quæ à sinceræ fidei tramite nunc desciuerunt, nostram olim professi sint religionem; non solum B. Gregorij ætate, qui plurimas ad Constantinopolitanum, Alexandrinum, nec non & Antiochenum Patriarchas, nunc sub graui Turcicę Tyrannidis seruitute misere ingemiscentes, dedit Epistolas: verum etiam adhuc ante annos 500. cum Bernardus vita, ac miraculorum gloria celebris in mundo degeret. Quemadmodum Guilhelmus Metensis Abbas, in eius testatur rebus gestis, similiter clarum est, Catholicam fidem adhuc in ijs locis prædicandam, in quibus nondum prædicata est, ipsa veritate attestante, ac dicente: *prædicandum hoc Euangelium regni, in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Est ergo Ecclesia nostra, adeoque & fides ipsa Catholica, (cum sit vnica, sincera, ac nullatenus adulterata) dispersa, aut etiam adhuc dispergenda, per vniuersum terrarum orbem, quod nulli vnquam alteri congregationi accidit, vel accidere potest. Dico *secundo* nullam fidem, congregationemque, vel nunc vel vllo vnquam tempore, ita fuisse dilatatam, multiplicatamque, quam Catholicam Ecclesiam; nam quantum inprimis nostra hæc attinet tempora, illud certo certius constat, quod in ijs quæ à nobis defecerunt, regionibus, etiamnum innumerabiles reperiantur Catholicæ religionis professores, tam in Græcia, Palesti-

Respondetur. 1.

Lib. 4. de Dogm. Eccl. c. 2. parte. 2.

Lib. 2. vita S. Bern. c. 7 Tō. 4. Sur.

Mat. 24. 14

Respondetur. 2.

na,

na, Ægypto, quam alijs passim regionibus, quodque quotidie plurimi inueniantur eximiæ sanctitatis viri, qui in omnibus mundi partibus, adeoque & recens inuentis insulis, sanctam Catholicam nostram fidem & prædicando plantet, & plantando propagent: quæ etiam iuxta Christi veridicam prædictionem, benigne illic suscipitur. Itaq; vos, quotquot adhuc Catholici estis, animis exhilarescite, firmiterque fidei vestræ adhærete nullatenus erubescentes, cum antiquissimo illo, iuxta ac sanctissimo Patiano Episcopo in hęc verba proclamante: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit.* *Epist. 1. ad Sympron.*

Cæterum turba hęc quæ Dominum sequebatur, non erat ex Magnatum, sed ex gregario, ac pauperrimorum hominum genere, quæ & hordeaceis panibus, frigidisque piscibus, quos diuites fastidiunt, facile contenta erat, significantur videlicet primæ ætatis Christiani, qui cum ingenti multitudine, ad Apostolorum prædicationem, fidem amplexabantur, fuisse maximam partem, non diuites, non nobiles, non sapientes secundum carnem prout Paulus contestatur, sed pauperes, ignobiles, indoctos: qui in eo quod Christum secuti sunt, magnopere nos, qui nunc multo pleniorē de Christo cognitionem habemus, confundunt. *Primo*, namque incedebant pedites, non equis, non curribus, rhedisve vecti, sicuti magnates nostri, nobilesque domicillæ consueuerunt, verentes si ad paucos passus, dum frequentanda est Ecclesia, pedites incedant, se pustulas, læsuraque sub plantis acquisituras. *Secundo*, ex locis remotioribus, per iniqua viarum ad Dominum properabant, nos præ fastu, etiam adire templum recusantes, domi missæ sacrificium peragi, Sacramenta administrari, infantes nostros baptizari, ac nuptias iniri volumus, quanquam Ecclesia Sacramentorum, verbique Dei domicilium sit: hinc Venerabilis Beda in tales detonat: *Qui non vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non sponte damnatus introduci. Tertio*, erat illorum numerus admodum frequens, adeo vt aliquot millia fuerint, partim virorum, partim mulierum ac paruulorum, qui tamen omnes à Domino reficiebantur, nos Christiani nomine tenus ipsum sequimur, pauci cordialiter

Turba hęc qualis

Quid notet.

1. Cor. 1. 26

Turba hæc confundit nos in 5. 1.

2.

Lib 5. hist. Anglorum. c 15.

3.

ei adhæreſcunt, corpore proceſſiones adimus, vel alia Eccleſiæ ſacramenta, non corde, quando igitur tam frequentem populi multitudinem, Saluatorem tanto deuotionis ſtudio ſecutam fuiſſe audimus, & quotidie tam multos etiam ante oculos noſtros cernimus, qui ſæpe confeſſionis ac ſacroſanctæ Euchariſtię Sacramentum frequentant, debemus & nos ita nobiſcum cogitare: quare non & ego tale quid attento? an nō his æque ego ſalutis ſubſidijs indigeo. ac ipſi? nunquid mihi tam moriendum, & de verbis, factis, cogitationibuſq; in ſeueriſſimo illo Dei iudicio ratio reddenda, ſicut & his? an non æquè incertus ſum de egreſſionis meæ hora, ac illi? cur ergo non tanta ſollicitudine animæ proſpicio, ac illi? an ſequi ſaltem illos pudor eſt? quid, an non potius ingens eſt dedecus coram diuinæ maieſtatis oculis, in tam arduo ſalutis negotio horum veſtigijs nō omni ſtudio inſiſtere? Verum eheu plurimos reperias, qui non ſolum non ſequuntur, ſed & alios, qui id pro viribus facere conantur, retrahunt, impe-
Actor. 13.8 diuntq;, inſtar Elimę Magi, qucrentis Sergium Paulum Proconſulem auertere à fide: quem Paulus Apoſtolus cæcitate ideo priuauit, ſicuti & his malitioſis hominibus nonnunquā contingit, non cernentibus in quantam peccatorum voraginem inciderint, quidve periculi ipſis immineat: adeo vt ex inopinato in profundiſſimum inferni barathrum præcipitētur. 4. *Quarto*, Turba hæc non coacte, ſed ſponte Dominum ſequebatur. Multi noſtrum nec miſſę ſacrificio, nec proceſſionibus intereſſent, imo nulla Eccleſię Sacramenta frequentarent, ſi nō vel ignominiam pertimeſcerent, vel hæreſis ſuſpicionem. 5. *Quinto*, Cum tanto feruoris ſtudio ſecuti ſunt, vt & cibi, & potus, omniſq; corporalis neceſſitatis eſſent penitus immemores: quod certe euidēs erat indicium, nulla eos alia de re, quam de ſolo Chriſto cogitare. Tanta eſt intellectus noſtri anguſtia, vt non niſi vna poſſit cogitatione occupari, vnde qui ſe penitus rebus mancipauit ſpiritualibus, ſeculares negligit, & contra: hinc parentes mundi amatores, tam magnam habent curam de liberorum forma, & opibus, paruam vero de re catechiſtica & Chriſtianæ fidei inſtructione: in amicorum ægritudine, magis occupantur de corporali

medi-

medicinam, humanoque ſolatio: quam vt Eccleſiaſticorum ſacramentorum ſubſidio, anima releuetur, imo vix licet eis, aliquam iam iam imminentis mortis mentionem ingerere, ne quid horroris mœroriſve, æger inde concipiat. verum felix ille, qui in ſolum Deum omnes defigit cogitatus, quemadmodum recte Regius Pſaltes nos monet, dicens: *iacta ſuper Dominum curam tuam: & ipſe te enutriet*: non erant hi de cibo ſolliciti, eos tamen Chriſtus, nõ ſolum quinque panibus, ac duobus piſcibus ſatiauit; ſed & duodecim fragmentorum cophinis donauit. Beatus Iob, poſt rerum temporalium iacturam, omni ſpe in Dominum coniecta aiebat: *etiamſi occiderit me, in ipſo tamen ſperabo.* & duplum Deus reſtituit: Nos vero ideo opem diuinam non experimur, quia ipſi nimium ſolliciti ſumus. *Pſal. 57. 23.* *Iob. 13. 15.*

Quia videbant ſigna quæ faciebat, ſuper his qui infirmabantur, &c. III. Tria erant quæ homines ad Chriſtum alliciebant. *Primum*, ſanctiſſimæ vitæ conuerſatio. *Secundum*, puriſſima quã proponebat doctrina. *Tertium*, Miracula, ex his odor, de quo ſponſa in cantico: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Scribit Beatus Baſilius artem quandam eſſe aucupandi, vbi enim auem vnam, inquit, cœperunt, qui capiendis illis ſtudent, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum aſſuefaciunt. deinde vnguento alas eius perungunt, ſinuntque coniungi agreſtibus: illa vero per vnguenti fragrantiam, agreſtem illum, ac liberi paſtus gregem, ad poſſeſſionem transfert eius, cuius ipſa eſt domeſtica: bene olentem ſequuntur reliquæ, atque ita in poteſtatem columbarij veniunt: ita & Deus feciſſe videtur: videbat hominum animas miſerrime à diabolo (ſicuti ſolet columbæ ab accipitre) captiuas detineri, itaq; puriſſimam ſuam columbam, Chriſtum Ieſum emiſit, qui ſuauiſſimo ſapientię, ſanctitatis, benignitatis, aliarumque eximiarum virtutum odore, blande ad ſe homines allicetet. Ex Luca patet, hoſce homines ideo Dominum ſequutos, quod de regno Dei eos docuerit: quæres & Apoſtolos detinuit, vt perpetim eidem adhærerent: vnde Petrus: *Domine*, ait, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Hodie proh dolor hęc non multos ad Deum trahunt, Tria erant quę homines ad Chriſtum alliciebãt. 1. 2. 3. *Cant. 1. 4.* *Epiſt. 175. ad Iulittã liberam.* *Luc. 9. 11.* *Ioan. 6. 69.*

quum libentius de conſequendis honoribus, dignitatibus, opibus, alijſque eiuſcemodi audiunt: quam de verbo Dei. Chriſtianorum noſtrorum feruor plurimum deferbuit, cõparatus ad primitiuæ Eccleſiæ zelum, quando ad binas ſolummodo Petri prædicationes, relictis omnibus paupertatem amplexati ſunt, vno die tria, altero vero quinque hominum millia, quin & ipſorum concionatorum feruor deperijt, quorum prædicationes iam non ita fidelium corda, vti olim inflammant. Diuo Franciſco ad populum verba habente plurimi ad eius inſtitutum pertrahebantur, & B. Vincentius eximium Prædicatorij Ordinis decus, aliquot Iudæorum iuxta, ac Saracenorum millia, ſuis concionibus conuertit, alioſque paſſim peccatores, vltra centum millia. Refrigeſcente ergo iam Chriſtianorum charitate, ac concionatorum pereunte zelo, haudquaquam mirum, tam paucos hodie ad meliorem frugem conuerti. vnda tepida frigidam nullatenus calefaciet, ſed potius frigidiorem efficit. cęterum B. Ioannes Euangeliſta, cur tam frequens populi multitudo Dominum, ſit ſequuta, hanc reddit rationem, nempe, quod ſigna ſoſpitatum faceret, ſuper his qui infirmabantur: vt tres rationes nos edoceret, quamobrem Chriſtus miracula ediderit. quarum *prima* erat vt hominibus hac ratione fidem faceret, quòd tuto in ipſum poſſunt credere, ac fidei documenta ab ipſo ſuſcipere: ad quod miraculorum ſigna maxime conducebant, fides enim cognitio eſt, quæ ex ſeipſa, non ſatis inclareſcit: quemadmodum id quod oculis cernimus, neque naturalibus rationibus ita poteſt perſuaderi, veluti aliarum ſcientiarum demonſtratio, quæ per cauſarum cognitionem, intellectum & rationem vinciunt efficaciſſime: quod quotidianis doctorum hominum diſceptationibus, ita ad oculum patet, vt vel inuiti debeamus aſſentiri his, quæ naturalibus confirmantur, ac euincuntur rationibus: fides autem his tam apertis rationum ſubſidijs deſtituta eſt, adeo vt intellectus ad aſſentiendum cogi non poſſit, cum nullis humanis queat demonſtrari rationibus, Chriſtũ eſſe Deum, aut ſimile quid, quod fidem pure concernit. Itaque omnino neceſſarium eſt, vt humana voluntas ſuppleat, id quod

Act. 2. 41. *Act. 4. 4.*

In vitis ipſorum apud Sur.

Tres rationes cur Chriſtus ediderit miracula.

1. Fides non conuincit intellectũ.

id quod persuadendæ rationi deest: in rebus quippe per se non satis claris, ac manifestis, pollet voluntas hac authoritate, vt intellectui queat imperare, illumque sibi subijcere pro suo arbitratu, quemadmodum in his quæ audimus, quotidie contingit, vt ijs nimirum fidem, vel derogemus, vel commodemus, prout ipsi volumus. vt autem hisce in rebus voluntatem alicuius ita compescas, quatenus intellectum tuis adiungat partibus, dictisque tuis fidem habeat, plurimum profecto conducunt beneficia, quæ in eum confers: qui multo libentius de suis benefactoribus credit bona, quam mala. Ideo multa Christus passim beneficia conferebat, sanando infirmos, & mortuos suscitando: vt hac ratione se in ipsorum amorem insinuaret, illique libentius eum audirent, ac audiendo crederent. Erat hæc miraculorum præcipua causa: solet enim Deus hominem ad se allicere, sicuti in scholis videmus, tenera puerorum ingenia præceptorũ foueri, ac excitari industria, donec ætate puecti, his verborum ac munerum lenocinijs non amplius capiuntur, ita cum humano genere Deum agere, testatur Augustinus: cum namque Veteris Testamenti homines videret, detineri honoribus, dignitatibus, opibus, alijsque commodis temporalibus, largiter ijs impartiebatur, ne à gentilium dijs, sed potius à se precibus ea exposcerent, sibique soli adhærerent, verum cum iam sub noua lege, prouectiores simus: *radicati* nimirum *in charitate*, *& fundati*, vt inquit Apostolus, aliter nobiscum agit: docens *quoniam per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei.* Imponendo ceruicibus nostris crucem nostram, Christumque sequendo. quin & spiritualium consolationum dulcedine, solet interdum homines ad se allicere, quas aliquando vlterius progressis subtrahit: ne veluti pueri blanditijs illecti seruiant ei: sed proprio quasi stipendio, hoc est, sola charitate inducti. Tali modo hosce homines miraculose curando, ad se pertrahebat.

Causa miraculorũ.

Lib. 5. de ciu. Dei. c. 25. & lib. 10. c. 14.

3. Ephes. 17

Act. 14. 22.

Secunda ratio est, vt homines doceat, qua de causa in mundum venerit, nempe, vt humanum genus ex omnibus eriperet miserijs, non solum corporis, sed & animæ, cui s

2. Ratio.

miseriæ, per corporales ægritudines significantur. Quemadmodum fames spiritalis cui Eucharistia (de qua Christus paulo post disserit) medetur. Ideoque omnia ægritudinum genera sanabat, dæmonia abigebat, & mortuos suscitabat: vt hinc disceremus, ab eo animarum nostrarum languores, hoc est, peccata, ac imperfectiones nostras, curari, ex praua voluntate dæmonem eijci, ac tandem in extremi iudicij die, corpora singulorum resuscitari: Quemadmodum in hoc eodem capite, apud Euangelistam fatetur, dicens: *Qui*
Ioan.6.54. *manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum, in nouissimo die*; nam morbos curans noluit haberi medicus, qui arcanas rerum naturalium vires adhibeat: vt Pharisæi calumniabantur, maxime Archisynagogus ille, qui indignans dicebat turbæ: *Sex dies*
Luc.13.14. *sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini: & non in die Sabbathi.* Similiter neque hic voluit sese venditare pistorem, qui ex quinque panibus plures efficeret, ijsque quinque hominum millia saturaret, sed vt per hæc altius animo assurgentes, ad spiritualium curationum remedia perueniremus.

3. Ratio. *Tertia* ratio est, vt hominem doceat, quonã pacto in mundum hunc venerit, nõ quidem necessitate propria compulsus, aut iustitia, culpave inductus, sed ex sola misericordia, vt nos scilicet iuuaret, liberaretque, quam misericordiam ita nobis inculcare voluit, vt beneficiorum eius memores, sedulo nobiscum cogitaremus, quam multa ac magna ea sint: per quæ sine vllis nostris meritis, ex sola Dei bonitate, plurimum nobis accedit emolumenti: maxime cum ipsius sacratissimæ recordamur passionis, qua omnia nobis promeritus est bona. Sunt ergo hæ tres rationes, cur Christus prædicationis suæ tempore, toties, tam varia, vtilissimorum miraculorum signa, coram populo ederet. Quibus etiam nos docere cupit, quod tribus de causis, eum in sancta sua Ecclesia sequi debeamus. *Primo* quidem: vt vera fide Deum cognoscamus. *Deinde:* vt ab omni malo liberemur. *Tertio*, vt in hora mortis nostræ misericordiam consequamur. Ecclesia namque misericordiæ domus est, quam misericordiæ Deus

Tribus de causis Christus in Ecclesia sequẽdus.
1.
2.
3.

inha-

inhabitat. Dauide atteſtante: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Populus videns ſtupenda hęc miracula, Chriſtum ſequebatur: nonnulli vt grates ei agerent, ob recuperatam valetudinem, quidam vero admiratione capti, ob inſolitam miraculorum gloriam, nos gratitudinis ergo Chriſtum ſequi debemus, ob beneficiorũ, quæ ab ipſo conſecuti ſumus, magnitudinem. Angeli iugiter ei adhæreſcebant, admirantes ſtupendam eius bonitatem, humilitatem, manſuetudinem, &c. Nõ deerant quoque in turba, qui ex curioſitate, ac malitia, Domini veſtigijs inſiſtebãt: veluti Phariſæi, eorumque complices, quorum nequitia, & ſi Chriſto probe eſſet cognita, non tamen ideo eos priuauit refectione, aut indignabundus reiecit: docens nos *in primis*, vt bene mereamur de his, qui nos odio proſequuntur: *non reddentes malum pro malo*: vt recte monet Petrus; ſed bonum, *Secundo*, ne occulta hominum peccata publicemus, vnde docet Confeſſarios, ne ob peccata occulta, quenquam ab Euchariſtiæ ſumptione publice repellant: Quemadmodum Chriſtus, ne Iudæ proditoris ſui ſcelus alijs condiſcipulis patefaceret, ad menſam ſuam cum admiſit, ciſque cum cæteris, corpus ſuum manducandum diſtribuit.

Pſal. 129. 7.

1. Pet. 3. 9.

Matth. 26.

Sed forſitan dices: etiam hoc tempore, omnes Chriſtum fore ſecuturos, ſi ſimilia edens miracula, infirmitates noſtras curaret. Ad quæ tria reſpondeo. *Primum* eſt, quod iam neceſſe nõ ſit, homines miraculis ad Chriſtum trahi, hæc namque vt Paulus ait: *In ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus.* Recentes ac nouellæ plantæ, inquit Gregorius, irrigatione indigent, non adultæ, firmiterque radicatæ. Vnde Eccleſia non miraculorum ſignis, ſed fidei ſoliditati innititur, fundamentum religionis noſtræ verbum Dei eſt: ideo credimus quia Deus dixit, non quia miraculis confirmauit. Licet primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani, his ad fidem inducti ſint, quam vbi firmiter ſemel amplexi ſumus, haudquaquam illorum amplius adiumento opus habemus: imo obeſſent, plus, quam prodeſſent. Merito increparemur cum infideli Regulo cui Dominus obiectabat, quod *niſi ſigna ac prodigia videret non crederet.* Si namque Deus Chriſtianis bona omnia, quæ

Obiectio.

Reſponſio trina.

I.

1. Cor. 14. 2 *Hom.* 29. *in Euang.*

Ioan. 4. 48. *Lib.* 1. *de ciu. c.* 8. *in fine.*

quæ petunt, largiretur: inquit Augustinus; Iam non nisi propter talia præmia, seruiendum illi esse, arbitraremur, *nec pios nos faceret talis seruitus, sed potius cupidos & auaros.* Itaq; iam tempus est animas curandi, atque in ijs per verbum Dei, sacramentorumque adminicula, interna edendi miracula, quæ nec inferiora externis, nec minus mirabilia sunt, cum anima sit corpore subtilior, & diabolus illam non possit contingere, quin in corpore multa perpetrat. Dico *secundo*, quod etiamsi Christus illa hoc tempore ederet miracula, quæ olim cum in terris degeret, edidit: non omnes tamen ipsum ideo secuturos, sed illos forsitan solummodo, qui beneficiorum eius redditi essent participes. Quemadmodū nemo in pretio habet Medicum, qui non eius opera indiget; ideo sani, opulenti, nobiles, & qui delitias, voluptatesque consectantur, veluti Caiphas, Annas, Herodes, Pilatus, Principes Sacerdotum, ac Pharisęi eum negligerent. Plurimi extitere eximiæ sanctitatis, veluti Bernardus, Dominicus, &c. qui celeberrimorum miraculorum gloria illustres, maiores habuere famę suæ derogatores, quam vitæ imitatores, cuius ratio est, quod miracula humanum ingenium non cogere, sed aliquatenus mouere soleant: vnde qui plus in cōtrarium inclinant partem, illi posthabitis miraculis, suis potius inhærent affectionibus. Hinc Christus Pharisęis obijciebat: *quo pacto possent credere qui gloriam ab inuicem acciperent?* docens ambitione, alijsq; peccatis, plus hominem à fide abstrahi, quam miraculis attrahatur, etsi enim hæc doctrinæ nostræ veritatem confirment, vitia tamen nos reuocant, ne intellectus credat (debet quemadmodū superius dictum) voluntas cōsentire: quæ sæpe per deprauatas cupiditatū passiones, aliorsum rapitur. Dico *Tertio*, Christum non omnium curasse ægritudines: Quemadmodum constat exemplo istius Paralytici, qui inprobatica piscina, iuxta quam (vti Euangelista testatur) ingens iacebat languentium multitudo, solus valetudinem recepit: & claudi istius, qui multis ad valuas templi expositis, & à Christo nullatenus curatis, tandem à Petro sanatus, in templum introiit. Vnde B. Lucas ait, Christum eos sanasse, qui cura *indigebant*: plurimos autem licet reperire infirmos,

2. Respon.

Ioan. 5. 44.

3. Respon.

Ioan. 5. 4.

Act. 3.

Luc. 9. 11.

qui

qui ſanationis cura opus non habent, quod corporalis ægritudo eorum ſaluti vtilior ſit. Quemadmodum conſtat de Petronilla B. Petri Apoſtoli filia: de qua cum interrogaretur, quid cauſę eſſet, quod cum alios ſanaret, filiam ab ea qua detinebatur paralyſi, non liberaret? Reſpondit: ſic animę eius ſaluti, quæ corpori longe prędferenda eſt, expedire. Veruntamē ne hoc putaretur diuinæ gratiæ inopia fieri, ait ad filiam: ſurge Petronilla, nobiſq; miniſtra. ad quam vocem illa protinus, viribus integris exſiliens, diſcumbentibus miniſtrauit, cunctis reiadminiſtratione defixis. Expleto aūt miniſterio, iuſſit eam ad lectum redire. Sunt prætera qui membrorum ſanitate abutuntur, & infirmitatis tempore ad meliorem redeunt mentem. de quibus Regius Propheta: *Infirmati ſunt*, inquit, *nec fuit qui adiuuaret: appropinquauerunt vſq; ad portas mortis, & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur.* Itaq; ægritudo plerumque: non minus vtilis ac ſalutaris eſt, quam proſpera valetudo: quod hominem doceat ſuiipſius cognitionē, mundi contemptum, nouiſſimorum recordationē, patientiam, humilitatem, ac pœnitentiam. ideo cum res poſtulat, atq; animarum expedit ſaluti, ſolet etiamnum Deus, noſtris mederi ægritudinibus, nō ſine inſigni miraculo; maxime vero in extrema vnctione, quod ſacramentum ideo morituris confertur, & in magna annonæ caritate mirabiliter homines ſuſtentat. Præcipuam vero Religioſorum curam tunc gerit, qui oſtiatim mendicantes, miraculoſe propemodum vitam tolerant, etſi miraculum non ad oculum pateat.

31. Maij in lectione Breuiar. Pſal. 106. 18

Cęterum quęſtio hic oritur, quo pacto Euangeliſta dicat, turbam hanc Dominum ſecutam, ob id quod eius conſpexiſſent miracula, cum Chriſtus ipſemet in hoc eodem capite illis obijciat, quod eum quæſierint, *non quia ſigna viderant, ſed quia ex panibus manducauerant, & ſaturati erant.* quæ ſibi mutuo cōtrariari videntur, duplici modo poſſumus reſpōdere. *Primo*, homines hoſce prima vice, ex deuotione Dominum ſecutos, cupientes ipſius audire verbum, ipſiuſque miraculis refici, prout à nobis ſuperius commemoratum, verum cibo iam ſaturos, coniecisſe oculōs magis ad res temporales, quā ſpiritales: quod & nobis ipſis ſæpenumero vſu venit, qui in

Quæſtio. Ioan. 6. 26. Reſponſio duplex. 1.

necessitate diuinum imploramus auxilium, verum iã securi, ac voto potiti, immemores sumus benefactorum, instar canũ, qui rugiente stomacho varias addiscunt gesticulationes, quib. suis gratificẽtur Dominis: saturi vero has nihil curant.

Altera. *Secundo*, Respondeo. Non ideo eos, etiam prima vice, Dominum secutos miraculorum causa, hoc est, vt ex eis spiritalẽ aliquem haurirent profectum, ob quẽ miracula erant facta, nempe, vt inde discerent, Christum verum Dei filium, sed propriam ex hoc captasse vtilitatem, illudq; quod Christus pro minimo reputabat, illos primario habuisse loco, nempe, priuata temporalia cõmoda: contra, quod Christus maximi faciebat: nempe, sui agnitionem, id ipsos minimi feciisse, ac quasi contemptui habuisse. Ea igitur de caussa, Euangelista ait, eos Dominum secutos: *quia videbant signa quæ faciebat, super his qui infirmabantur.* ac si aperte diceret, ideo Christum sequebantur, vt eorum curaret infirmos: non vero, vt propter edita miracula gloria ipsius redderetur illustrior. Hinc est, quod D. Augustinus conqueritur, plurimos passim reperiri, qui non tam Christum propter Christum, quam propriæ vtilitatis gratia quærunt. Quales *in primis* sunt, qui Ecclesiasticos ideo sollicitant, vt per ipsos in rebus iuuentur temporalibus, postulantes testimonium Pastoris, ac Confessarij sui, quo possint ad aliquam promoueri dignitatem. Vnde nonnulli suos interpellant Confessarios, quatenus pœnitentes moneant, suis satisfacere creditoribus; alij, vt eleemosynam aliquam pro se, suisque amicis extorqueant: non aliter ac si vel debita sua venirent repetitum, vel eleemosynã expetitũ. Vnde qui tale quid in confessione pertractant, non tam de suis confitentur peccatis, quam quod ex dispensatore mysteriorum Dei velut rerum temporalium efficere quæstorem. Sunt & alij qui ideo confitentur, vt postea in temporalibus sentiant confessariorum operam: ad momentanea magis, quam ad ea quæ saluti conducunt, intenti. *Secundo*, qui in rebus temporalibus sibi ipsis per Ecclesiam opitulantur: quẽadmodum infideles, qui ob barbarorum rabiem nõnunquã ad Christianorum confugiebant basilicas, vt illic vna cum cæteris (barbari namque ac pagani Christianis, vti Augst. ait,

Tract. 25. in Ioan.

Quinam Christum proprię vtilitatis caussa quærant.

1.

2.

Lib. 1. de ciu. Dei. c. 1

ſit, quandoque parcebant) ab hoſtili inuaſione tutiores eſſent. *Tertio*, qui ſpiritalia petunt, ob carnalia: quales *Inprimis* ſunt, qui filios, ac conſanguineos ſuos, ideo in monaſteria detrudũt, aut ad opimas præbendas promouent, vt poſtea temporalibus horũ bonis gaudeant. *Deinde* qui hac de cauſa ad Eccleſiam adſpirant, vt vel Chriſti patrimonio efficiãtur ditiores, vel mollius, delicatiusque viuant, aliquã conſequãtur prælaturã (plus mitram pedumque famentes quam Dei cultum opere exercentes) aut ſimile quid emolumenti, honoriſque conſectentur. *Poſtremo*. Qui in adminiſtratione Eccleſiaſticæ functionis, plus numerandis pecuniis, quam animabus lucrandis inſiſtunt. Apoſtolorum hæc vox erat: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Itaque hac de cauſa ſeptem delecti ſunt Diaconi, qui externũ obirent munus. Hodie multis in locis, longe ſecius contingit: ante omnia diſplicitur, quantum emolumenti beneficium culinæ allaturum ſit, ſepoſita interim omni animarum Chriſto lucrifaciendarum cura: Deinde, diligentior adhibetur ſollicitudo pro temporalibus, quam vt Eccleſiaſticæ obligationi ſatisfiat. Hinc decimas, alioſq; annuos fructus, nos ipſi percipimus: Miſſarum vero dicendarum, aliorumque grauaminum obligationes vicariis, aut Sacellanis noſtris imponimus: quaſi æquum nõ ſit, vt nos tales ſubeamus functiones, qui tantæ ſumus, vel familiæ, vel eruditionis, tantique in oculis noſtris. Chriſtus Dominus monebat. *Primo: quærendũ eſſe regnum Dei, vt deinde cætera adijcerentur nobis*; verum nos quærimus primo tẽporalia quaſi regnum Dei vltro nobis adiiciatur. Itaque omni ſtudio, frugibus, nummiſque inſudamus, horarum canonicarum pẽſo ſepoſito, aut curſim perſoluto: non conſiderantes qualiter, & quam illæ in choro, à Mercenariis, inepte, ac ſine attentione deglutiantur. Cum tamẽ ideo temporalium vſus nobis donatus ſit, vt omni deuotione ſpiritalibus incumbamus. Neque. n. Eccleſiaſtici facti ſumus vt inſtar porcorum, ventrem farciamus, ſed vt Deo ſeruiamus, illique gratum obſequium præſtemus. Quæ ſi ita tecum nõ ruminaueris, cogita Deũ eo diſtrictiorẽ, de quolibet denario, ex Eccleſiaſticis bonis, quæ patrimonium ipſius ſunt,

3.

Act. 6. 2.

Mat. 6. 27.

rationē exacturū, quo hæc grauiora sunt, quam si verba ociosa (de quibus singulis in die iudicij reddēda erit nobis ratio) proferamus. Ecclesiastica bona specialiter Deo dicata sūt, & qui his abutitur, sacrilege in Deum peccat. Quotquot ergo de Christi viuitis patrimonio, considerate, quo pacto illud expendatis. Christus enim accuratissimam huius rei curā habebit. Nolite vobis ipsis abblandiri, alioquin infinitam diuinæ vltionis sentietis vindictā, ac iustissimā sententiam.

Matt. 12. 36

IV. *Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat, cum discipulis suis.* describit hoc loco notabiliter Euāgelista huius miraculi, quod narrare intendit locum, tempusque, vt per rerum circumstātias fides scribenti habeatur, quod commune est omnibus Euangelistis, cum fidei nostræ mysteria describunt, nam quia per hæc, magna in mundum inuecta mutatio, veterisq; Legis in nouam transformatio, solent rei gestæ tam locum, quā tempus describere. Sic cum Christi conceptionem ab Angelo Virgini nuntiatam enarrant, (primum scilicet nouæ legis Exordium) scribunt in Nazareth accidisse, tribus mensibus antequam Ioannes Baptista nasceretur. *Deinde*, quod Christus tunc in Bethleem natus sit, cū totius orbis generalis esset descriptio. *Tertiò*, quod Ioānes Baptista exorsus sit prædicationem & baptismum, iuxta Iordanem, quintodecimo Tyberij Cæsaris anno. *Quarto* Christi transfigurationem in qua à Patre suo cœlesti noui testamenti mediator, ac doctor pronuntiatur, qui in locum Moysis succedat, in edito quodam monte, quem Thabor fuisse plerique adserūt, accidisse, idq; sex diebus postquam de sua locutus fuisset passione. *Quinto*, Christum Hierosolymis grauia subijsse tormenta, ipsamque mortem, in monte Caluariæ sustinuisse, ibiq; sepultū cū pridie, post agni paschalis esum, sanctissimum corporis sui sacramentum in monte Sion instituisset; illo nimirum tēpore, quando Iudæorum erat Pascha. *Sexto* eundem à mortuis resurrexisse, post magni illius Sabbathi diem. *Septimo* ascendisse in cœlum quadragesimo inde die, ex mōte Oliueti: ac post dies decem, hora tertia post exortum solis, Sanctum misisse Spiritum, discipulis Hierosolymæ pariter confidentibus; in his namque & similibus scripturæ locis accurate ponitur tēpus, &

Consignatio circūstantiarū cur?

Luc. 1.

Luc. 2.

Luc. 3. 1.

Matth. 17.

Matth. 28.

Act. 1. 3.

Act. 2. 15.

Cur in Scripturis aliquando exprimatur tēpus & locus

pus, & locus, vt *inprimis* doceamur hæc magna esse, ac indubitatæ fidei; ita vt refragari non liceat. *Deinde*: ne cuiquã innouandæ religionis dogma in Ecclesiam introducere molienti, facile fidẽ habeamus; nisi tam loci, quam temporis, in quo hæc facta sit innouatio, accuratam nobis rationẽ reddat. omnes quotquot existunt hæretici, qui nouis studẽt antiquũ priscæ religionis vigorem obliterare; solẽt de ijs quę sibi displicẽt, illud cõminisci, vt dicant, post Apostolorũ tẽpora, magnum paulatim irrepsisse in Ecclesiam abusum, sũmam immutationẽ introductam, contra expressum Dei verbum, sinceramque Apostolicam doctrinam, abusũ vocant, quidquid ipsorum stomacho parum ridet. Sic Arrianis, & Macedonianis olim abusus, imo sacrilegium erat, quod in Sanctissima Trinitate tres personæ, non nisi vnus sint Deus. Similiter & Nestorianis, pro abusu erat, Christi personam, Deum pariter esse, & hominem, B. Virginem Dei & hominis existere matrem. Et Iouiniano cœlibatum matrimonio prę-ferri; nostris vero hæreticis; tam multa sunt, quæ displicent, vt nihil fere apud nos Catholicos in vsu sit, quod nõ pro abusu reputari velint; nempe, missæ sacrificinm, Ecclesiæ sacramenta, *imaginum* cultum, *inuocationem* sanctorũ, orationẽ pro *defunctis*, cœlibatum sacerdotum, vota religiosorũ, ciborum *abstinentiam*, quæ quidem omnia (vt ipsi garriũt) paulatim Pontificum, ac presbyterorum pertinaci studio nouiter adinuenta, *introductaque* sunt. Verum cum ab ijs locum, ac tempus, quando hæc tam insignis primo facta sit innouatio, quærimus. Nempe vbi, quando, quisue primus missam celebrauerit, confessionem exceperit, sanctos inuocauerit, imagines coluerit, pro defunctis orauerit, &c. Tũc quouis pisce taciturniores sunt: vt nec locum nec tẽpus nec autorem vllum nominatim queant exprimere; respondent, quod Põtifices quidam id paulatim fecerant, nullius interim proferendo nomen, sub quo potuisset aliqua nouæ religionis introductio, parũ cum Apostolica doctrina conueniẽs, esse inuecta. vnde prudentiores facile aduertunt, merũ esse succum, immo magnum adiumentum ad quasuis introducẽdas nouitates, rudemque plebeculam in omnes errorum

latc-

Ioan.6. latebras pertrahendum, Ioannes Euangelista huius scriptor Euangelij, volens aliquanto copiosius, enucleatiusque de sanctissimo Eucharistiæ sacramento differere, de quo Christus Dominus, postquam turbam hanc quinque panibus, ac duobus piscibus refecisset, multa præclara, ac sublimia documenta proposuit: voluit idcirco locum, tempusque in quo hæc acciderant, accurate describere; vt nimirum omnia ita veraciter accidisse credentes, ea magno in pretio habeamus, singulaque verba, quæ de hoc pane cœlesti, hoc est venerabili altaris Sacramento dicerentur, dili genter trutinaremus nullatenus cum sacrilegis hęreticis cogitantes, Christum tã prolixa, tamque seria disputatione, non nisi exiguum nudi panis frustulum nobis obtrudere, sed potius ipsissimum sacratissimũ suum corpus, vna cum anima, ac deitate, de qui-
Ioan. 6.51. bus cum Capharnaitis differens, aiebat: *panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mũdi vita*, quippe *est panis ille*, nõ qui ex pistoris prodijt furno, *sed qui de cœlo descendit*, vnde *si quis manducat hunc panem viuet in æternũ, &c.* Christo vsitatissimum erat, in montibus orationi, prædicationique vacare, vt suo nos doceret exemplo, ad altiora contendere, non tam corpore, quam animo ac cogitatione, non quidem vti dæmon fecit,
Isai. 14.13. *qui in cælum conscendens, sedendo in monte testamenti*, super astra Dei, suum voluit exaltare solium, sedens *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, vel etiam ex edito monte ostendẽdo Christo omnia regna mundi, eorumque gloriam: qui quidẽ mõs,
Matt. 4.8. est superbia, cui fucata illa Babylonica meretrix insidet: sed
Apoc. 17.4 vt Christus; qui ad sublimem perfectionis apicem, nos cupit euehere. Plurimi inferius remanent, ad littus maris, nempe qui per confessionis remedium sua expiarunt peccata, eaque serio detestantur, atque in vulgari virtutum studio se se exercent, seruando scilicet matrimonij leges, viuendo sobriè, honestè, verecunde, aliisq; necessarijs ad salutem virtutibus incumbendo. Atque hi laudabiliter agunt: verum, vt qui ad littus maris habent domicilium, in periculo degunt, quando ingens maris ingruit tempestas; ita & hi graue incurrũt nocumentum, quando mundus aduersæ tempestatis procella concutitur. Vnde Christus discipulos ad Euangelicæ perfectio-

fectionis montem adſumens, eos ſemper, & vbique præcedit, factis prius docens, quæ ab ipſis deinde fieri vult. Itaque volens nos ad voluntariæ paupertatis amorem inflammare, inquit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes & da pauperibus.* Mat. 19. 21. de ſe ipſo verò ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Hortatur nos deinde ad humilitatem, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Mat. 8. 20. Monet inſuper, vt manſueti, miteſque ſimus: cũ dicit: *Beati mites, quoniam ipſi poßidebunt terram.* Mat. 11. 29. De Chriſto enim Scriptura prodit, quod cum vocaretur *vorator, vini potator, Samaritanus*, atque *dæmonium habens*, &c. Nihil reſponderit aliud, quam: *ego dæmonium non habeo.* Mat. 5. 4. Vult præterea, vt à riſu cachinoque abſtinentes, lamentis, pœnitentiæque exercitijs vacemus dicens: *Beati qui lugent, & væ qui ridetis nunc.* Ioa. 8. 49. Vnde & in his prior ipſe nos præcẽſſit, quia ſæpius fleuiſſe legitur; riſiſſe nunquam. *Quarto*, cupit nos vigilijs: precibuſque intẽtos: *vt vigilemus & oremus, vt non intremus in tentationem*: ipſe multas noctes inſomnes ducens, & orationi ſolũmodo inſiſtens. Luc. 6. 21. *Quintò*, ſerio nos hortatur, vt ignoſcam⁹ his qui aduerſus nos deliquerunt, orando pro ijs. Mat. 16. 41. Luc. 21. 37. & c. 6. 12. Idem ille fecit, cum cruci adfixus, Patrem pro tranſgreſſoribus oraret: dicens: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34. *Sexto*, monet, vt humiles, obedienteſque ſimus: de ipſo autẽ Paulus ſcribit, quod fuerit *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*: immo *tanquam ouis ductus eſt ad occiſionem, non* ſemel quidem *aperiens os ſuum.* Mat. 11. 29. Phil. 2. 8. Iſai 53. 7. *Septimo*: iubet vt nos mutuo diligamus, dicens de ſe ipſo: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis, pro amicis ſuis.* Ioan. 15. 17. Ibid. 13. Nam etſi maioris videatur eſſe charitatis, pro inimicis animam ſuam ponere: attamen qui inimicos ſuos, loco amicorũ habent, pro ijs animam ſuam offert, vti Chriſtus fecit, is in charitate perfectus eſt. Chriſti itaque doctrina omnes alias quaſcunque ſuperat, quam cum audis, ſurſum cõſcende, non ſicuti exhalationes humidæ ex aquis, cum nebula aſcendentes, quæ in aere condenſatæ, rurſus cum imbre in terram decidunt, ſed inſtar fumi qui in aërem transformatur. Sunt nonnulli qui perfectionis incipiunt ſemitam, ſed citiſſi-

Li. de vita pie inſtituenda. citiſſime referunt pedem. Refert Dorotheus Archimandrita monachum quendam à ſuperiore ſuo miſſum fuiſſe, ad Seridum Abbatem, ita tamen, vt eodem illo die remearet domum, interim vero immenſa oborta tempeſtate, ac grauiſſimo imbre decidente, ſuaſere ſeniores, vt nocte illic conquieſceret, verum ille Abbatis ſui imperio parere volens, egreſſus eſt foras, Alijs inter quos & Dorotheus erat, eum ad amnem vſque, qui mirum in modum intumuerat, perſequẽtibus, ſperantes, illum, cum tantam aquarum inundationem conſpexiſſet, mutaturum conſilium, pedemque retracturum verum ille, exutus veſtibus, iiſque ceruici impoſitis, natatui ſeſe tradidit, cum illico ſtupentibus omnibus, in alteram ripę partem tranſlatus eſt, Deo tantam largiente obedientiæ merito virtutem, hinc diſce & tu auſpicata fœlicius conſummare.

Doctrina 1 de renuntiatione in fine eſt tō. 3 Bibliothe. ta Sancta.

Mar. 6. 30. Marcus inquit Apoſtolos prædicationis munere perfunctos, expleto iniunctæ legationis officio ad Chriſtum redijſſe, rationem reddentes, eorum quæ egerant, docuerantque,

Apoſtoli nos docẽt 1. inſtruentes *inprimis* nos, quod omnes Catholicos Paſtores, Doctores, concionatores deceat paratos eſſe, ad reddendã, ſuperioribus rationem rerum à ſe geſtarum, ac prædicatarũ.

Gal. 2. 2. Quemadmodum Apoſtolus Paulus fecit, qui aſcendens Hieroſolymam, contulit cum vniuerſalis Eccleſiæ Primate, atque Apoſtolorum cæterorum vertice, B. Petro, Euangelium quod prædicabat in gentibus, cum etenim Petrus ſit petra illa, ſuper quam Chriſtus ſuam ædificauit Eccleſiam,

Act. 15. 1. Mat. 16. 18. quiſquis huius fidei ſoliditati, quæ in Apoſtolicæ ſedis Cathedra ad finem vſq; perſeueratura eſt, non innititur, in vacuum nititur. *Secundo*, Inſtruimur, vt corporalis laboris exercitium, quod prædicando, confeſſiones audiendo, ſacramẽta adminiſtrando, proximiſque opitulando peregimus, & maxime poſt ſecularium rerum negotia, cum Chriſto, in remotiori monte conquieſcamus, examinando nimirum conſcientiam, quo pacto nos in commiſſo munere geſſerimus, offerentes Deo laborum noſtrorum manipulos, ac alacriter nos denuo, cũ hiſce Apoſtolis non diutinam in otio moram trahentibus, ad recentem occupationem accingentes.

Erat

Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum, describitur iam nunc temporis circumstantia, quando miraculum hoc, tanquam figura, ac præambulum sanctissimæ Eucharistiæ, (vti superius diximus) à CHRISTO designatum sit; qui haud multo post occasionem hinc sumens, Capharnaitis, de hoc eodem sacramento, longe lateque disseruit: docens omnes diuini verbi prœcones, animarum curatores, vt circà Paschatis solennitatem, populum instruant, in his quæ ad dignam tanti sacramenti sumptionem pertinere noscuntur: vnumquemque secundum ingenij sui capacitatem: edocentes mysteria illa, quæ in hoc ineffabili sacramento delitescunt. Singulis namque Christi fidelibus, sub excommunicationis pœna, serio præcipitur, semel circa solennitatem hanc Eucharistiam suscipere, vt ad minus semel in anno cũ Deo sese reconciliantes, illi vniantur, illique sese offerant, qui delitias reputat *esse cum filijs hominum*, & delectatur vt iugiter nobiscum permaneat dicens: *Ego ecce vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.* Donec scilicet, istud iuge auferatur sacrificium. olim ex Apostolica institutione, solebant Christiani sub quotidiano missæ sacrificio, cui semper intererant, quotidie communicare, prout ex Apostolorum actis colligere licet: Lucas enim commemorat illos *fuisse perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis* (Eucharistici) & operationibus, quibus sese ad eius dignam præparabant sumptionem; *quotidie*, scilicet, *vnanimiter perdurantes in templo, & fragmentes circa domos panem*; hoc est, vti Oecumenius exponit, in Ecclesia, quæ Dei domus est: ibi namque Apostoli Missæ sacrificium quotidie offerentes, panem Eucharisticum post consecrationem frangentes, præsenti populo sumendum distribuebant. Itaque Beatus Anacletus Pontifex iuxta, ac Martyr, hac de re huiuscemodi promulgauit decretum: *peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Verum quia præceptum hoc tepidioribus videbatur seuerius, idcirco à Fabiano Pontifice, circa

V.

Prou. 8. 31. Mat. 28 20 Dan. 12. 11.

Quotidiana communio.

Act. 2. 42. Ibid. 46. In c. 1. Act.

Epist. 1.

De Consec. dist. 2. Etsi.

circa annum Domini 238. Mitigatum est: qui docet satis fore si quilibet ter saltem in anno, nempe, in Paschate, Pentecoste, ac Dominicæ Natiuitatis solennitate, sacram Eucharistiam frequentaret, Et qui tribus hisce temporibus nō cōmunicauerint, eos Agathense concilium, quod circa annum Domini sextum supra quingentesimum, in Gallijs celebratū

Cap. 8. est, *neque pro Catholicis, neque inter Catholicos habendos* censet. At vero flacceſcente paulatim priscæ deuotionis, erga hoc sanctissimum sacramentum, feruore; miserta pia mater Ecclesia suorum filiorum, indulsit tandem (licet ægre) quantum omnino potuit. Alias namque cupiuisset, vt omnes Christi fideles, prout olim vsitatum fuit, quolibet saltem Dominico communicarent: vti constat ex antiquissimorum Patrū Monumentis; nempe, ex Cypriano, Iustino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, alijsque, qui hanc tam laudabilem consuetudinem magnopere commendant. Ea nāq; de causa anno Domini, Millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, solennem venerabilis Sacramenti diem instituit, vt singularis ei quotannis haberetur ab Ecclesia honos, non solum externo deuotionis cultu, sed internæ quoque pietatis affectu, quem condigna frequentiori illius sumptione declaraturi essemus: Quemadmodum à plurimis Christianis, testante D. Thoma, illa tempestate coli ac frequentari cœpit. Quemadmodum namque primaria cibi, & illorum qui ea coxerunt, laus, in eo consistit, si ingenti cum appetitu sumantur, ita & præcipuus huius sacramenti Eucharistiæ cultus, in eo est, si magno cum deuotionis affectu, ac desiderio frequenter suscipiamus. Nihilominus tamen, ne frigidiores illi Christiani facile in aliquam inciderent excommunicationis sententiam, aut lethalis peccati reatum, per inobedientiæ transgressionem, statuit eadem sancta mater Ecclesia, neminem in has coniici difficultates, qui semel saltem in anno, idque circa Pascha, sacramentum hoc deuotè susceperit. super quo OEcumenicum Lateranense Concilium, sub Innocentio III. Anno Domini 1213. Romæ celebratum, cui & plus quam 1215. interfuere Episcopi, vna cum Patriar-

Cypr. de orat. Dom.
Iust. Apo. 2 ad Anton.
Amb. l. 4. de Sacram. c. 6. & l. 5. cap. 4.
Iero. Apol. pro libro aduersus Iouin.
Aug. ser. 28. de ser. Dō.
Chrys. hom. 61. ad populum Antiochē.
In lectione feriæ 6. post festū ven. Sacramēti

Patriarcha Cõstantinopolitano, ac Hierosolymitano, huiusmodi promulgauit decretum. *Omnis vtriusq; sexus fidelis postquã ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus implere: suscipiens reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprij sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus; ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriẽs Christiana careat sepultura, vnde hoc salutare statutũ frequẽter in Ecclesiis publicetur; ne quisquã ignorantiæ cacitate, velamen excusationis adsumat.* Itaq; duo hic p̃cipiuntur, omnibus qui ad discretionis annos peruenerunt, qui quidẽ ab annis, secundum Iurisperitorum calculum, circa pubertatis tempus incipiunt; in masculo nempè, dum annum 14. attigit; in puella, dũ duodecimum. Quãdo nimirum matrimonio sunt habiles; quãquã nec in iunioribus esset magna difficultas, quo minus ad hanc mensam admitterentur, quando istius sunt iudicij, vt sciant, se Christi verum suscipere corpus, neq; enim minus in ipsorum innocentibus operatur animabus, quam in adultiorum: quorum mens variis sæpe passionũ nebulis obscuratur. hinc ante annos 1300. testatur Cyprianus, infantes Maternis adhuc vlnis insidẽtes, huius sacraméti factos participes, proinde nõ rectè faciunt parentes, qui liberos, ob annorum morumve pueritiã, ab hoc salutari epulo excludunt. pueritia sufficiens ratio nõ est, cur tam ineffabili priuentur spiritali fructu; si alias bonę sint indolis, tãtiq; iudicij, vt cum aliquali reuerentia accedentes, intelligãt, se Christum illic realiter præsentẽ habere, qui eos ideo inuisit, vt virtutum donis decoret. Itaq; duo vt dixi includit hic canon, quorum primum est, vt semel saltẽ in anno, proprio confiteamur sacerdoti, ꝙ quidẽ prius faciendum est, antequã ad sacram Eucharistiã accedam⁹, ne si secus cõtingat, diabolum cum Iuda ꝓditore accipiamus, vel vt Apostolus ait, *iudicium nobis ipsis manducemus, simusq; rei Dominici corporis & sanguinis.* Christ⁹ ꝙ peccatores serio resipiscẽtes diligit, eosdẽ in malo obstinatos detestatur. Refert Petrus Cluniacensis Abbas cognomento *Venerabilis*: duos extitisse, qui non sincere confessi, sacram hostiam deglutire nõ

Canon. 21.

Serm. 5. de lapsis.

Ioan. 13. 27
1. Cor. 11. 21.

Lib. 1. Mirac c. 3. & 5.

Ibid. c. 2. poterant, donec rite confiterentur. Inter cętera quoq; narrat in Germaniæ partibus, quendā fuisse presbyterum, qui cum in lethali sacrificaret peccato, iamq; ad sacramēti sumptionē peruenisset, hostiā è manibus eius euanuisse, nihilq; in Calice conspexisse; qui etsi suspicaretur diuina id vltione factum, vt tamen de euētu rei certior redderetur, sequenti quoq; die, inter missarum solennia, idem sibi accidisse comperit. & cū tertio die persuasum sibi haberet, q̄ omni conatu hæc impediturus foret, nihil profecit; atq; ita compunctus Episcopum adijt, illiq; confessus; impositā sibi ab eo pœnitentiā studiose adimpleuit; ieiunijs interim, ac vigilijs, verberib⁹, ac varijs cruciatibus corpus suum castigans: q̄ cum longo admodum tēpore fecisset, tandē Episcopi permissu, rursus sacrū accessit altare, & ecce nouum denuo miraculum, veniens namq; ad sacram cōmunionē, tres illas antea sibi subtractas hostias, & calicem sanguinis refertum conspexit, tanto signo facile colligens, diuina bonitate iam sibi redditū esse, quod ob peccati flagitium perdiderat: vt suo doceret exemplo, ne vnquam, cum mortalis peccati conscientia, Eucharistiam sumemus.

Proprius sacerdos quis?

Proprius vero *sacerdos*, cui confitendum est: superior est qui animæ tuæ gerit curā: nempe, apud sæculares *ordinarius* Pastor, aut Episcopus, apud Religiosos vero Abbas, siue Prior, aut Guardianus, vel quocunq; demum vocetur nomine: & præter hos etiā Prouincialis, ac Generalis, nec nō & Episcopus, maxime si ab ipsius iurisdictione specialiter exempti nō sint: quin & Roman⁹ Pontifex, qui Christiani ouilis generalis est Pastor: sed quandoquidē hi ordinarij superiores, per se non queunt subditorū omnium excipere confessiones: alios possunt sibi adsciscere, q̄ dicūtur *propry* sacerdotes. Sic Pastor substituit Sacellanos, Episcopus Pœnitentiarios, p̄ sua diœcesi: Papa Nuntios, pro his vel illis mundi regionibus. Habet insuper Papa alios adhuc sacellanos, nempe, quatuor mendicantium Ordinum Religiosos, & qui illorum gaudent priuilegijs: illis namq; omnibus facultatem largitur excipiendarū passim per orbem confessionum, cum limitatione tamen decreti sacri Cōcilij Tridentini: Itaque præcepto S. Matris Ecclesiæ facimus tunc satis, quando alicui horum iam nominatorum

Sess. 23. ca. 15. de Reformat.

torum sacerdotum, semel in anno nostra confitemur delicta, siue ordinarij illi sint, siue ab ordinarijs constituti.

Alterum est vt semel in anno, circa Pascha, Sacramentum Eucharistiæ reuerenter suscipiamus, dederat quidē Christus mandatum de huius Sacramēti sumptione, cum diceret: *nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitam in vobis*, verum quia non determinat locum, vel tempus, Ecclesia definit quando, quomodo, & quoties id faciendum; exprimit namq; vices, dum inquit: *ad minus semel in anno* tempus; nempe, *Pascha*; modum; nimirum, *reuerenter*, numerus est, vt *semel ad minus* fiat, licet satius foret fieri frequentius: nam sicuti nouum cōmittit letale inobedientię peccatum, qui ne semel quidem accedit, ita qui raro, sæpe in venialia incidit peccata, repescit in amore Dei, prauas vitiorū passiones altius imbibit, procliuior fit ad mortalia, ad actiores dæmonum incursus, ad incantationum frequentiores occasiones, ad alia deniq; tā corporis, quam animæ nocumenta, tempus est *Pascha*; Hoc est, à die Palmarū, vsq; ad Dominicā in albis, seu (vt vocant) *quasi modo* quod quidem tempus, ideo Apostolica institutione nobis adsignatum est, vt veteris Testamenti figuram, quā Iudæi mordicus obseruabant, etiam nos Christiani obseruarem⁹; sicut enim Christus ait, se nō in mundum veniſſe *vt solueret*, sed *adimpleret legem*; ita & p̄ceptum de Paschali comedendo agno, potius cōsummare, quā abrogare voluit. In veteris Testamēti Paschali agno, quinq; cōsideranda sunt: quę vti illic imperfecta, sic p Christum in nostri agni esu perficienda erant. *Primū* est, huius instituti ratio. Est namque, ait Dominus, *transitus*: vnde hæc solennitas nomen est sortita. quippe *Pascha*, aut *phase*, vel, put in Hebręo est, *Pesah* transitum significat, qui tunc accidit quando Deus seuere in Ægyptios animaduertēs, omnia eorū primogenita internecione deleuit; ptransiens ædes filiorum Israel, quorum postes agni sanguine illitas conspiciebat. Quem typum, Christus transiens ex hoc mundo ad Patrem, impleuit, Sacratissimę passionis suæ morte, pœnas de malignis spiritib. sumens, eosque ex mundi huius dominatu, in tartarum perpetuo cruciandos detrudit. Quapropter sicuti Iudæi in suo Paschate

Christus præcepit communionem. *Ioan. 6. 35.*

Matt. 5. 17

5. Considerandā circa esum agni Paschalis. Primum. *Exod. 12.*

recolebãt memoriã liberationis suæ ex Ægyptiaca seruitute: ita nos, cũ magna gratiarũ actione, recolim⁹ beneficiũ illud, quod eodẽ tempore Christus nobis præstitit; eripiens nos ex diabolica tyrannide, qua humanũ genus ad aliquot annorũ
Luc.22.19 millia oppressum vinctũq; detinebatur. Vnde dũ Sacramentum hoc instituere vt id *faceremus in suã cõmemorationem*; mandauit: *Quotiescunq; enim manducamus panem hunc & bibimus calicẽ, mortem Domini*, vti B. Paulus ait; *annuntiamus*. sanguinis effusione factã. *secundũ* est, ipsa victima quæ imolabatur; nempe,
1.Cor. 11. 26. agnus anniculus, immaculatus, masculus: quo Christi mun-
Secundũ. *Exod.12.5.* dissimũ corpus significabatur, ꝙ tantę erat puritatis ac mundiciei, cum 33. ætatis anno Sanctissimum hoc Sacramentum instituere, quã erat primo post Natiuitatẽ anno. Quin etiam significat, nos in hoc Sacramento vera, ac reali vesci carne, sicuti olim Iudęi in agni Paschalis esũ faciebant. Illi quidẽ agni
Tertium. carne, nos vero Christi corpore. *Tertiũ*, non potuisse agnum, nisi Hierosolymis comedi, & à Circumcisis tantum; Ita & Christus, Pascha nostrum, imolari, ac comedi nõ potest, nisi in S. Catholica Ecclesia quæ vera est Hierusalem, in qua soli
Coloss.2.11. Christiani, circumcisi *sine manibus*; sicuti Apostolus loquitur, hoc est, baptismatis Sacramento initiati, cuius circuncisio e-
Quartum rat figura, illud comedunt. *Quartũ*, ꝙ agnus Paschalis in qualibet domo, à patrefamilias, primo debuerit Deo imolari, ad
Exod 12.6 vesperã in sacrificium: & licet omnia veteris Testamẽti sacrificia, à solis Leuitici generis sacerdotibus, in tẽplo Salomonis, offerri oportuerit, habebat tamẽ Paschale sacrificiũ istud priuilegij, vt & ab alijs, & extra tẽpli limina, possit immolari:
Lib.1. de vita Moysis. omnis nãq; paterfamilias, vt, Philo testatur, in hoc sacrificio, domi suæ sacerdos erat. quo significatur, sacrificiũ ꝙ Christ⁹ in cruce peragebat, nõ solũ offerendũ domi sed & foris; nec sæpi⁹, sed semel; idq; postquã cũ discipulis suis verũ Paschalẽ
Luc.22.15. agnum comedisset, dicens: *Desiderio desideraui hoc Pascha vobiscũ manducare*; nempè nouum hoc Sacramẽtum. *Professus itaq;*, in-
Lib 4 aduersus Marcionẽ c.antepen. quit Tertullian. *se concupiscentia edere pascha, vt suũ, (indignũ enim quid alienũ concupisceret Deus) acceptũ panem, & distributũ discipulis, corpus suum illum fecit.* vnde significatur hic sacrificiũ illud quotidianum, ꝙ in missa Deo Patri immolatur, circa cuius finẽ

comedi-

comeditur, ac ſumitur id, quod immolatũ eſt; de quo Paulus; *Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus: Itaq; epulemur*, ſiue vt Cyprianus legit, *feſta celebremus*, id eſt, hilares ſimus in ſpiritali noſtro epulo, prout in maioribus ſolitũ eſt fieri ſolẽnitatibus. Chriſtus itaq; in vltima cœna, ſacrificiũ obtulerat panis & vini, iuxta morẽ Melchiſedech, Dauidico inhærens vaticinio, *Tu es ſacerdos in æternũ*, hoc eſt, vſq, ad conſummationẽ ſæculi; *ſecundũ ordinem Melchiſedech*. deditq; idẽ illud ſacrificium diſcipulis non ſolũ vt inde veſcerentur; ſed etiã præcepit, vt idẽ facerẽt, ꝙ ille fecerat, hoc eſt offerrent, alijſq; diſtribuerent: Quemadmodũ antiqui orthodoxi Patres vnanimi conſenſu exponũt. Nempè Cyprianus, Epiphanius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Euſebius, Emiſſenus; vnum idẽq; cũ Catholica ſentientes Eccleſia. Ergo quotidie adhuc ſacrificium hoc, ſicuti Gaudentius ait, in diuerſis domibus, ſeu Eccleſijs, à patrefamilias, hoc eſt, à Paſtore, qui parochiæ ſuę pater, immolatur; quãdo in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio Chriſti corpus, cõſecratur, ſumitur, populoq; diſtribuitur. Itaq; Catholicæ Eccleſiæ vſus habet, vt Chriſtiani omnes, Paſchali tempore, in propria parochiali eccleſia, Sacramentum hoc ſuſcipiant; ſignificantes hac ratione, ſe non ſolũ Catholicos eſſe, verum etiam fideles ſuorum Paſtorum ſubditos.

1. *Cor.* 5. 7.
Lib. 3. *ad Quirinum cap.* 12.
Pſal. 109. 4.
Cypr. li. 2. *ep.* 2. *Epiph. hær.* 55. *Ambr. de iis qui initiantur c.* 8 *Chryſ. ho.* 53. *in Gen. Hier. ep ad Marcell. & Euagr. Aug ep.* 95 *q.* 61. 11. 83. *Euſe. ho.* 5. *de Paſcha. Gaudentius tract.* 2. *in Exod.*

Quintũ eſt comedendi agni mod⁹; qui figura erat, ſignificãs quo pacto nos Chriſtiani Paſcha noſtrũ, id eſt, venerabile hoc Sacramẽtũ comedere debeam⁹, ſumebãt nãq; illi *inprimis* de ſanguine agni, & ponebãt ſuper vtrũq; poſtẽ, in ſuperliminarib. domorũ: vt nos animas noſtras, ſimul & corpora, meritis paſſionis Chriſti exornemus, & ſummũ ꝙ in nobis, nẽpè, intellectũ, huius tã ꝓfundi myſterij cõſideratione occupemus, grata ac memori mente, ſacratiſſimã eius paſſionẽ recolẽtes. *Secũdo*, comedebãt agnũ *aſſum igne*: ſimiliter & nos, eiuſdẽ agni, veru crucis, feruẽtiſſimo charitatis ardore trãsfixi, carnes comedere debemus. *Tertio*, comedebant *cũ azimis panibus*; *hoc* eſt, quemadmodũ Paulus exponit, cũ purę cõuerſationis ſinceritate, nõ in fermento malitię, & nequitię. *Quarto*, cũ *lactucis agreſtibus*; id eſt, cũ vera animi cõtritione, ac amariſſima paſſionũ Chriſti recordatione. Cũ nãq; ad hoc cęleſte accedimus

Quibus cæremonijs Iudęi ſint olim vſi in eſu agni Paſchalis.
Exod. 12. 7. 2.
Ibid. 8. 3.
Ibid. 1. *Cor.* 5. 8. 4.

epulũ, debem⁹ ſincere de peccatis noſtris, quę Chriſto mortẽ
5. intulerunt, dolere. *Quinto*, nõ comedebãt *crudũ nec coctũ aqua*.
Ioan. 6. Sacramẽtũ quippe hoc, nullaten⁹ crude, ſeu carnaliter, cũ Ca-
Aug tract. pharnaitis intelligendũ, putãtib. Chriſti corpus, vt in laniæna
26. & 27. fit, in partes aliquot ſecãdũ ac fruſtatim edẽdũ, ſimiliter nec
in Ioan. humano intellectu debemus id velle cõprehendere, ſed cum
Pulchrè fidei lumine venerãdo, ac cum charitatis feruore comedẽdo
hæc omnia ſuſcipere. *Sexto*, omnia cõſumebãt vna cũ *capite, pedib⁹, inteſtinis*,
myſticè &c. Hic nãq;, accipimus ipſam Deitatẽ, quę caput Chriſti eſt,
exponit D. eiuſq; corpus, partẽ nimirũ infimã, & animã, quę tanquã inte-
Grego. ho. ſtina in ventre, abdita eſt. *Septimo*, feſtinanter agnum hunc *de-*
22. in *uorabãt*, quaſi itineri accincti. eſt namq; diuina hæc eſca, cum
Euang. 6. deuotione, auide, ſine vlla dilatione ſumenda, tanquã animæ
1. Cor 11. 3. medicina, p quã robur acquirimus, cõtra aduerſarios noſtros
7. iuxta illud Dauidis: *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos*
Exo. 12. 11. *q tribulant me*, quin & viaticũ noſtrũ eſt, quo in fine vitæ mu-
Pſal. 22. 6. nimur: *q* enim *manducat hunc panẽ, viuet*, inquit Chriſtus, *in æter-*
Ioan. 6. 51. *nũ*, hinc Chryſ. ait, ſacramentũ hoc rite ab Agonizantib. ſump-
Lib. 9. de ptũ, animas ipſorum ad cælum ꝓuehere. *Octauo*, nõ debebat
Sacerdotio quidquã inde relinqui *vſq; mane*. Et ſi quid reſiduũ eſſet, igne
8. cõburebatur: debem⁹ etenim omnia quę Eccleſia de hoc Sa-
Exo. 12. 10. cramẽto ꝓponit credẽda, fideliter intra cordis noſtri pene-
tralia ſuſcipere: & ſi quid ſit q intellectu cõſequi nõ poſſim⁹,
Deo omnipotẽti cõmittere, cogitãtes, nihil in hac fieri, q di-
uinæ Maieſtatis potẽtiã (omnipotens quippe eſt, apud, quem
Luc. 1. 37. nõ *eſt impoſſibile omne verbũ*) excedat, Deumq; multo plus poſſe
efficere, vt bene Auguſtinus, poſt D. Paulũ ait, *quã cogitare aut*
Epiſt. 3. ad *Voluſianũ.* *intelligere valeamus*: quodq; nihil ſit impoſſibile ipſi⁹ infinitę, ac
Eph. 3. 20. imẽſę charitati, qui tãto nos ꝓſequitur amoris affectu, vt ſe-
ipſum nobis in cibũ vltro obtulerit, volẽs nos penitus vnire,
ac deuincire ſibi; nihil veritus per presbyterorũ man⁹ (quorũ
9. cõuerſatio ſępe improba eſt) ad nos accedere. *Nono*, renes ha-
bebãt *accinctos*: decet nãq;, vt acceſſuri Euchariſtiã, oẽs carna-
liũ deſideriorũ cogitationes, & quicqd turbat deuotionẽ, de-
ponam⁹. *Decimo*, Calceamenta habebant in *pedibus*: p quæ bo-
10. nos intelligimus affect⁹, quib. ad hoc Venerabile Sacramẽtũ
affici debemus. neq; enim decet, illud ex frigida cõſuetudine,
aut vt ab hominib. videam⁹, frequẽtare; vel alicuius tẽpora-

lis cõmodi gratia: quẽadmodum faciunt illi, qui nunquã nisi suo cum lucro, sacris operantur, aut qui ideo cõmunicant, ne reliquis, quos frequẽter Eucharistiã suscipere vident, viliores æstimẽtur, &c. sed vt in virtutũ ꝓgressu magnum capiam⁹ incremẽtum. *Vndecimo*, baculos tenebãt in *manib.* vt semp ligno crucis Christi innixi, frequẽter cogitem⁹, etsi digni nõ simus, qui tã ineffabilis sacramenti participes efficiamur, nostrisue operibus placeamus Deo; habere nos tamẽ fiduciã ex Christi meritis, ꝓ quæ etiã actiones nostræ meritoriæ reddantur. II.

Nota in eo quod Euangelista dicit, *dies festus Iudæorum*; significari, Christianorum festa longe ab illis debere esse diuersa. Erant illa *primo* Externa; nihil internæ dulcedinis habentia: in nostris autem, animæ accipimus consolationem. *Deinde* ipsorum pascha non nisi semel in anno peragebatur: nos vero singulis dieb. Dominicis possumus celebrare pascha. Ideo enim Iudæorum sabbatum in hunc diẽ Ecclesia cõmutauit, vt Dominicæ resurrectionis, quę in paschate accidit, memores sacratissimum eius corpus deuote susciperemus, adsumentes nouum hominem, sicq; actu ostendentes, quod de somno vitiorum excitati, vere cum Christo resurrexerimus. Festa Iudæorum & Christianorũ.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum. Marcus addit Christum videntem turbam, illius fuisse misertum. *Erant enim* inquit, *sicut oues non habentes pastorẽ.* vnde eis *loquebatur de regno Dei*, ait Lucas, *curans eorũ languidos*, sicuti Matthæus testatur. Disce hinc *inprimis*, insignem Christi modestiã, qui non huc, illucq; oculis diuagabatur, sed verecundè, eos detinebat; vt & nos cautiores efficiamur ad oculorum custodiã: Memores in quantas difficultates, ac miserias, Eua nos præcipitauerit, quam curiosus pomi aspectus decepit: & *Fili Dei*, hoc est, posteri Seth, *Videntes filias hominum*, scilicet ex sanguine Cain *acceperunt sibi ex eis vxores*, vnde plurima dein peccata, quibus prouocatus Deus, generali diluuio mundum deleuit. Dauid *Vir secundum cor Dei*; cum impudicos in Bersabeam coniecisset oculos, captus eius pulchritudine, fidem tori violauit, homicidium adulterio superinducens. Vxor Loth, audiens Sodomitarum intereuntium clamorem, cum ex curiositate respexisset, in statuam salis, vt nos suo VI. *Mar.* 6. 34. *Luc.* 9. 11. *Mat.* 14. 14. Custodia oculorũ. *Gen.* 3. 6. *Gen.* 6. 2. 2. *Reg.* 11. *Gen* 19. 26.

cõdiret exemplo, conuerſa eſt: cuius idcirco à Chriſto quoq; admoniti ſim⁹. Itaq; nemo ſibi nimiũ fidat, cũ nec Eua quę in omni virtutũ genere perfectiſſima à Deo creata erat, pfectiores ſimus, neq; filijs Dei ſanctiores, nec Dauide pręſtãtiores; ſicuti nãq; ſcintillę exiguę proſiliũt, & ſerpentes venenũ eiaculãtur, q & peſtifera laborat lue, aërẽ inficit, ita ex curioſo mulierũ aſpectu, vitioſarũ cogitationũ venenatiſſima peſtis exoritur, & ex aliarũ creaturarũ intuitu, noxię oriũtur cupiditates: vt curioſitate allecti, eas rapere, aut alio modo nobis vẽdicare geſtiamus, adeo vt Iob dicat eum ſaluatũ iri, qui ab intuitu rerũ externarũ cuſtodierit oculos, quos ideo, teſte B. Chryſ. nobis largitus eſt Deus; *Nõ vt impudice aſpiciamus, ſed vt opera eius admirantes opificẽ ipſum adoremus*, cũ ergo mali ſeſe offert occaſio, debemus eos verecũde detinere. *Fit namq; recta retributionis exanime*, inquit B. Greg. *vti qui exteriori nẽgligenter vtitur oculo, interiori nõ iniuſtè cæcetur*, hinc Hieremias queritur; *oculus meus depradatus eſt animã meã*, quia diabolus p oculorũ feneſtras, cordis ingreditur penetralia, mentẽ interiori caligine obtenebrãs. Cęterũ hæc dicens, nolo vt in terrã ſemp detorqueatis oculos, q indecorũ videtur; maximè ſęculari, qui tã arctè cõſtringi nõ poteſt, ſed *inprimis*, vt nullatenus oculos ad res mũdanas quis deflectat, quæ alicuius poſſint peccati, vel etiã vanitatis, deſtractioniſve materiã ſubminiſtrare. Quemadmodũ alibi ex D. Auguſt. de Alixio retulim⁹; qui ex improuiſo ſemel ad populi clamores, in ludos conijciens oculos, ea capt⁹ fuit dulcedine, vt diutius iſtis vaniſſimis cuperet immorari illecebris. *Deinde* ne viſũ quis curioſe circũferat. ſic nãq; interior animi ꝓditur leuitas; Quẽadmodũ Eccleſiaſtic⁹ inquit *ex viſu hominẽ cognoſci*, cui & Bernard⁹ adſtipulatur, dicẽs; oculos loquentis fidẽ facere dicentis. *Nec enim ita* ait, *affectum poteſt exprimere digitus, quomodo vultus*. Hinc eſt q religioſi capucijs tegant facies, ne vlterius oculi diuagentur, quã neceſſum ſit. Quãquã & alię hui⁹ rei rationes, à Caſſiano, ac Dorotheo adſignẽtur. *Tertio*, vt quãdo diuino occupamur officio in Eccleſia, ꝓceſſione, cõcione, &c. tũc multo vigilãti⁹ cuſtodiam⁹ oculos: ſignũ namq; magnę indeuotionis eſt, illic oculis, huc illucq; vagari. corp⁹ quidẽ videtur ad Dei cultũ intẽdere, verũ caput

Luc. 17. 32.

Simile.

Iob 22. 29. Hom 22. in 1. ad Cor. circa finem.

Li 21. mor. cap 7. Thr. 3. 51.

Oculi quomodo cuſtodiendi. 1.

Dom. 11. poſt Pent. §. 4.

2.

Eccl. 19. 26 epiſt 66. ad Abbatem S. Theod.

Cæſſ. lib. 1. de inſti. Cœnob c. 4 Doroth. doctrina 1. de Renuntia.

3.

caput, ipſumque cor, eo tendunt quo præcedunt oculi. Porpo hæc peruigil oculorum cuſtodia, etſi ad omnes pertineat Chriſtianos, maxime tamen decet virgines, atque Eccleſiaſticos, quibus maiori opus eſt verecundia, modeſtia, cordiſque munditia, quatenus diuinas inſpirationes attentius percipiant.

Solebat Chriſtus tribus de cauſis ſubleuare oculos. *Primo*, in *cœlum*, editurus miraculum; ſicuti Lazarum quatriduanum è monumento ſuſcitaturus, atque hoc in loco, panes piſcesque multiplicaturus; & in vltima cæna cum Venerabile Sacramentum inſtitueret, vt Eccleſia in Canone quotidie recitat. *Secundo*, in *diſcipulos*; quando eos docebat. *Tertio*, in alios ipſius auxilio indigentes: quemadmodum, cum Petrum, Andream, Ioannem, Iacobum, Matthæum ac Nathanaelem, ad ſuum vocaret ſeruitium, & cæcum illum à natiuitate curaret, &c. vt & nos, iſdem de cauſis, oculos quoque noſtros ſubleuemus. *Primo*, quidem, ad Deum, cœlitesque omnes; pro iuuamine, & auxilio, ſicuti Dauid dicit ſe feciſſe: *leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Deinde*, in illos qui nobis ſunt commiſſi, vnde parentes, & ſuperiores, ſemper in ſubditorum actiones oculos debent habere intentos. Hinc *Epiſcopi* inſpectores vocantur, vt ſubditorum inuigilantes ſaluti, videant ne quid agant illicitum: atque in hunc vſum habent Archidiaconos, qui quaſi *Epiſcoporum oculi*: (hoc namque nomine à Clemente *a* & Euariſto *b* nuncupantur:) omnibus intendant, eaque deinde ad Epiſcopum deferant, ſic eximius ille ac ſingularis ſanctimoniæ vir, Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, ac Mediolanenſis Archiepiſcopus, qualibet hebdomada ſciebat, quid per integram ſeptimanam, in diœceſi ſua acciderat; Paſtores namque ſinguli ſuis id ſcribebant ruralibus decanis, decani Archidiaconis, illi vero Archiepiſcopo. Sanctus quoque Dorotheus Archimandrita refert de Abbate Machario, quod quodam tempore viderit dæmonem, ad ſuum Monaſterium, varijs inſtructum poculis, ac pigmentis, ſeſe conferentem, verum ob nimiam Macharij erga ſubditos ſolicitudinem, nihil iſtis

Chriſtus tribus de cauſis ſolet ſubleuare oculos.

1. *Ioan.* 11. 41

Ioan. 6. 5.

2. *Luc.* 6. 20.

3. *Matt.* 4. 18 *Matt.* 9. 9. *Ioan.* 1. 47.

Ioan. 9. 1.

Oculi leuandi.

1. *Pſal.* 120. 1.

4.

a *Epiſt.* 1.

b *Epiſt.* 1.

Doct. 5. *de propria confidentia.*

nænijs efficere valentem; tam diligenter namque Religiosos sibi commissos instituerat, vt nihil rerum suarum occultãtes, semp ab Abbate, aduersus quosuis tentationum insultus, remedium expeterent; inter quos tamen vnus exstitit, de quo diabolus Machario aiebat, quod eum, instar turbinis, quocunq; vellet impelleret. Cuius nomẽ cum tandem aliquando edidisset, accessit ad eum Macharius, & examinans, reperit, ideo à maligno spiritu ita exagitari, quod nollet Superiori tentationes suas aperire, sibi ipsi nimium fidẽs. Vnde multo labore, ac sudore persuasit ei tandem, vt dæmonem confundens (qui nihil potius odit, quã vt animi tentationes Superioribus indicemus) arcana pectoris sui reuelaret. Talem itaque erga subditos peruigilem sollicitudinem, omnes merito deberent habere superiores: vt tanquam fideles dispensatores, ac prudentes OEconomi, à supremo illo remuneratore, amplissimam mercedem laboris sui percipiant. Ac merito patres, & matres familiãs exemplum S. Dominici sibi imitandum proponant, qui noctu, fratrum obambulans cellulas, studiosè circumspectabat, num quid rei illicitæ gereretur. Diabolus enim tenebrarum princeps, caliginem obseruat aptam insidijs. 3. *Postremò*, in Pauperes; sicuti Christus hic fecit, qui misericordia motus, quinque virorum millia satiauit. Vtinam & nos misericordiæ amor tangat, certè non tam essemus erga proximos rigidi. Sed quia charitas deest, duri, ac quasi saxei efficimur, & rerum temporalium, prosperitate elati, proximorum nullatenus miseremur. Cum Deus cum Moyse de redemptione filiorum Israel ex Ægyptiaca seruitute sermonem misceret, apparuit ei in flamma rubi ardentis, à qua pati non poterat: significans, quod passio, seu afflictio commiserationem pariat. Hinc Christus ipse famẽ, ac inediam, & alias perpessus ærumnas, hominum ex animo miserebatur, fouens eos, sicuti gallina pullos, atque ab omni malorum incursu defendens.

Luc. 12. 42 *To.* 4. *Sur.* *Exod.* 3. 4.

Ora igitur Christum, vt misericordiæ suæ oculo, te benignus respiciat, quod libens faciet, modo sequi eum, cum turba hac cupias. Si fugis magis, quam propius accedis, quid mirum si se rigidum potius, quam benignum tibi exhibeat.

Oculi

Oculi Domini ſuper iuſtos, inquit regius Pſaltes: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Sequere exemplum eius, qui & verbo, & facto, miſericordiam te docuit, caue ne vnquam oculos ab vllo paupere auertas, aut aures ad eorum preces obtures. Quemadmodum durus ille Nabal fecit, qui Dauidis legatos ſupplices, cum ignominia reiecit. Epulo qui mendicantem, ac vlceribus ſcatentem Lazarum deſpexit: & Sacerdos, cum Leuita, hominem illum à latronibus ſemiuiuum, nulla moti miſericordia tranſierunt. Verum Nabal inſtar lapidis induruit, magnum certe diuinæ vltionis indicium, quando quis cum crudeliſſimo Pharaone obſtinatus efficitur: & Epulo in inferno ſepultus, ſummam nunc patitur inediam, neque vlla creatura eius miſeretur.

Pſal. 33. 16. 1. *Reg.* 15. 10. *Luc.* 16. 20. *Luc.* 10. 31.

VII.

Dicit ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi? Alij tres Euangeliſtæ, ita ſcribunt. *Cum iam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius, dicentes; deſertus eſt hic locus, & iam hora præterijt, dimitte turbas, vt euntes in Caſtella, emant ſibi Eſcas. Ieſus autem dixit eis: non habent neceſſe ire, date illis vos manducare. Et dixerunt ei: euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare. & dicit eis: quot panes habetis? ite, & videte.* Quibus abeuntibus ſciſcitatus eſt Dominus à Philippo, quidnam ſibi hac de re videretur; alij namq; dixerant, poſſe turbam ducentorum denariorum, (hoc eſt florenorum Brabanticorum quadraginta) panibus refici, vnde iam eius cupit ſententiam, an præterea quid ſit, quod ad hanc rem requiratur. Videbatur namque Philippus, in emenda annona cæteris eſſe induſtrius magis, ideoq; aliter, vt poſtea patebit, reſpondit. volebat autē Chriſtus conſtare diſcipulis ſuis quanta eſſet ciborum penuria, quæ profecto tanta erat, vt vix Apoſtolis ſufficeret; nedum tam ingenti hominum multitudini. Decreuerat ergo eos in fide conſolidare, vt de ſua miſericordia ſpem, abiecta omni puſillanimitate; diſcerent. Erant Apoſtoli conditione, immo & voto, vt Auguſtinus ait, pauperes. quod cum nouum, inuſitatumque tunc eſſet, magna ſubinde tenebantur ſollicitudine, ne quid neceſſariarum rerum deeſſet, & egeſtate compulſi, vellicabant ſpicas, quibus famem pellerent.

Matt. 14. *Marc.* 6. *Luc.* 9. *Lib.* 16. *de ciuit. Dei, cap.* 4. *Matt.* 12. 1

Notan-

7. Notanda. 1. Notandum *primo*, quàm ingentem haberent erga proximos Apostoli sollicitudinem, qui verebantur, ne turba hæc serius domũ sese conferens, penuria premeretur. Vnde Christum rogantes, cupiebant, vt eos à se dimitteret. *Vnicuiq; Deus*, vt Sapiens testatur: *mandauit de proximo suo*: vt non minorem aliorum curam, quam nostri ipsorũ gerere debeamus: quemadmodum vno patiente membro, cętera omnia, cõpatiuntur membra. Et licet præcipue Ecclesiasticis animarum cura incumbat, sæculari verò Magistratui rerum politicarum administratio; decet tamen illos in rebus temporalibus, proximis opitulari; instar Apostolorum, aliorumque sanctissimorum Episcoporum, qui id semper facere soliti sunt, probe scientes ipsorum bona, pauperum esse, ad quorum subuentionem, à pijs Christi fidelibus donata, fundataque sunt: qui necessitates suas, ipsis tanquam spiritualibus suis parentibus, vti B. Vrbanus Papa ac Martyr ait: conqueruntur, qui postmodum, eo in suscipiendis admonitionibus sese paratiores exhibent, quo in rerũ temporalium subuentione plus adiumenti perceperunt. Veluti in hisce hominibus patet, qui post corporalis alimenti refectionem, ad pleniorem diuinarum rerum cognitionẽ peruenientes, in arcanis sacrosanctæ Eucharistiæ mysterijs, apprime fuêre instructi. Similiter & ciuilis Magistratus, non solum debet in rebus temporalibus alijs succurrere, sed spiritalem quoque proximorum vtilitatem promouere, vt ea quæ rectè ac salubriter ab Ecclesia cõstituta sunt, quemadmodum Imperator Iustinianus ait, subditi inuiolabiliter obseruent. Hinc de Carolo Magno proditum, multos ad se Episcopos vocare solitum, tempore illo quo in hostem ducebat, vt ab ijs expiscaretur, an etiã Ecclesiasticas ordinationes, populus seruaret. Nouerat enim prudẽtissimus Imperator, nõ posse seruari constitutiones politicas, aut pacẽ obtineri, quando Ecclesiasticis præceptionibus non prius satisfit. Itaque sicuti corpus humanum nihil potest operari sine anima, neque anima quidquã sine corpore, alterum namque alterius indiget subsidio, sic debet Magistratus politicus, cõiunctis viribus, Ecclesiasticum iuuare; vt plebs Christiana optatum rerũ suarũ successum consequatur. Vnde quemadmodum

Ecel. 17. 12.
1. Cor. 12. 26.
Epist. 1. ad omnes fideles.
Epist. in act. 5. Synodi inserta.
Eiginhardus in eius vita.

modum omnia quæcunque Deus creauit, ordinauitque, ad nostram dirigit salutem, ita & quilibet nostrum eandē prorsus debet habere intentionem, vt omnia, ac singula, tam ad suum, quam ad proximorum salutem conuertat.

Nota *secundo*, curam quam Christus erga suos habet; quorum animarum saluti primo, deinde corporeis eorum necessitatibus subuenit. Docuit namq; ante omnia turbam hanc, de regno Dei; tum quoque discipulos instituit, quo pacto omnem in ipsum sollicitudinem, spemq; conijcerent. Interrogans primum eos in genere, quot panes haberent, deinde Philippum specialiter examinans, tandē, cibo corporali eos satians, vt hac in re, studiosè eum sequamur, quęrentes inprimis regnum Dei, & iustitiā eius, quo sic Deo ante omnia placeamus deinde conuertentes nos ad externa: prout Christus alibi monet. Hinc Regius quoque Propheta aiebat, *se non vidisse iustum, vnquam derelictum à Deo*: Immò *diuites*, inquit, *eguerunt, & esurierunt, quærentes autem Dominum non minuentur omni bono*. Monstrat hoc Christus re ipsa, cum tam ingentem hominum multitudinem, paucis hic cibat panibus, vbi duo insinuat. *Primo*, homini secundum fidem potius, quam humanæ rationis industriam, viuēdum. Qui namque mundi huius sequuntur prudentiam, multo plus fidunt Turcis, ac Iudæis, quā Christo Domino, ab illis enim cum aliquam debitorum cōsecuti sunt cautionē, aut syngrapham, securi cōquiescunt; verum non ita fidunt Christi promissis, ab Euangelista hunc in modum subscriptis: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia adijcientur vobis. Nolite ergo solliciti esse: scit etenim pater vester*, quibusnam indigetis. Hanc pusillanimitatem, quæ ex fidei defectu nascitur, Saluator nobis intendit adimere; hæc enim vbi deest, ibi quies ac consolatio. Atque vtinam huius tā salutaris doctrinæ, semper essemus memores, si hodie Christus plateas obiens, diuitibus ostenderet pauperes omnes, quos in vrbe reperit, dicens, vnde, ememus panes, vt manducent? vereor plerosque responsuros, se vel ære alieno, vel alijs grauaminib⁹ ita pressos, vt nullatenus possint ad horum subleuationem quidpiam præstare. Verum si diabolus, petat, vt aliquid indulgeant curioso vestium ornatui, aut cōcubina-

2.

Mat.6.38.
Psal.36.25
Psal.33.11.

Documēta duo.

1.

Mat.6.33.

2. cubinarum sustentationi, ventrisque luxui: ad manum abundanter sunt omnia. *Secunda*, Christi intentio erat, vt recens religiosæ paupertatis institutum, hac ratione confirmaret, suosque Apostolos, qui primi, post B. Virginem, huius erant professores, in fide consolidaret: Demonstrans præsenti miraculo, se, nec ipsos, nec eorũ successores, Religiosos scilicet, permissurum aliqua premi angustia: maxime cum his plebeis, ac imperfectis mundanis hominibus, propriæ vtilitatis potius causa, quã pietatis affectu, eum sequentibus, tam benigne, ac liberaliter de necessarijs omnibus miraculosè prouiderit. Hinc factum in exordio Ecclesiæ, cũ nimirum fides esset maior, spes firmior, charitas feruentior vt depositis ad *Act. 2. 45.* Apostolorum pedes facultatibus, omnes in communi viuerent, nihil omnino proprij possidentes, & S. Franciscus præcipuus paupertatis amator, semper illud Psalmographi in ore *Psal. 54. 23* ac corde circumferebat: *Iacta super Dominum curam tuã, & ipse te enutriet.* Vnde cum ann. 1219. Assisij primum generale ageretur Capitulum, cui quinque millia interfuêre Religiosorum, præcepit suis, de cibo potuque sollicitos non esse: quod tantũ Deo placuit, vt varijs ex locis mitteret, qui eis affluenter de rebus omnibus prouiderent. Idem considerans S. Dominicus, seuere suis inhibuit, annuos census, & redditus: Deus etenim nunquam voluntarię paupertatis amatores destituit, qui sincero amore firmiter suis inhærent regulis. Pal- *In Lausiaca hist. ca. 48.* ladius ante annos 1201. literis prodidit, Apollo Abbatem in spelunca cum Monachis habitantem, cum ipso Paschatis die, nihil quod manducarent, ad manum haberent, eis præcepisse, vt diuinum auxilium supplici prece, & quos vellent cibos deposcerent. Quo facto, ecce peregrini quidam superuere, diuersa fructuum genera secum adferentes, dicentesque Dominos suos muneri ipsis hæc misisse, quibus à Paschate ad Pentecosten vsque victitarunt, quin *Li. 2. Dial. cap. 21.* cœlitus hæc essent transmissa nulli dubium. Simile de S. Benedicto Abbate, Beatus Gregorius commemorat, quod cum fames quodam tempore in Campaniæ regione vehementer increbuisset, & extrema frumenti inopia Monasterium premeretur, fratresque anxios videret esse animo, vocaros

catos ad se modestis verbis, de diffidentia, corripuit, tum promissione cœlestis auxilij, rursus consolans, crastina die rerum omnium abundantiam adfuturam promisit; eluxit dies altera, & ducenti farinæ modij ante monasterij fores reperti sunt. Nunquam legimus Religiosos pios fame interiisse, aut nocumentum sensisse. Christus qui accuratissimam illorum gerit curam, varijs modis illorum consulit necessitati; non est quod quisquam vereatur, ob rerum necessariarum defectum, paupertatis vorum: neque debent reformata Monasteria, vllatenus pertimescere sibi quidquam defuturum, assident namque mensæ Dominicæ, cui sine dubio Christus Iesus abunde prospiciet.

Nota *tertio*, hæc Christi verba: *Date vos illis manducare*: quibus nos instruit, cur pauperes in mũdo sint; nempe, vt ditiores, quibus facultas suppetit, ipsorum subuenientes inopiæ, cœlum promererentur; non ideo, quod eos Deus alere nequeat, aut nolit. Habet Christus in corpore Ecclesiæ diuersa membra, pauperes, & diuites, magnos & paruos; sapientes, & insipientes debiles, & fortes, &c. quos omnes cupit cœlo inserere per media, quæ ad hoc ipsis donauit, quosdam aduersorum tolerantia, nonnullos laboribus, alios eleemosynis; inter media autem charitas illa quæ pauperibus exhibetur vna, ex præcipuis est. Pauperes namque in corpore Ecclesiæ pedes, quibus tota corporis moles incumbit, quique corpus per plana, & aspera, pluuias, & imbres, colles, & valles, ingenti sæpe cum labore ac difficultate ferunt. Pauperum est terram scindere, arare, metere, pinsere & coquere, resque alias culinarias procurare, diuites interim otio vacantes, ne digito quidem hæc contingunt. Ideoque sicuti magnam gerimus pedum sollicitudinem, ne lædantur nuditate, aut frigore, dum alia membra teguntur, ita nullo modo pauperes negligi debent; sunt namque membra nostra, ac nobiscum participant gratiam diuinorum Sacramentorum, passionis CHRISTI & regni cœlestis: in quo consequentur fortassis multo altiorem locum suis assiduis laboribus quam tu; itaque qui propter DEVM bene de ijs meretur, efficitur particeps meritorum ipsorum. Sunt *præterea* paupe-

3.

Paupertũ aliquot priuilegia.

1.

Chrysost. per totam hom. 2. ad pop. Antioch.

2.

pauperes diuinę maiestatis legati, deferentes eleemosynas ad regni cœlestis palatium, ante Dei conspectum, à quo tibi impetrant quicquid in oratione petis. Hinc est quod Cornelio Centurioni dixerit Angelus, *orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei.* Seuerus quoque Sulpitius commemorat, B. Martinum adhuc Catechumenum. dedisse pauperi cuidam sibi in porta vrbis Ambianensis occurrenti, dimidiam chlamydis suæ partem, cui & Christus insequenti nocte, hac eadem parte tectus apparens, ait: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Non putes quod eleemosynæ inter angustas pauperum tabernas otiosè delitescant, quæ in altissimo cœli loco, ibi cœlituum omnium oculis præsentantur. Vide ne illarum exiguitas, illic in tantorum Principum consessu aliquam tibi conciliet ignominiam. *Tertio*, sunt ianitores regni cœlestis, benefactores suos, Christo testante, admittunt; qui ideo suadet, *vt nobis faciamus amicos de Mammona iniquitatis; vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.* Ideo & ante Ecclesiarum valuas, & B. B. Martyrum monumenta, pauperes resident; sicuti pulcherrime disserit Chrysostomus, vt tibi ianuas regni cœlestis aperiant, gratiamque apud altissimum concilient, & exauditionem. Cùm ergo Ecclesiam ingressurus pauperi porrigis eleemosynam, Deus illam acceptat, quasi in signum, & pignus exauditionis, & cum domum regrediens, denuo id facias, rursus legatum Deo mittis, vt orationum tuarum memor esse velit: *Magni honoris indicium est*, inquit Chrysostomus, *quod Deus in suarum ædium vestibulis pauperes velit excubitores.* Cùm in atrijs principum, regumq;, nonnisi primariæ dignitatis viri conspiciantur: noli ergo eos despicere, sed ante fores, immo & in domum benigne suscipe eos, sunt nonnulli, qui ante ædes eleemosynas non distribuunt, ne pauperum illuc turba cõfluat; verum eos sancti Patres nullatenus commendant. Etsi enim alibi non male priuatim colloces eleemosynas, benedicuntur tamen à Deo ædes istæ, ad quarum fores benefit pauperibus, & proximus liberalitatem tuam videns, laudat Deum, studetque pro viribus pietatis tuæ se præstare imitatorem; sæpe præterea nonnulla ob exigui-

Acto. 19. 4. *In vita eius.*

3. *Luc. 16. 9.*

Hom. 28 ad pop. Antioch.

Ibidem.

exiguitatem sui depereunt, si ad remotiora transferuntur, vt satius foret ea integra, ac recentia pauperibus erogare, vt opificio vigilantius incumbant. *Quarto*, Pauperes sua inopia Christum Dominum repræsentant, eiusque personam gerunt, qui in generali iudicio cuique dicet, *Quicquid feciſtis vni de his fratribus meis, mihi feciſtis.* Et quo pacto posset eos altius extollere? *Neque enim* solum modo *ministros, eos suos vocat, aut amicos, aut fratres, sed sua membra, imo & seipsum*; vti Augustinus ait. Atque ea de causa CHRISTVS in forma pauperum sæpe ad nos venit, vt non alium, quam ipsum Dominum IESVM, in paupere consideres; docent hoc sacræ literæ. Quando Abraham Patriarcha Deum ipsum, duobus comitatum Angelis, in specie trium peregrinorum, hospitio excepit. & Ioannes diaconus refert Beatum Gregorium, duodecim pauperes quotidie, ad mensam suam collocare solitum, inter quos die quodam vnus vt accessit, singulari humanitatis officio eum est prosecutus, in cuius manus dum aquam vellet infundere, conuersus vrceum accepit, verum is tunc disparens, nocte insequenti Gregorio adsistés dixit, *Tu quidem cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem me in metipſo ſuſcepiſti.* Beati ergo qui CHRISTVM suscipiunt, quia ab illo susciptentur: beati qui illum reficiunt, quia ab illo reficientur, quid vero obesset, si diuitum quilibet vnum pauperem dietim, vel hebdomadatim semel reficeret? & pro alijs egentibus aliquid obsonij domi suæ coqueret, aut cibum ijs transmitteret? sic vbique CHRISTVS tecum prandebit, tuæque mensæ benedicet. Noli illum vnquam excludere, aut eius capi obliuione, ne & ipse tui obliuiscatur. *Quinto*, Pauperes optimi sunt Doctores, qui de quinque vtilissimis rebus, prout Chrysostomus pulchre prosequitur, possunt te instruere, & hac ratione cibum à te promereri. *Inprimis* docent diuitiarum contemptum; cum Christus ipsis maiorem exhibeat charitatem quam diuitibus: ipsos namque beatos vocat; hos vero, dicit difficulter posse intrare regnum cœlorum. *Secundo*, docent humilitatem: fieri namque potest, vt qui iam rerum omnium copia adfluis, in eandem aliquando incidas miseriam: ne-

4. *Matt. 25. 40.*

Tract. 18. in Ioan.

Gen. 18.

Lib. 1. vitæ eius ca. 27. & tom. 2. Sur. die 12. Mart.

5. *Hom. 28. ad populũ Antioch.* Pauperes docẽt nos 5. vtilia.

1. *Luc. 6. 20 Matth. 19. 23.*

2.

que tibi plus obligatus est Deus, quam ipsis, qui non minus ad ipsos, quam ad te pertinet. *Tertio*, in ærumnis, quas ipsi,
3. plus quam tu sustines, roborant: infirmaris, molli incumbis lecto, ipsi straminibus; cæcus es? habes qui pro te sunt solliciti, ipsi soli plateas oberrantes ostiatim stipem emendicant. Vulneratus es? adsunt mox Chyrurgi, qui te curent quorum opera pauperibus carendum: tristaris? habes qui te consolentur & dolorem mitigent, ipsi vero à nemine consolatorium aliquod accipiunt verbum. Iniuste opprimeris? inuenis qui te defendant, & tueantur, illis vero omnia ferenda. *Quarto*, docent patientiam si non semper pro voto te Deus exaudit, cogita nec semper pauperum preces à te exaudiri, quando pressi inopia suam tibi necessitatem aperiunt. Adeoq; merito hoc tibi contingere; multo enim iniquior est, comparatio tui ad Deum, quam pau-
4. peris, ad te, licet totius orbis imperatorem. *Postremo*, Docent misericordiam, cum demisso vultu & animo aliquid à te petunt. Quare si cœli, ac totius mundi Monarcha ante palatij sui fores, hoc est, templi vestibulum, benigne eos tolerat, vt tuas preces cum eleemosynis sibi præsentent, certe non debes eos despicere, aut ædibus excludere, sed humaniter excipere, benigne habere, ac cum liberalitate dimittere.

Quartum. Nota *quarto*, Ex his verbis *date vos illis manducere*, tria adhuc
3. Docum. alia documenta. *Primo*, Eleemosynarum virtutem, non so-
1. lum à diuitibus; verum à pauperibus pro facultate exercen-
Tob. 4 9. dam; vt Senior Tobias suum monet filium: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Apostoli etsi pauperes ex eleemosynis viuerent, nihilominus tamen hic à Christo iubentur, hanc alere turbam, quemadmodum ipse solitus erat facere, vt de eo
Ioan. 19. scribit B. Ioannes Euangelista. Narrat Sophronius Hiero-
In prato spirit. c. 9. solymorum Patriarcha quod venerit ad Senem quendam Heremitam pauper eleemosynam expetens, ille vero cum nonnisi vnum haberet panem, proferens ipsum largitus est pauperi: qui cum diceret, malle se potius vestem, quam panem: introductus est in cellam, vbi cū nihil omnino vestium

rep-

reperiſſet, præterquam quibus Heremita induebatur, motus eſt tanta ſenis virtute, vt ſoluens ſacculum eumq; in medio cellulę euacuans diceret: *Sume iſta ſenior optime, & ego alibi quæram, quæ mihi neceſſaria ſunt. Secũdum* eſt; decere Eccleſiaſticos, vtpote Apoſtolorum ſucceſſores, pauperibus elargiri eleemoſynas, non ſolum quas ex rebus Eccleſiaſticis percipiunt, verum etiam, quæ in vſum pauperum ſpecialiter ordinatæ, fundatæq; ſunt. *Primo* quidem quod ita ex prima bonorum Eccleſiaſticorum conſtitutione ordinatum ſit. *Secundo*, quòd Eccleſiaſtici ſemper habiti ſint patres, ac prouiſores egenorum, vt ex ſcriptura cõſtat. Apoſtoli ſeptem ordinarunt diaconos, pauperum curatores; & Eccleſia ſemper Epiſcopis mandauit, vt Hoſpitalia, aliaq; ad pauperes pertinentia, ſedulo curarent. Itaque omni ſolicitudine debent tam de ſuo pauperibus ſuccurrere, quam quæ ab alijs ad eorum ſuſtentationem ordinata, ac teſtamento legata ſunt. *Tertium* documentum eſt; vt filij, ac ſubditi à parentibus, Superioribuſq; liberalitatem diſcant: quemadmodum à Chriſto Apoſtoli. Vnde laudabile eſt, vt parentes per filiorum manus, pauperibus eleemoſynas largiantur; ſic enim miſericordiæ virtutẽ à teneris imbibunt. Commendati quoque patresfamilias, qui famulis generalem largiuntur licentiam benefaciendi pauperibus, eiſq; ſerio præcipiunt, ne vllum pauperem ſine conſolatione dimittãt; tales mirabili gratia Deus donat, eorumq; familiæ ſingulariter benedicit. Refert Leontius in vita B. Ioannis eleemoſynarij, fuiſſe quendam patremfamilias, qui cum eſſet tenacior, mandauerat famulo, vt ſe inſcio quolibet die, quinque denarios donaret pauperibus; diffidens ſibi, ne fortaſſis auaritia ipſe impediretur, cogitans iſtis denarijs aliquid in familiæ ſubleuamen, emi potuiſſe, famulus vero dum id ſedulo facit, ſenſit rem domeſticam augeri, & audacior factus duplicauit denarios, animaduertens multo maius fœnus; imò herus ipſe famulum adiens, *animaduerto*, inquit, *quod ob quinque denarios quos pauperibus indies diſtribuimus, ſingulariter nobis diuina largitas benedicat, vnde iubeo vt decem de cætero diſtribuas*; ad quod ille, *imo* ait, *ita iam aliquamdiu etiam non iuſſus feci, reipſa namque comperiens*

2. Cur Eccleſiaſtici obligẽtur ad eleemoſynas.

1. *12. q 2. ca. 23. 26. 27. 28.*

2. *Act. 6. Clem. de rel. dom. c. qua Contingit & Cõc. Trid. ſeſſ. 7. c. 15.*

3. In vita Ioan. eleemoſyn.

periens diuinitus opes duplicari, denariorum erogandorum numerum augendum putaui. Nos vero auari, arbitramur census parcimonia crescere, verum sapientiam auaritia vincit, & *mentita est iniquitas sibi*: qui largiter Christo sua communicat, liberaliter admodum recipiet. Ethnicorum impia est sententia: *Perire quicquid egentibus datur.* Quam docte admodum refutat. Firmianus Lactantius: pauperibus namque bene dum facimus, Deum nobis obligamus, ac quasi deuincimus, inquit Chrysostomus, non quidem vt simplum nobis restituat, sed ingenti auctum, ac multiplicatum fœnore: *Fœneratur Domino*, inquit Salomon, *qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quæ verba exponens Basilius ita ait: *Quum pauperi dare voles propter Dominum, idem est, & donum, & mutuum. Donum quidem quia non speras receptionem: mutuum vero, propter Domini magnificentiam, qui pro ipso persoluit, & paucis per pauperem acceptis magna reddet.* Noli vel diffidere, vel timere, quod diutina expectatione vt debitores plerique solent, suspensum te tenebit.

Lib. 6. c 11

Hom. 32. ad pop. Antioch.

Prou. 19. 17.

Concion. 2 in Ps. 14.

5. Nota *quinto*, Christum de emendis panibus ideo sermonem instituere; vt nos doceat, de rebus proprijs, & non alienis dare eleemosynas. Quemadmodum & Salomon inculcat: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum.* Tobias ad filium. *Ex tua*, inquit, *substantia fac eleemosynam.* Et Ecclesiasticus, *Noli*, ait, *offerre munera praua: non enim suscipiet illa, & noli inspicere sacrificium iniustum, quoniam Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ.* Praua munera offerunt illi, qui pauperibus vilissima quæque, quæ sibi ipsis vsui non sint, largiuntur: qui insuper de his quæ pauperibus distribuenda aliunde acceperant, malitiosè, ac nequiter subtrahunt. Hæc sunt *munera praua*, vel (vt Græcus habet textus:) *per auaritiam decurtata*, ac quasi abrasa. Faciunt hoc interdum liberi, vel etiam serui, qui non omnia quæ à parentibus, aut Dominis in vsum pauperum recipiunt, integre ijs distribuunt, & Xenodochiorum, hospitaliumque Prouisores, qui piorum Legata, non probe ad vltimam testatorum voluntatem, exequuntur. Tales apud altissi-

Prou. 3. 9.

Tob. 4. 9.

Eccl. 35. 14

altissimum, si sincere omnia peragerent, omnium illarum eleemosynarum, quæ per ipsorum transeunt manus, participes redderentur, nunc vero demerentur magis & Deum offendunt. Narrat Leontius in vita Ioannis eleemosynarij, quod fuerit vir quidam nobilis, qui sceleratorum insidijs, & furto, ad extremam deciderat inopiam: Huic Patriarcha die quodam, quindecim auri libras dari iussit, at qui eleemosynis ab eo præfecti fuerant, putantes nimium id, quinque tantum suppeditarunt. Forte eo tempore Ioanni ex Ecclesia redeunti vidua quædam opulenta, donum quingentarum obtulit librarum: quo oblato protinus vir Dei cognouit, OEconomos non eam auri quantitatem viro illi nobili erogasse, quam præceperat. Vnde ad viduam conuersus: *Dic mihi*, inquit, *O mulier tantumne pecuniæ ab initio Deo offerre statuisti*, illa vero *certe*, ait, *Domine mille & quingentas in ea quam tibi tradidi charta libras scripseram, & aliquanto post mille, nescio quomodo, sua sponte, deletas inueni. Hinc ergo Deo non placere iudicaui, vt plures quingentis offerrem.* His auditis iniqui isti OEconomi, maximo correpti metu, ad sancti se pedes abiecerunt, multisque cum lachrymis, scelus profitentes, veniam postularunt. Porrò illi iniustum Deo offerre sacrificium censentur, qui de aliorum substantia largiuntur eleemosynas. Quicquid etenim ex rapina nascitur, eleemosyna non est: immo sæuitia quædam est, & crudelitas: inquit Chrysostomus, & insignis in Deum contumelia. *Nam si suorum deteriora Cain offerens, sic offendit; aliena offerens, quomodo non offendet?* Faciunt hoc *primo*, famuli qui de rebus Dominorum suorum, parentibus, amicisve furtim subueniunt, aut conseruos, famulasve, festiue excipiunt. *Deinde*, vsurarij cum dant eleemosynas: errantque si his se putant mereri, de talibus Sapiens ait; *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Pauperum substantia ditantur vsurarij. *Tertio*, Ecclesiastici, qui Christi patrimonium Simoniacè acquisierunt; de quibus inter cæteros ita Gregorius, *Nequaquam*, inquit, *eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur. Quia qui*

To. 1. Sur. 23. Ianu.

Quinam iniustum offerant Deo sacrificium.

Hom. 36. ad pop. Antioch paulo vltra medium.

1. 2. *Eccl. 34.* 24. 3.

Lib. 7. Epi. 110 ad Syagrium.

qui hac intentione male accipit, vt bene quasi dispensẽt; grauatur potius, quam iuuatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de rebus illicitis, & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis impenditur. Vnde etiam & illud certum est, quod etsi monasteria, aut Xenodochia, vel quid aliud de his construatur, mercedi non proficit, Ne ergo sub obtentu eleemosynæ, cum peccato aliquid studeamus accipere: nam aliud est propter peccata, eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere. Hæc ille.

17. April. Sanct. quoque Stephanus Cistertiensis Abbas, qui B. Bernardum cum socijs, ad se venientem, anno Dom. 1113. lætus excepit: cum à procuratore suo intellexisset, non tantillum ad manum esse annonæ, vnde fratres, vel vnico saltem die, sustentarentur, quodam comitatus laico, ostiatim cœpit stipem emendicare. Vnde domum repetens cum socij sui saccum multo instructiorem vidisset, quam suum; scisciatus est, quorumnam ædes obijsset, quod tam densam baiularet Manticam. Ille autem; *Sacerdos*, inquit, *quidam quem etiam optime tua paternitas nouit* (exprimebat autem illum nominatim) *solus fere omnia suppeditauit.* Ad cuius responsum ingemiscens Abbas, *væ tibi misero*, ait, *cur ab illo quicquam suscipere voluisti? an ignoras quod Simoniace sit initiatus, quodq; eius bona rapinæ sint ac spiritali lepra contammata? nullo pacto gustabimus.* Vnde vocatis ad se opilionibus qui illic forte præsentes aderant, quicquid in laici erat Mantica, totum illis erogauit.

4. *Quarto*, multi magnates, ac principes per potentiam opprimentes pauperes, sua eis eripiunt. Floruit in Gallijs anno Dom. 665. B. Launomarus Carnotensis Abbas, cui cum nobilis quidam Ermoaldus nomine, graui detentus ægritudine, per famulum quadraginta transmitteret solidos, obnixe rogans, vt sibi iam cum morte conflictanti, velit opitulari, & suis apud Deum precibus sanitatem obtinere, orauit quidem, verum pecunias cum numerasset, famulo mox reddit dicens. *Hæc pecunia per iniquitatem conflata est, nec potest mutare sententiam Dei, nec vitæ spatia producere, nec peccatorum veniam impetrare*, scriptum est etenim *victimæ impiorum abominabiles Domino.* Hinc est illa Prophetæ exprobratio: *Sacrificate de fermentato laudem. Tu ergo celeriter annuncia Domino tuo vt*

Sur. 19. Ianuar. ex quodã eius æquali.

Prou. 19. 8

Amos 4. 5.

pro

pro animæ suæ cura sollicitus, alijs iniuste ablata restituat, nouerit q; vitam se amissurum temporariam. Dictum, factum, famulus namque domum repetens; repperit Herum in agone, ita vt mox expiraret. Hinc admodum rectè monet Basil. Magnus monasteria, ne malorum acceptent eleemosynas, sed bonorum; cum Psalmographus dicat; *Oleum peccatorum non impinguet caput meum*, itemque *ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* *Quæst. 148 ex breuioribus.* *Ps 140. 5.* *Ps. 100. 8.*

Nota *sexto*, Christum ideo cum discipulis consilium, de emendis panibus inijsse, vt duo nos doceret. *Primo*, quidem Ecclesiasticos, quorum est animabus intendere, & rebus diuinis, longe debere esse alienos à negotijs mundanis. CHRISTVS quasi ignorantiam pecuniarum præseferebat; vnde cum de numismate census interpellaretur, voluit illud prius sibi deferri, interrogans cuiusnam imaginem, ac superscriptionem contineret. Et nos hic quasi peregrini esse debemus, qui ad ignotum venientes locum, monetæ valorem ignorant. Apostolorum vilissimus loculos circumferebat, Christo nulla eorum cura, nisi quod præceperit inde egenis necessaria dari: vt hinc discant Monasteriorum primates, potius spirituali subditorum profectui, intendere; quam pecuniæ, ad temporalium administrationem. Monet Apostolus vt *contemptibiliores* qui sunt in Ecclesia constituantur. *Secundo*, vt libenter à pijs, & doctis consilium exquiramus. Hinc non cum Iuda loculos habente consilium capessit; de quo paulò post aiebat, *nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Hoc est instrumentum, ac mancipium diaboli. Sed cum Philippo, qui timoratus erat, rerumque intelligens. Vnde Sapiens monet; *Multi tibi quidem sunt pacifici, consiliarius vero vnus de mille.* Quia vel timore Dei carent, vel experientia. Sibi ipsi nimium inniti periculosum est, maximè in rebus ad animæ salutem pertinentibus, in quibus non solum consilium, verum etiam fidelis instructio requiritur. *Nihil miserabilius*, inquit Dorotheus, *quam in via Domini nullum habere ductorem.* Vnde nec pauperum aspernari consilium debemus, vti de

Sextum. Duo hic docemur. 1. *Ioan. 13. 29* *1. Cor. 6. 4.* 2. *Ioan. 6. 70* *Eccl. 6. 6.* *Doctr. 5.*

Cap 13.28. nonnullis quæritur Ecclesiasticus, *Diuus locutus est, & omnes*
Iob 10.5. *tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt: quis est hic? locutus est sensate, & non est ei datus locus.* Sæpe qui pauperior est, profundiorem diuinarum rerum cognitionem habet. Est quidem *quasi lampas contempta apud cogitationes diuitum, sed tamen ante occulti iudicis oculos*, inquit
Lib. 10. *Mor. c.* 29. Gregorius, *virtutibus emicat, vitæq; meritis coruscat.* Docet id nos suo exemplo Christus, qui etsi infinitis modis Philippo esset prudentior, eius tamen consilium non renuit.

7. Nota *septimo*, Quid Christus emere cupiat; non enim pro se sollicitus, more aliorum hominum, sibi quidquam parari vult, sed alijs. Deinde nō curiosa, delicata, aut pretiosa, quē-admodum multi magno impendio corpus ornant, ventrēque saginant, sed necessaria, quæ ad frugalem sustentationem faciant. Hinc sacræ literæ dum de cibo loquuntur, nomine *panis*, illum communiter exprimunt. Quemadmodum
Gen. 28.20 in veteri testamento Patriarcha Iacob aiebat: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum.* & Helisæus ad
4. Re. 6.23. Reg. Israel; *Pone*, inquit, *panem, & aquam coram eis, vt comedant & bibant.* In nouo vero Testamento Lucas scribit, Christum Saluatorem Sabbatho, intrasse in domum cuiusdam Principis Pharisæorum, vt māducaret cum eo *panem*, quinimmo
Luc. 11 3. ipse in oratione Dominica docet, vt *panem quotidianum*, à Patre nostro cœlesti petamus. Volens nos hac ratione instruere, nihil temporalium esse expetendum, præter necessaria:
2. Tim. 6.8 *Prou.* 30.8. secundum quod Paulus monet: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et Salomon. *Diuitias*, inquit, *& mendicitatem ne dederis mihi; sed tribue tantum victui meo necessaria*, qui seipsum superfluo non onerat, ad seruiēdum Deo redditur
Ad Nepot. Ep. 2.10.15 alacrior: nam Hieronymo teste, *plenus venter non gignit sensum tenuem.* Delicata fercula mentem ad omnem excitant libidinem, gignuntque incredibile pœnitentiæ tædium. Quapropter rectè Sapiens aiebat: *initium vitæ hominis*, hoc est vti ex
Eccl. 29.28 Græco liquet præcipuum vitæ humanæ, eiusque summam & caput, *esse aquam & panem, vestimentum & domum, turpitudinem protegentia*: ac si diceret; non decet, vt homo quidquam aliud ad vitæ sustentationem adhibeat, præterquam victum fru-

frugalem, quo sustentari queat, vestes simplices, quibus corpus contegat; & domicilium, quo ab aeris iniuria defendatur. Qui alia quærunt, Dei creaturis abutuntur, sæpe in grauem incidunt ægritudinem, aut aliud aliquod malum, siue corporis siue animæ. Nabal temulentus, factus est quasi lapis intrinsecus. Holofernes vino, somnoque sepultus, fœminea manu capite truncatus est; Diues epulo pro splendidis comessationibus, extrema apud inferos cruciatur inedia. Franciscanorum Chronicon commemorat, in prima ordinis fundatione, admodum frugaliter, ac sobrie Religiosos vixisse; quod dæmõ ægerrimè ferens, omnia excogitat media, quo ad laxiorem vitam eos induceret, erat illa tempestate valde famosum Monasterium in monte Auerniæ, iuxta quem nobilis quidam commorabatur, qui sanctis hisce patribus nõ bene admodum volebat. quem idcirco diabolus in forma viri accedens, rogat, vt in famulum conduceretur. voti autem cõpos factus, fideliter nobili inseruiens, magnam domini sui promeruit gratiam, eique sanctos hosce Franciscanos mirum in modum commendabat, suadens, vt illorum inopiam suis subinde subleuaret eleemosynis. dictum, factum; monitu namque serui sui, quotidie in magna abundantia mittebat illis, capones, perdices, pisces, carnes, aliaque diuersorum fructuum genera; prorsus, vt abundarent omnibus. verum cum hinc religiosæ disciplinæ rigor, ac Monasticæ vitæ frugalitas, magnum sumeret decrementum, sic vt fratres ad ieiunia, preces, vigilias, aliasque pietatis exercitationes segniores redderentur, accidit vt seniorum quidam, hanc tam incredibilem nobilis huius liberalitatem suspectam haberet. vnde eundem adiens, grates ei permagnas egit, simulque scisitatus est, quinam fieret, quod cum antea tam ab eis fuisset auersus, iam nunc tam esset factus prodige liberalis; qui dixit se id feciisse, suasu cuiusdam fidelis serui, quem idcirco senior videre gestiens, gratias eidem quoque decreuit agere. At ille aliquoties vocatus venire renuit, donec tandem serio ab Hero requisitus compareret. cuius vultum cum aliquãto esset accuratius Senior intuitus, animaduertit diabolum esse, nec eum sua fefellit opinio,

1. *Re.* 25 28
Iud. 13. 10.

Luc. 16.
Li. 10. *c* 24

agnitus namque statim in ictu oculi disparuit : sicque sancti hi Franciscani, denuo ad pristinæ frugalitatis semitam rediere.

VIII. *Hoc autem dicebat tentans eũ, ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Christus Philippum non tentabat ad malum ; *Deus etenim,* Iacobo teste, *intentator malorum est.* Aut vt ignoti quid addisceret, inquit D. Augustinus, verum vt hac interrogatione id quod occultum erat, ad aliorum perueniret notitiam. Dei oculis nihil absconditum; verum multa nescimus nos de nobis ipsis, longe plura de proximis : quæ tamen cum fructu scire possemus. *Primo,* de nobis ipsis incerti sumus, quo pacto res nostræ cum Deo sese habeant, vtrum amore an odio digni simus. Hinc est quod Diuus Paulus ait, *Etsi nihil conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum*, aliter Deus quam homines, iudicat. Abbas Agatho cum iam moriturus interrogaretur; an timeret, respondit, *Hactenus pro viribus laborasse se, vt Dei præcepta obseruaret, & faceret, cum tamen homo esset, ignorare an Deo grata fuissent opera sua : cum aliter iudicet Deus, aliter homo.* Hæc autem ignorantia, aut incertitudo inutilis non est; nã, teste Gregorio, *Mater negligentiæ solet esse securitas:* vnde cauenda; scriptum est enim : *Beatus vir, qui semper est pauidus,* & monet psalmographus *vt seruiamus Domino, in timore : & exultemus ei, cum tremore: deinde.* Neç cor nostrum nouimus, quia *prauum est cor hominis, & inscrutabile : quis cognoscet illud.* Cùm nonnunquam vltra æquitatis metas per iram rapiamur inquit Gregorius, fieri hoc zelo iustæ discretionis æstimamus, sæpe nobis videmur humiles, superbia interius turgidi. putamus quod vera charitate proximum prosequamur, & est sensualitas Deo displicens, nascitur hæc ignorantia, quia neque cor nostrum studiosè discutimus, neque diligentiam in dignoscendis virtutibus adhibemus. vel si earum cognitionem aliquam habemus, tantus tamen est nostri ipsorum amor, vt contra nos sententiam ferre nolimus. hinc rectè monet Augustinus, vt quantumcunque homo sibi videatur causam habere iustam, expedire tamen, vt paueat, ne quid subsit mali: & Imperfectus, *nemo est* inquit, *tanta firmitate suffultus, vt de iustificatione sua debeat esse securus.* accedit quod igno-

Iac. 1. 13.

Ser. 72. de temp.

Eccl. 9. 1.

1. Cor. 4. 4.

Dorotheus doctr. 2. circa fin.

Li. 6. ep. c. 186. & l. 9 Mor. c. 13.

Prou. 28. 14.

Psal. 2. 11.

Hier. 17. 9.

Lib. 9. Mor. c. 18.

Li. de perfect. iust.

Hom. 38. in medio.

ignoremus vitæ exitum, & locum. neque sapientia Salomonem superamus, de cuius salute merito dubitatur, neque Iudam, cùm à Christo Apostolatu dignus est habitus, vitæ sanctimonia antecellimus, neque præstantiores sumus illis, de quibus Apostolus ait; quod *spiritu incipientes, carne consummauerint.* vnde etsi fortassis de amicitia Dei essemus certi, ignoramus tamen, an perseuerabimus. Scriptura dicit, Enoch in Paradisum à Domino translatum *ne malitia eius mutaret intellectum* & Apostolus serio hortatur, *vt timeamus*; ne fortè instar Iudæorum à gratia Dei excidamus, hæc autem non eo dicuntur, vt semper in sollicitudine, iugique tristitia viuamus, sed ne securi simus, deinde vt per bonorum operum studium, aliquid certitudinis consequamur: de quo B. Petrus nos monet: Satagite vt per bona opera certam vocationem & electionem faciatis, quę quidem non est certitudo fidei, vt mentiuntur hæretici, contra quos Tridentinum Concilium hanc profert sententiam: *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum adsequendam necessarium esse, vt credat certo, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa, Anathema sit.* Item: *Si quis dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, Anathema sit.* Repugnant huiuscemodi commenta veritati scripturarum, & sincerę Orthodoxorum Patrum doctrinæ, est ergo certitudo spei, fundata in verbo Dei, ac conscientiæ tranquillitate, non verbo Dei solo, sicuti fides, de qua ideo certi sumus, quod Deus ita præceperit, verum etiam conscientiæ tranquillitate, quam honorum operum studium conciliat: nam *gloria nostra hæc est*, ait Apostolus, *testimonium conscientiæ nostræ.* Cum enim ex sacris litteris intelligimus, Deo gratos esse, qui in mandatis eius ambulant, nobisque conscientia dictat, quod pro viribus ea adimplere studuerimus, *incedentes*, cum Zacharia & Elisabeth, *in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, sperare possumus: prout Ioannes alibi monet, dicens, *si cor nostrum*, hoc est, conscientia, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

Basil. e. 2. in const. monast. *Gal. 3. 3.* *Sap. 4. 11.* *Rom. 11. 21* *2. Pet. 1. 10* *Sess. 6. Can. 13.* *2. Cor. 1. 12* *Luc. 1. 6.* *1. Ioan. 1. 21*

Hæc

Rom. 5. 5. Hæc autem *spes non confundit*: inquit Paulus: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* De multis certitudinem fidei non habemus, habemus tamen securitatem veluti de vxoris castitate, qui parentes nostri sunt, & id genus alia. spes autem quæ Dei donum est, multo nos facit certiores, quam spes humana; quum ideo à Deo data sit, vt sine anxia sollicitudine tranquille viueremus. Itaque cùm plurima in nobis sint, quæ nos ipsi ignoremus; hinc Deus nos quandoque tentat; vt discamus, quantum in ipsius schola profecerimus. Egit ergo hic cum Philippo Christus, vt solet cum discipulo Didascalus: cui cum lectionem præscripsit, paulò post eundem examinat. Monuerat sæpe Christus Apostolos de fide, & spe, vnde iam ipsos examinat, & quidem si vera, in Deum fuissent fiducia præditi, dixissent: Domine, scimus quod cum sis Dei filius, rerumque omnium creator, atque omnipotens, facile varia tibi supperant, quibus totam hanc multitudinem saties.

4. Notãda 1. Nota *primo*. Christum veram à nobis requirere fiduciam, qua nullatenus de ipsius ambigamus omnipotentia, sed ipsum pro parente habeamus, & obseruemus. sunt qui in arduis negotijs Deo fidentes, in minoribus eidem diffidunt, quasi magna posset largiri, non minora, sic fures, vsurarij, alijque iniusti, sibi pollicentur ante obitum omnium criminum remissionem, quod reuera magnum est: interim diffidunt, quod Deus qui volucres cœli, & pecora campi pascit, vitæ necessaria administrabit. B. Ægidius vnus ex primis D. Francisci discipulis, rogatus olim à duobus Cardinalibus vt pro eis Deum deprecaretur; *quin vos*, inquit, *me potius precibus vestris cemmendatum habete, qui maiori fide, ac spe præditi estis*: illis autem sciscitantibus, quinam id fieri posset; Ægidius respondit, *Vos diuitijs, honoribus, omnibusque mundi prosperitatibus affluentes, haud dubiam vobis salutem promittitis; Ego in miseria extrema, mendicitate, & rebus duris damnationem formido*, significans non esse sinceram in Deum fiduciam; cum spiritualia ab ipso speramus, sine bonorum operum exercitatione.

2. To. Sur. 23. Apr.

Nota

Nota *secundo*: debere nos incitari ad firmam spem futurorum, recordatione præteritorum; quemadmodum Christus Apostolos mare traijcientes, ac de non emptis panibus sollicitos docuit: proposuit enim illis, quot hominum millia quinq; panibus, ac duobus piscibus: Item quod alias septem panibus satiasset; idem nobis in aduersis cogitandum, qui nos in hodiernum vsque diem, tam benignè conseruauit, de cætero quoque conseruabit. Ita Dauid à facie filij sui Absalon fugiens, magna animi constantia, dixit: *non timebo millia populi circumdantis me: quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causſa, dentes peccatorum contriuisti.* Hoc est, quia vsque nunc semper me protexisti, idcirco in hac persecutione mea, reliquisque afflictionibus omnibus ad te fidenter confugiam. 2. *Mat.* 16. 3. *Ibid.* v. 10. *Psal.* 3. 7.

Nota *tertio*: Deum quotidie nos tentare; quando scilicet occasionem præbet adimplendi id, quod per Concionatores, bonasq; inspirationes docet. Itaq; cum in concione intellexisti, pauperes eleemosynas deferre in cœlum, ijsq; cœleste tibi mercari præmium, statim procurat, vt adsint ad egressum Ecclesiæ, qui suscipiant eleemosynas, & Christo eas offerant: vt videat, an credas ijs, quæ in concione audisti, & ad te pertinere existimes: nam si nihil dederis, signum increduli, vel negligentis animi est, qui plus curet præsentia, quam futura. Hinc Dorotheus Abbas aiebat, hominem qui à Deo humilitatem petit, simul virtutis illius exercitium petere; quod etiam sæpe Deus postquam orauerimus, ad probationem offert. *Tertium.* *Doctr.* 10.

Notá *quarto*: Christum neq; Philippi, neq; vllius consilio egere, qui vti Bernardus ait, *magni consilij est Angelus.* Itaque cum vel tibi, vel proximo tuo aliquid aduersum immittit, noli temere iudicare; sed tecum cogita nosse ipsum, quid tuę saluti expediat, si bonus es, parat in cœlo mansionem perpetuam; quemadmodum alibi ait: *vado parare vobis locum*, si malus, de vltione cogitat. Discipulus B. Epiphanij Constantiæ Cyri Episcopi, Ioannes, commemorat fuisse auarum quendam Diaconum, Charinum nomine, qui cum mensæ Epiphanij, alijs cum clericis assideret, cõtigit, vt coruus ter, 4. In declamat. *Ioan.* 14. 2. *In eius vita quæ est tom.* 3. *Sur.* 12. *Maij.*

qua-

quaterue crocitaret. Charinus rogat, quid ista corui crocitatio protendat? Respondet Sanct. Epiphanius Charinum Diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. nec abfuit dicto fides, vt enim coniectoris veritas probaretur, statim lecta gratiarum actione, apoplexia tactus Charinus, domum à famulis est delatus, maneque mortuus. Cogita scire Deum, quid facto opus sit, neque te ipsius operibus, curiose occupa (opera Domini vniuersa *bona valdè*) sed ita vitam dirigito, vt misericordia potius, quam iustitia te regat.

Gen. 1. 31.

IX. *Respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Dixerant iam Apostoli, turbæ sufficere ducentorum denariorum panes: verum Philippus considerata hominum multitudine, tanquam emendorum panum peritior, arbitratur fieri non posse, vt tam exiguo pretio, quilibet vel modicum quid consequeretur, denarius efficit sestertios, seu stuferos brabanticos quinque, ita vt ducenti, quadraginta efficiant florenos. erant quidem ista tempestate omnia vilioris pretij; sed homines peiores erant, tam Iudæi, qui legis præcepta habētes, in omni flagitio viuebant; quam Ethnici, qui Idolorum cultui vacabant. Non semper fœlicia sunt tempora, quoties externa bene se habent: Deus reprobis interdum prospera largitur vitamque omni deliciarum genere affluentem, vt in futuro sæculo nihil his amplius debeat. Cùm gentiles B. Augustini ætate, quærerentur, cum Christiana fide, multas simul bellorum, aliarumque calamitatum tempestates in orbem inuectas; refutandi, huius erroris caussa, duos & viginti doctissimos de ciuitate Dei libros conscripsit, Excitauitque Orosium vt ad eundem scopum septem historiarū volumina scriberet, vbi verissimis, efficacissimisque rationibus, quænam afflictionum, ac rerum aduersarum causę sint, euidenter demonstrant, dicentes; ante Christianam fidem, plures fuisse, quam post CHRISTI Saluatoris aduentum. Deus reprobis sæpe hic terrena largitur, in remunerationem virtutum naturalium: Electis vero mala; vt purgati peccatis, patriam aliquando consequantur. itaque

Aug. l. 10. de Ciu. c. 8

In præfat. histor.

noli

noli conqueri aduersus Deum, in prosperis time, in aduersis spera. quo enim rarius in nos animaduertit Deus, eo vehementius nobis pertimescendum monet Chrysostomus.

Nota *primo*: Philippi responsionem duobus intelligi modis. *Primo*, in bonam partem; non quasi de Christi potentia ambigeret, sed quod ignoraret quidnam Dominus facturus esset: quippe, quo interdum discipulos sineret esurire; nō est diffidētiæ signum, cum de victu solliciti sumus, aut ægri medicos adhibemus: audaciæ est à Deo miracula poscere. Itaq; sic laborandum est, ac si Deus auxilio suo præsto nobis futurus non esset; sic Deo fidendum, quasi nullius momenti nostra sit opera. *Deinde* in malum potest intelligi quasi ex diffidentia prolata sit: quod & verisimile, Christus enim voluerat de eius fidei cōstantia certior reddi. Hinc ergo hominis in angustia fragilitatem videas; sæpe despondet animū, cum naturale deest subsidium; licet mens in Deum defixa sit, qui cum nostras necessitates norit, multo est procliuior ad opitulandum nobis, quam nos ipsi. Quando Apostolos consideramus in necessitate anxios; facile colligimus, quantę virtutis sit, necessitatis tempore infracta in Deum spes, nec dari illam nisi piè viuentibus, Sapiens testatur: *Respicite filij nationes hominum & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est, quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit illum & despexit illum?* Quasi dicat: duo sunt ad roborandam spem cum primis necessaria; nempe diuinorum impletio mandatorum, ac cœlestis auxilij inuocatio.

Hom. 17. ad populū Antioch. In Philippi resp. 3. notanda. 1. *Mat. 12. 1.* *Eccl. 2. 11.*

Nota *secundo*, Philippum sententiam suam, per modum consilij Christo exposuisse; nempe videri sibi ob nimiā panum inopiam, hominumq; frequentiam, satius fore, vt turba dimittatur: tale solet mundanorum esse consilium, qui in subleuanda pauperum inopia, suas potius, quam omnipotentis Dei vires præ oculis habent. Tunc cara omnia, liberorum multitudo & media quibus subueniamus pauperibus deficiunt, interim procreandis liberis vacant, & voluptati, qua potius abripiuntur quam multiplicandæ religionis cura. Quin & illud magnopere dolēdum, in Monasterijs, minuendæ portionis timore, non acceptari, quos Deus eo mittit;

2.

quasi

quasi ipse sufficiens nō esset, qui de victu ministris suis prouideat; qui cœnobia nondum existentia construi fecit, atque ex piorum eleemosynis sustentari, etiam Religiosorum ingenti multitudini alendæ sufficit. Illud vero maximè detestandum, etiam opulentiora monasteria eodem timore, iniquos inire contractus, antequam quemquam admittant; nec considerant, ideo tam amplas à Deo possessiones sibi collatas, vt magnum seruorum Dei numerum admittant. Quod quando non fit, nihil mirum si illorum (Deo ita volente) res imminuantur. Ioann. Trithemius, qui Herbipoli, ann. Dom. 1512. floruit autor est, fuisse Benedictinæ familię mille quingentas Abbatias, exceptis præposituris alijsque minoribus monasterijs: quarum tantæ opes, vt tertiam fere Christianitatis partem possidere viderentur, sed quantum de hac summa decessit! quia non sat multos Religiosos admiserunt, neq; secundum regulam vixerunt; vt illud D. Augustini, de illis dictum videatur fuisse impletum.

Li. 1. de viris Illustribus sui ordin. c. 2.

Hom. 48. ex 50. in med.

Hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus.

3. Nota *tertio*: fuisse etiam inter CHRISTI discipulos, qui aliquam rerum temporalium habuêre cognitionem; vt hinc doceamur, Ecclesiasticos quoque, maximè vero presbyteros, talium interdum administrationem suscipere debere, non priuati emolumenti causa, sed vt proximum dirigant. oportet eos in quauis re esse peritos, vt peccatorum species discernant. Mercatores qui versutissimis cambijs, permutationibus, versuris, vsurisve rem agunt, quiq; ingenij subtilitate abutentes, captiose ex minimis aliorum verbis litem instituunt, putant Presbyteris indignam talium cognitionem: ideoque eos vel non consulunt, vel reijciunt, quasi imperitos, ipsi imperiti; Presbyterorum, Confessariorum, & Pastorum est, scire quid æquum, & iniquum, quid bonum, quid malum, quidve falsum; vt de his alios instruant, nemo sincerius de talibus iudicat, quam qui passionum affectibus non laborat; Itaque monentur hoc loco Pastores, ac Confessarij sedulo ea, quæ subditorum concernunt conscientias, discere, sæculares quoq; docentur, vt suis opinionibus non nimium innitantur; neque salutaria Presbyterorum

consilia

conſilia aſpernentur, ſed de commercijs cum peritis, Deumque timentibus ſacerdotibus conſultent.

X. *Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri, eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordaceos, & duos piſces; ſed hæc, quid ſunt inter tantos?* Cum Apoſtoli diligenter de cibo indagaſſent, neque quidquam reperiſſent, tandem puer quidam inuentus eſt, in ſuum, vel aliorum vſum, quinque deferens hordeaceos panes, duoſque piſces. Vnde nota hic *in primis*, Chriſtum copioſam hanc multitudinem, de panibus huius pueri cibare voluiſſe. amat ſingulariter bonæ indolis pueros, qui omnibus relictis, cum hoc puero, eum ſequuntur: non vt victum conſequantur (puer namque hic ſuam ſecum deferebat annonam) ſed vt Dei verbum audiant: talium innocentia ipſi gratiſſima eſt, & eorum opera vtpotè valde meritoria, libenter acceptat. Hinc Salomon ait: *ſponſum paſci inter lilia*, hoc eſt, inter puri, nitidiqúe cordis penetralia, humilis obedientiæ odorem ſpirantia, prout innocentes pueri paſſim ſolent. Refert Antonius Senenſis, in Chronico Patrum Prædicatorum, fuiſſe circa annum Domini quadrageſimum, ſupra milleſimum ducenteſimum, Bernardum quendam eiuſdem familiæ, qui in cõuentu Sancterenenſi in Luſitania, innocentes aliquot puerulos, habitum monaſticum ex parentum voto geſtantes, poſt miſſarũ peracta myſteria, litteris moribuſque imbuebat, qui ex domibus maternis ientacula ſecum ferentes, poſtquam miſſis aliquot inſeruierant, ſolebat eos ſeorſum in capella ſumere. Porro in ea erat altare, habens inſignem Diuę Virginis imaginem puerulum Ieſum ſinu baiulantem, qui puerorum delectatus ſimplicitate, cum ijs nonnunquam ientabat. Quod poſtquam vicibus aliquot eſſet factum, cœpere illi rem ad magiſtrum deferre, conquerentes, quod ille paruulus ad eorum ientacula deſcendens, nihil in ſymbolum ſecum apportaret. Ille autem rem intelligens, eos inſtruxit, vt quando iterum id fieret, hiſce verbis perulum alloquerentur: En Domine tu ſemper aſymbolus nobiſcum ientaculum ſumere conſueuiſti, inuita ergo nos, & magiſtrum noſtrum, vt ſemel quoque in domo Patris tui tecum reficiamur. Quod

Chriſtus pueros, amat.

Cant. 6. 2.

Memorabilis hiſtoria innocentiæ puerorũ.

vbi fecissent, adsignauit eis certum, quo id fieret diem; erat autem is Dominico ascensui celebris, qui tunc instabat; id mox illi referunt Magistro, qui illa die maturius solito, ad sacrum se parat, paruulis eisdem ministrantibus: & sacrificio peracto omnes ibi simul viuere desierunt, cœlestis palatij conuiuium lætissimo animo frequentantes.

2. Nota *Secundo*, pueri huius liberalitatem, omnem cibum libenter in proximos erogantis, neque de penuria solliciti, & forsitan egens ac tenuioris erat fortunæ; cum ditiores hordeaceis non vescantur. Itaque quando proximorum necessitates audis, liberaliter distribue, quæ à Deo, vt Thobias monet, accepisti. *Qui namque administrat semen seminanti; panem quoque*, inquit Paulus, *ad manducandum præstabit, multiplicando semen vestrum.* Aliquando parcius tuis vtere; sic nihil, quod pauperibus largiaris, deerit si omnes cibi reliquias in egenos distribueremus, temperatiusque Dei creaturis vteremur, citra vllam superfluitatem, posset pauperum omnium inopiæ liberaliter subueniri, vt interdum etiam vinum biberent, qui iam ob prodigalitatem nostram, siti, fameque cruciantur. Deus perspecta inhumanitate nostra, annonæ caritatem immittit, & vectigalia, tributa, impositiones, aliaque cibi & potus grauamina, quia prætextu egestatis pauperibus nihil elargimur; sicque contingit quod superius ex Diuo Augustino retulimus, nempe *fiscum id rapere quod Christus non accipit.*

Thob. 49.

1 Cor. 9. 10

Hom. 48. ex 50.

3. Nota *Tertio*, panes illos quos puer attulit, hordeaceos fuisse: vt hinc discamus, pauperibus non ministrare ea; quibus vel in luxum exundent, vel domesticas operas negligant, sed vitæ tantum necessaria. Vincentius Mainardus in vita Sanct. Antonini memorat, quod Ambrosiana via, solemni die, de more iter faciens, in pauperis domus culmine Angelos sedere conspexerit. Cuius fores cum pulsasset, reperit ibi viduam, ac tres vna filias, nudis omnes pedibus, & laceras: quæ vt extremam paupertatis propulsarent inopiam, lana, telaque, victum quæritabant. Vnde misericordia motus, cognita earum pietate, statim

Tom. 3. Surij die 2. Maij.

tim iubet quantum satis esset non modo ad inopiam earum propulsandam, sed ad commode quoque vitam tolerãdam, erogari. Labente autem tempore, cum illac denuo iter haberet, iam non angelos vti prius, sed dæmonem videt fastigio domus insidere, ac tum subesse mali aliquid suspicatus, quærit: num prolapsæ in scelus aliquod? cognito autem quod amplioribus cumulatæ Eleemosynis iam plurimum à religioso illo viuendi more deflectentes, delitias sectarentur, ingratitudinis eas coarguens, Eleemosynas subtraxit. & vt labore victum pro pristina consuetudine quærerent, præcepit: futurum namque id Deo gratius, & ipsis salutarius.

Nota *Quarto* verba hæc: *sed hæc, quid sunt inter tantos?* significant namque *imprimis* humanæ opis media omnia defecisse, in pascenda tanta hominum multitudine. *Deinde* Apostolos quoque ipsos de fidei constantia periclitatos, adeo vt ambigere inciperent; quam quidem Apostolorum diffidentiam, ideò Euangelistæ sicut & in veteri Testamento de Moyse, nobis ob oculos statuunt; vt *imprimis*, ipsorum imperfectionem, & deinde ad quãtam dignitatem peruenerint reuoluentes, de virium nostrarum imbecillitate, non desperemus. 4. Cur expressa Apostolorũ diffidẽtia. 1.

Deinde vt considerantes fidei difficultatem, nostramque inopiam, feruentius cum Apostolis indies oremus: *Domine adauge nobis fidẽ*, cũ Moysi promitteret Deus, quod mense integro, filijs Israel in deserto carnibus ad satietatẽ vsque prospecturus esset, ille pusillanimitate motus, aiebat: *sexcenta millia peditum, populi huius sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro*: & Dominus ad illum, *nunquid*, ait, *manus mea inualida est; iam nunc videbis, vt cum meus sermo opere compleatur*. Quapropter cum nos pusillanimitas tentat, ad Deum confugiamus; si humano subsidio destituimur, aderit diuinum, Apostoli mundi figuram præ se ferunt, qui si pius sis, nihil suppeditabit, ad voluptates, diues. Israelitæ ex captiuitate Babylonica redeuntes ædium priuatæ reædificationi sumptuose incumbebant, de templi restauratione socordes, quasi nondum venisset tem- 2. *Luc.17.5.* *Nu.11.21.* *Aggæ.1.2.*

pus, quo illud ſplendori ſuo reddi debebat; poſtmodum diuina in eos vltio deſæuijt. Cùm Deo, & pauperibus liberales ſumus, mundo tenaces, viciſſim nobis liberalitatem indulgenter exhibet Deus, impedit ne mundus tua tibi adimat, vt amatoribus ſuis; quibus poſt plurimas impenſas, nihil relinquit.

XI. *Dicit ergo Ieſus, facite homines diſcumbere; erat autem fœnum multum in loco.* Noluit Saluator noſter diutius famentem populum ſuſpendere, cum humana omnia deficerent præter panes, & duos piſciculos, in turba numeroſiſſima. Vnde diſce *inprimis*, Deum interdum differre auxilium in extremam neceſſitatem, vt in Cana Galileæ, & cum Petrus mergi inciperet, & quando pane cœleſti Iſrael cibauit, atque è duro ſilice potauit, quod *primo* facit, ad fidei robur: vt reipſa doceat, quod etiam cum nihil humani ſuppetit auxilij, opitulari poſſit.

Nota 1. *Ioan.* 2. *Matth.* 14 *Exod.* 16. *Num.* 20. Deus cur interdum differat ſubſidiũ.

Secundo: ne vnquam deſperemus, quantacunque premat neceſſitas, cum Saul Dauidem perſequeretur, tam erat illi propinquus, vt in modum coronæ eum cingeret, nulla elabendi conceſſa ſpe; ſed adfuit ei Deus, miſſo ad Saulem nuntio. de Philiſtæis Suſannam iam iam ſupplicio deſtinatam, Danielis prudentia mirabiliter conſeruauit.

1. 2. 2. *Reg.* 2. 26. *Dan.* 13.

Tertio, vt eo feruentius ei adhæreamus, qui quando velociter è tribulationibus eripimur, cito flacceſcimus. *Quarto*, vt beneficia maiori in pretio habeamus.

3. 4.

Nota 2. Nota *ſecundo*, benigniſſimæ reſponſionis Chriſti clauſulam, quum diſcipulos ſuos merito potuiſſet arguere, vti alias fecit, cum diceret: *O generatio incredula. & peruerſa, quouſque ero vobiſcum, vſquequo patiar vos*; Hæc namque verba ad diſcipulos fuiſſe prolata, teſtantur Origenes, & Athanaſius, eodem modo hic reſpondere potuiſſet; verum ſilentio potius eorum voluit arguere incredulitatem, potentiam ſuam miraculo oſtendens, populoque ſubueniens. ſimiliter nobiſcum agit Deus, qui *inprimis* multa nobis non rogatus largitur, vt diſcamus; poſſe eum, etiam illa, quæ petimus largiri.

Origen. Tract. 4. *in Matth. Athan. in ſynopſi.* Dei in nos beneficia. 1.

Secund

Secundo : cum nos à bono opere excusamus, solet aliorum qui præcedunt exemplo, nos arguere; vereris difficile, propter quotidianos labores, ieiunium; aut Missam quotidianam, vel etiam eluceſcente aurora ad Dei verbum consurgere, & ecce, suscitat tibi Deus aliquem, qui etsi graui labore victum quærat, omnia tamen Ecclesiæ ieiunia seruat, Missam quotidie audit, confessionem frequentat, sacram communionem octauo quolibet die percipit, primus Ecclesiam adit &cæt. hoc exemplo ad idem exstimulat, objcienſque, cur tu eadem non præstes, cnm ipse te fortassis sit pauperior, & diligentior; tamen vnius tecum naturæ. quid ergo te impedit, nisi socordia, ignauia, & frigus? Ex hoc Christi responso, modum vindicandæ iniuriæ discimus; si quis iracundiam exprobrat, vel incontinentiam: stomachabundi, mentiri eum respondemus. CHRISTVS alium ostendit modum; nempe, auarus audis? Eleemosynas da: incontinens? castitati stude, superbus? humilitati, Christique consilio acquiesce, qui præcipit, vt GREGORIVS ait, liberalitatem auaris; luxuriosis castitatem, iracundis mansuetudinem, superbis humilitatem. 2. Modus vindicandi se. *Hom.32.in Euang.*

Nota *Tertio*, De Christo errorem mundi: putat enim neminem ipsi placere, nisi continuo ieiunet; hic tamen homines iubet discumbere, ac discumbentibus cibum mittit, docens; *primo*: Christianæ vitæ institutum laudabile, nec aspernandum. Est namque rationi conforme, vt corpus diurno peracto opere reficiatur. Nota 3.

Secundo, CHRISTVM liberalius alere, quam mundum; est namque frequens in Ecclesia, cibi potusque mentio: in tabernaculo Mosaico, quod Ecclesiæ figuram præ se ferebat, semper erant *duodecim propositionis panes*, Esaias ait, Dominum in monte Ecclesiæ *conuiuium pinguium* instructurum, *conuiuium*, inquam, *pinguium medullatotum*, *ac vineæ defecatæ*, Ad quod omnes vocati sumus. est enim cœna illa magna, ad cuius apparatum, altilia, ac volatilia omnia occisa, Matthæus commemorat: vt doceamur, fideles Christus liberalior quã mundus. *Isai.25.6.*

Matth. 22 4. magnam ſentire ſatietatem, in ijs quæ Catholica frequentat Eccleſia; nempe, tam ingentes rerum ſpiritualium delicias, internaſque conſolationes, vt corporalis cibi delectationem longe ijs poſthabeant.

Nota 4. Nota *Quarto*, Chriſtum non iubere per ſe, vt populus ſedeat, ſed per Apoſtolos, per quos cibos quoque ijſdem ſubminiſtrauit, vt cognoſcas, duo Apoſtolis eorundemq; ſucceſſoribus officia, à Chriſto collata. Quorum *primum* hic inſinuatur, per hoc, quod populum diſcumbere fecerint: ſunt, namque à Deo mundi gubernatores, Eccleſiæque proceres deſignati, vnde Dauid, *conſtitues eos*, ait, *principes ſuper omnem terram*: & Paulus, *attendite vobis, & vniuerſo gregi; in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Habent igitur tam Apoſtoli, quam eorundem ſucceſſores, auctoritatem decernendi, inſtituendique, quicquid ad ſpiritalem animarum pertinet ſalutem, & puniendi quicquid huic aduerſum.

Duo Apoſtolicæ functionis officia

Pſ. 44. 17.

Act. 20. 28

Hinc Paulus Timotheum, quem Epheſiorum præfecerat Eccleſiæ, monuit: *ne aduerſus presbyterum, accuſationem vllam reciperet, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*: Indicans Epiſcopos habere tribunalia, in quibus delinquentes puniant. *Alterum* eorum officium eſt, Chriſtianam plebem verbo Dei, ac Sacramentorum adminiſtratione paſcere. Verbum Dei animam nutrit: Sacramenta, per gratiam quam conferunt, eandem ſatiant. Diligenter inſuper notandum, compoſuiſſe Apoſtolos per ſe populum, in cibando autem ſubſidio pueri, miniſtrantis vſos: quia Epiſcoporum eſt, per ſe populum regere: (ob auctoritatem illam, gratiamque, quam ideò ſpecialiter conſecuti ſunt:) & diuinæ legis præcepta proponere, in ſpiritalis autem alimoniæ adminiſtratione, poſſunt vti ſubſidio aliorum, nempe in concionando, celebrando, baptizando, confeſſiones audiendo, presbyterorum opera: Diaconorum vero, in legendo, explicandoq; publice Euangelio; prout B. Stephanus, & Philippus Diaconi fecere, item in aduſtendo ſacerdoti, Quemadmodum Sanct. Laurentiũ Sixto

1. *Tim. 5. 19.*

2.

Act. 6 7. 8.

Hier epiſt. 48 ad Sabin. Clem. li. 2 Apoſt. conſt. c. 14.

Sixto Pontifici miniſtraſſe Beatus Ambroſius teſtatur. Subdiaconorum quoque, ac Acolythorum, vt Diaconis in ſacrificio præſto ſint, ſicuti namque, in Salomonis templo olim diuerſi erant miniſtrantium ordines, functioneſque; ita conuenientius, decentiuſque eſt, id in Eccleſia Catholica fieri, cuius & ſacrificium dignius eſt, & congregatio ſanctior. *Ambr. li. 1 off. c. 41.*

Nota *Quinto*, turbam hanc per centenos, ac quinquagenos diſcubuiſſe. *Primo*, vt poſſet iniri numerus: ſicque miraculum eſſet celebrius. *Secundo*: vt tria per hoc diſceremus. *Primo*, in rerum Politicarum adminiſtratione, decentem ordinem. ordinis Paulus Deum autorem adſtruit: monens vt ab ijs qui inordinatè ambulant, ſtudioſè nos ſubtrahamus. *Deinde* vt qui diuina gratia ſatiari velit; in ſilentio, quiete, ac pace ſe paret. Hinc in Sacrificio miſſæ, orationem Dominicam ante communionem recitari Auguſtinus ait, vt proximis reconciliemur, eiſque, ſi quid in nos deliquerint, dimittamus.

Nota. 5. Cur per centenos ac quinquagenos diſcubuerint. 1. 2. *Rom. 13. 1. 2. Theſ. 3. 6 Ser. in vigil. Paſchæ*

Et B. Bernardus monet, vt ante communionem quieti ſimus, dicens id ſignificari, per populi ſeſſionem. *Poſtremo*: in Eccleſia Catholica, varios fidelium cętus eſſe, eandem fidem tenentes, ijſdemque Sacramentis vtentes: qui ab Apoſtolis conuerſi, nunc diuerſorum ductu Epiſcoporum ſalubriter reguntur. Quemadmodum namq; omnes hi, panes à Chriſto ſibi traditos, ac cœleſti benedictione multiplicatos, populo diſtribuerunt: ita Chriſti eiuſdem autoritate per vniuerſum terrarum orbem, ad conuerſionem aliorum, vt Cyprianus ait, longè lateque miſſi ſunt. Erant namque omnes Legati, ac Vicarij Chriſti, habentes poteſtatem parem, adſignanteſq; Epiſcopos certis quibuſdam locis: Quemadmodum Paulus, Epheſijs Timotheum dedit Epiſcopum. Et Titum Cretenſibus. Petro interim primatum ſicuti Hieronymus teſtatur, tenente: cui, tanquam generali Chriſtiani ouilis paſtori, cæteri Apoſtoli ſubordinabantur, quorum officium, cum ipſis extinguebatur, Petrus vero ſuum, ad ſucceſſores tranſmittebat.

Li. de præcepto & diſpenſat.

Tract. 3. de ſimpl. prælatorum.

Lib. 1. contra Iouinianum.

Sedebant hi homines quinquageni, & centeni; vt mysterio numeri sui, Ecclesia gratiã figurarent. quinquaginta enim *Primo*, peccatorum remissionem significãt, & iubilæi *a* libertatem. *Secundo*, Prudentiam *b* se ipsum dirigendi. vnde Leuitę *c* à 25. ætatis anno, ad quinquagesimũ, ministrabãt; deinceps vero vasa tabernaculi custodiebant. quia, ait Gregorius, anno quinquagesimo apti sumus custodiendo proximo. *Centum*, Ecclesiæ perfectionem significant, quæ vbique requiritur: nam longitudo, & latitudo Templi, vt Ezechiel notauit, *centum* cubitorum est. Ecclesia habet tria hominum genera. *Primi* à remissione peccatorum incipiunt. *Secundi*, sapientia proficiunt. *Tertij* perfecti sunt. *Primis* conuenit seculum; *Secundis* Religio, *tertijs* Ecclesiastica præfectura. In seculo ob quotidianos lapsus semper incipiunt, in Religione student profectui. Prælati vero, tanquam Ecclesiæ Doctores, perfectionis statum profitentur: etsi prô dolor, & Religiosis, & Prælatis nonnunquam sæculares sint perfectiores!

Quinquaginta, quid.

a Leui 25.

b Anselm. Matth. 14

c Nu. 8. 25

Greg. 23. *mor. c.* 12. *& 2. dial. ca.* 2.

Centum, quid?

Ezec. 21. 13

Tria hominũ genera in Ecclesia.

Nota *Sexto*. Fuisse illic, vt Marcus ait, multum *fœni viridis*; vel vt Matthæus *multum fœni*. Isaias *omnem carnem*, dixit, *fœnum; & gloriam eius, florem fœni*. Duo hic nota: *Primo*, fœni copiam; *Secundo*, eius vsum. homines enim insederunt fœno, quod recenter demessum videbatur. Significatur hic *Primo*; mundũ, qui miseriæ vallis est, plenum esse hominibus, quorum corpora affectibus virent. *Secundo*, Eum qui gratiæ fructum desiderat, passiones debere præcidere, vt ait Anselmus. Præciduntur autem; vel proposito firmo, vel voto eis non obtemperandi. quanquam hic sisti non debeat; multi enim etiam in Religione animum nõ mutant. premi ergo debent, & subijci; quod ni fiat, nec sinceram animi lætitiam, nec pacem cõsequemur. Omnes passionibus vexamur; soluit enim illas Adami inobedientia, solus Christus, & B. Mater eius, quæ cum de peccatis agimus nõ comprehenditur, vt monet Augustinus, immunes fuere. Sunt autem in homine passiones diuersimodè. *Primo*: sine sensu rebellionis, vt in infantibus. *Secundo*: vt sentiantur quidem, sed statim compescantur: sic de se queritur Apostolus; & de S. Frãcisco scribit Bonauentura; habuisse eum carnem, rationi plane subditam.

Marc. 6. 39 *Matt.* 14. 19. *Isa.* 40. 6.

Fœnum quid?

1.

Anselm. in Commen.

Aug. de nat. & grat. c. 36.

Passiones quot modis sint in homine.

Bonau. in vita.

sunt

sunt tamen in his venialia quoque peccata: omnes enim & humiliter, & veraciter orant *dimitte nobis debita nostra*. *Tertio*: Vt sentiantur, & aliquando præualeant; non tantum in minimis, sine quibus nemo, teste Augustino, viuit, sed etiam in grauioribus; vt mendacijs, detractione, iuratione, &c. quæ tamen per pœnitentiam, statim delentur. *Quarto*: Vt etiam in peccatis iam dictis hominem detineant, tanquam in quodam vitæ statu. quod illis contingit, qui citra scrupulum mẽtiuntur, ex consuetudine iurant, detrahunt, tempus inutiliter terunt, &c.

Con. Mileu. c. 8. *Tri. s. 6. c. 11.* *Aug. Ench. c. 71*

Quinto: Vt hominem trahant in peccatum mortale; quod Dauidi contigit, & Petro. sic tamẽ vt statim ille resurgat. *Sexto*: Vt hominem in peccatis mortalibus detineant, ita vt bruti instar, à passionibus rapiatur, & quod Iob ait: *bibat iniquitatem, quasi aquam*. i. citra scrupulum. quidam, secundum Gregorium, peccata comedunt; quia cum scrupulo peccãt, cibus enim, nisi comminutus, non traijcitur: quidam vero ea bibunt. Vis à Deo cibum? passionibus insidе, quanto eas viceris magis, tanto melius cibaberis.

Iob. 15. 16. *Grego 11. mor. ca. 17.*

XII.

Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. addit Matthæus; *Exceptis mulieribus, & paruulis*. quorum nõ fuit numerus minor: tum, quod sexus fœmineus sit deuotior; tũ, quod curiosior. Erant ergo hic tria hominum genera; nempe, viri, fœminæ, pueri. vt significaretur, omnes ad Ecclesiam admitti: paruos, vt magnos; iuuenes, vt senes. Numerantur autem soli viri, ex consuetudine scripturæ.

Mat. 14. 21

Cur soli viri numerẽtur.

Num. libro fere toto.

Primo: quia viri fœminarum capita sunt, & curam habẽt. *Secundo*: quia inter Christianos nihil admitti debet muliebre, vel puerile. pueri imperfectos significant; fœminæ inconstantes in bono: neutri diuino obtutui præsentari possunt. adducitur tamẽ hic puer vnus, nulla vero fęmina; quia plus boni faciunt imperfecti, quam inconstantes; qui frequenter grauiter cadunt, & meriti omnis iacturam faciunt. Notat Gregorius, perfectionem millenarij numeri, ex eo; quia habet cubum ex denarijs. numerus quinarius, passionem Christi significat; ob quinque præcipua eius vulnera. significatur ergo hic in Ecclesia, per Christi passionem, esse

Cur vnus puer, nulla fęmina?

Greg. 35. Mor. c. 19.

Obediendum Deo.

omnem perfectionem. significatur quoque, tum in Apostolis, tum in turba, obedientiæ virtus: hæc enim Apostolis, illi Christo obediebant: vt modum discamus, quo Deo obedire oportet, & hominibus. Deo, tanquam omnium creatori, & Domino, omnia in omnibus obedientiam debent. etiam si aliquando videatur quædam præcipere contraria naturæ, vt immolationem Isaac; vel iniusta, vt acceptionem bonorum ab Ægyptijs: vel inhonesta, vt matrimonium cum fornicaria: vel cõtra matrimonij fidem, vt eiectionem Agar, & Ismael. Quicquid malum est, ideò malum est, quia Deo repugnat: quod is ergo præcipit, bonum erit: quia voluntas ipsius, omnis boni mensura est. Si vitam tibi, & opes dedit, vtique eripere potest, etiam per alios. Obedientiam quoque Deo debemus per omnia, animo, & corpore, passione, & actione: tam interna, quam externa: omnia enim ipsius sunt: ipsi ergo seruire debent. Animum, cuius duæ sunt præcipuæ facultates, ita Deo debemus: vt omnia quæ dicit credamus, & velimus: vt verbo suo, intellectum nostrum dirigat: & imperio, voluntatem. ideoque si quædam dicat intellectu nostro maiora, qualia sunt, diuinæ naturæ vnitas, & personarũ Trinitas, in Christo vnitas personæ, & dualitas naturarum: præsentia Christi in Eucharistia, captiuari debet intellectus sub omnipotentia Dei. Voluntas quoque subijci illi debet, vt præter ipsum nihil velit, sed omnia, in ipso, & propter ipsum. Non quod semper idem cum Deo velle debeamus: Dauid enim voluit, & bene, Deo ædificare templum, quod Deus noluit. similiter & Apostolus, auferri à se stimulum carnis, & ire in Asiam, ac Bithyniam. potest per orationes diuina voluntas inflecti ad nostram: neque sic Deo repugnamus, sed voluntatem eius beneplaciti adimplemus: sicut enim Deus per media nobis dat gratiam, sic & rogari vult, vt det: alias non daturus. & quia nescimus, quæ sit absoluta Dei voluntas, possumus ab hac dissentire, quam diu ea nobis non constat.

Gen. 22. 2. Exo. 12. 36 Ose. 1. 2. Gen. 21. 10

Obedientiæ intellectus.

Volũtatis

2. Reg. 7. 2. Co. 12. 8 Act. 16. 7. Vide Dorotheum doctr. 14. & Basil. q. 276. breu.

Porro sicut facienda, sic & toleranda sunt, quæ ille vult: possumus tamẽ & morbo remedia quærere, & martyrio nos subtrahere: quia incerti sumus de absoluta Dei voluntate.

Etsi

Etsi vero omnes Deo debeant obedientiam, peculiariter tamen Apostolorum est, & qui eis succedunt, indagare voluntatem Dei, ex verbo eius; sicut hic Apostoli, illam ex ore Christi ad populum referebant. Episcoporum itaque est, & Ecclesiastici Superioris, vt Scripturas interpretentur, & quæstiones ex illis decidant: vt semper in Ecclesia obseruatum, iam inde à primo Apostolorum Concilio, vbi locutos legimus Petrum, Iacobum, Paulum, & Barnabam, qui, aliter quam Cerinthus, (controuersiæ vt Epiphanius notat, author) intelligebant Scripturas, ex eis concludentes, Gentiles etiam citra legis professionem, ad Euangelium recipiendos, & licet ipsi ita concluserint, nomine tamen totius Ecclesiæ, literas formant. Idem fecerunt in Concilio Niceno anno 327. Episcopi 318. in Constantinop. ann. 383. Episcopi 150. in Ephesino, anno 434. Episcopi 220. in Chalcedonensi, anno 454. Episcopi 630. atque ita consequenter, vsque ad Tridentinum cui interfuerunt Episcopi 260. Deus per Prophetam *Labia Sacerdotis, dixit, custodire scientium, & legem requirendam ex ore eius*: vt populum, Moysis instar, & Prophetarum, doceat.

Officium Ecclesiastici Prælati.

Act. 15. 6.

Epip. hær. 28.

Act. 15. 15. & 20.

Mal. 2. 7.

Discimus ergo. *Primo*: Ecclesiasticorum esse, vt Scripturis studeant, à Deo veram earum intelligentiam precibus petãt, eique se quotidie, in sacrificio, coniungant, Patrum monumenta excutiant, vt Ecclesiæ sensum, quem concors Patrum expositio tradit, indagent. Fecerunt hoc Basilius, Nazianz. Hieronym. Augustinus: nemo enim ex arbitrio suo, sed Ecclesiæ sensu, scripturam debet exponere. *Secundo*: Eorum qui hęc faciunt laboriosam, sed sanctam, esse conuersationem: diuinum enim est, diuina meditari: laboriosum tamen Patrum libros voluere, & cum Scripturis conferre, ita vt res ista hominem totum requirat. *Tertio*: Laicos non esse scripturarum lectione, vel explicatione, occupandos: quia alijs negotijs destinentur. Optimè eis Chrysostomus consulit, vt Scripturam legant, sed explicationem eius ex concionibus discant.

Chrys. ho. de Lazaro

De obediẽtia quam Superiorib. debemus, exemplo turbæ huius, q̃ obediebat Apost. dixit Christus: *qui vos audit, me audit, & qui*

Obediendum hominibus.

Luc.10.16. & qui vos spernit, me spernit. similiter Apostolus: *Obedite præpositis*
Heb.13.17. *vestris, & subiacete illis; ipsi enim peruigilant pro vobis, tanquam ra-*
Greg. in 1. Reg.l.2.c.6. 4. *tionem reddituri pro animabus vestris,* Gregorius quoque. *Vera,* ait, *obedientia, nec Præpositorum intētionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudiciū Maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si ꝙ sibi præcipitur, operatur. Nescit quippe iudicare, quisquis perfecte didicerit obedire.* Et alibi. b *Cæteris quidem virtutibus dæmones*
b l.4.c.5. c l.6.c 2. *impugnamus; obedientia vincimus. quia* c *lōge maioris meriti est, propriam voluntatem alienæ subijcere, quam magnis ieiunijs corpus atterere.* Non obligamur tamen hominibus per omnia; sed in his tantū, respectu quorum, illi superiores nostri sunt. *Primo*: Parentibus, in his quæ familiā spectant, & mores: quantuscunque. n. fueris, parentibus, si te de peccato corrigāt, obedientiā debes. *Secundo*: Magistratui ciuili, in politicis. *Tertio*: Magistratui Ecclesiastico, in his quæ in baptismo spopondimus. *Quarto*: Religiosi in suis constitutionibus. Obedientiam autem non debemus. *Primo*: In his quæ sunt contra Deum: *obedire enim,* ait Petrus, *oportet Deo magis, quam hominibus.* si tamen dubites, an mandatum Deo repugnet, obedientiam debes: quia, & superiorem teipso debes iudicare prudentiorem; & obedientia, ait Bernard. prudentiam supplet. *Secundo*: In his, respectu quorum non est superior. vt si parentes liberis mādēt ingressum religionis, vel matrimonium, aut simile, quod statum vitæ concernat. similiter, si magistratus ciuilis Ecclesiastica iura inuadat; aut Ecclesiastici, (cum iurisdictionem non habēt) ciuilia. *Tertio* in liberis: vt sunt cogitationes, quas nemo præter Deum prohibet: quia & corporis, & animi Dominus est. *Quarto*: In noxijs corpori; qui tamen in his obedit, perfectus est. Tres enim sunt, iuxta S. Thomam, obedientiæ species. *Prima*: est Necessaria, in his ad quæ tenemur. *Secunda*: Perfecta, in his ad quæ non tenemur. *Tertia*: Indiscreta, in his ad quæ omittenda tenemur. Perfecta ergo obedientia est, si & voluntatem, & rationem, alteri submittens, etiam illa præstas, quæ laboriosa sunt, & tamen inutilia. De Abbate Ioanne refert Cassianus, quod ex mandato superioris, toto anno rigarit lignum aridum, & lapidem maximum tentarit voluere, qaem multi simul non promouissent.

In quibus homini obediendum?

In quibus non?

1.

Act.5.29.

Ber.l.de prec. & disp.

2.

3.

4.

Obedientiæ species.

S.Tho.2.2 q.104.a.5. ad 3.

Cass.l.4. de inst.cœnob.c.24. & 26.

simili-

similiter cum obedientiæ causſa, periculo te exponis. Refert idem Cassianus, duos nouitios ab Abbate suo missos, cum ficubus ad alium Abbatem deportandis: qui cum à via plane aberrassent, fatigatione, & fame pressi, tamen ficus gustare noluerunt, itaque in genua prouoluti, mortui sunt; cumque post inquisitionem diuturnam inuenti essent, cum ficubus; omnes obedientiam tantam stupuerunt. *Ib.l.5.c.40*

Turba hæc, etsi præter quinque panes,& duos pisces, alium cibum non videret; tamen non legitur Apostolis contradixisse,sed potiùs integrè conditiones, quas Bernardus obedientiæ tribuit,obseruasse;nempe vt sit *Primo*: Voluntaria.*Secundo*: Simplex.*Tertio*: Hilaris. *Quarto*:Expedita. *Quinto*:Fortis.*Sexto*:humilis.*Septimo*:Constans. Humilitatẽ, Dorotheus obedientiæ tam scribit necessariam;quam sit secundus equus,ad facilem currus tractionem.Quantum vero ad primam conditionem spectat; Gregor. eam in omni quidem obedientia requirit,præcipuè tamen in his,quę nobis fauent,vel prosunt:vt ea ideo solum faciamus,quia mandata sunt: Moysis instar, qui à Deo requisitus ad Israelitarum præfecturam,prius se excusauit, dein ex obedientia acquieuit.In his vero quæ contra nos sunt, præter mandatum, etiam spontanei esse debemus: cum Apostolo, qui etsi Ierosolymis paratum sibi carcerem audiret, tamen lætus illuc iuit. Obedientiæ conditiones. *Ber.ser. de virt. obed.* *Gregor.35. Mor.c.13.* *Exod.4.* *Act.21.11.*

Quicquid mandatur, noli examinare; sed quia imperatur,promptus exequere. Basilius Magnus dum aliquando monasteria sua visitaret,itineris sibi socium quæsiuit;cumq; vnum Abbas obtulisset, eius obedientiam exploraturus, mandat ei primo, vt allata aqua aliorum pedes lauet, dein ipse eius pedes lauat, demum ad templum progressus, iubet vt Sacrificium offerat,se ministro; quæ cum ille omnia præstitisset, idoneum iudicauit, qui in comitem adsciscereturillic enim vera iucunditas, vbi voluntatum in subditis, & superiore, conformitas. & vt Barsanuphius Abbas ait, qui perfecte obedientiam colit, non potest non quiete viuere. *Doro.doct. 1.in fin.* *Ibid.in fin.*

Accepit

XIII. *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus,* Alij tres Euangelistæ, Christum dicunt suspexisse in cœlum, & benedixisse panes, dedisseque eos discipulis; quidam distribuebant eos turbis: ita vt sex cæremonias adhibuerit Christus. *Primo:* Accepit panes, & pisces in manus. *Secundo:* Suspexit in cœlum. *Tertio:* gratias egit Deo. *Quarto:* benedixit pisces, & panes. *Quinto:* fregit. *Sexto:* Dedit discipulis, vt eos populo erogarent; quæ omnia sicut mysterium habent, ita sigillatim explicabimus.

Cæremoniæ Christi.

Primum Accepit pisces, & panes in manus suas. *Primo:* vt se miraculi authorem declararet, à cuius contactu, cibus multiplicandi virtutem sumpsit; sicut in semine; virtus est fructuum, (ait Augustinus) & germinandi. *Secundo:* Vt & nos, & omnia nostra, in manus Christi commendaremus: quemadmodum enim panes hi, non à pueri portitoris, sed à Christi manibus vim participarunt: sic omnia nostra exigua sunt, donec Christi meritis iunguntur. *Sine me,* ait CHRISTVS, *nihil potestis facere*: quasi dicat; sine me quicquid agitis, nihil est: in ipso vero est omnia, quia ab eo virtutem trahit. *Tertio:* Vt considerata Dominici corporis efficacia, illud non solum intueamur libenter, sed & cõtingamus, atque intra nos sumamus. si enim ex contactu multiplicati sunt panes, multo magis multiplicabuntur virtutes. *Quarto,* Vt antequam ab eo aliquid petamus, aliquid ei offeramus. Vetitum erat in Lege veteri, *ne quis in conspectu Domini appareret vacuus.* requirit enim, vt operemur bonum. Poterat CHRISTVS hic nouos cibos producere, vt olim manna; vel aliunde adducere, vt coturnices; noluit tamen, *primo*: Quia vult vt nos cooperemur, tum, ad honorem nostri, qui merita participamus; tum, ad gloriam sui, qui nos ad tantam dignitatẽ euexit, vt mereamur. dignitas enim operis, nobilitatem arguit artificis. statuarius si imaginem sculpat viuam, dignior sine dubio erit, quam modo sunt nostri. similiter ergo laudem meretur Christus; quod peccato mortuis, non solum vitam, sed & operandi dederit potentiam; qua & gratiæ augmentum, & gloriam mereamur. vt proin quotquot merita nobis negãt, in Christum iniurij sint.: *Secundo:* Vt modum doceret viuen-

1. cæremoniæ causa 1.

Aug. tr. 24 in Ioan. 2.

Ioan. 15. 5. 3.

4.

Exo. 23. 15. *Deu.* 16. 16

Exo. 16. 14 *Nu.* 11. 32. Cur Christus nõ adduxerit cibũ aliũde. 1.

2.

viuendi: si enim tua times tibi, ac familię non sufficere, Christo ea offer, reddet ille cum fœnore. Caue ne furto, vel alio illicito modo, à dæmone quicquam accipias, quin potius in pauperes, qui sunt Christi manus, tua elargire, & fructum senties.

Secundo, Suspexit in cœlum. *Primo*: Vt se ostēderet (testibus Leontio, & Ammonio) non repugnare Deo, vt Iudæi calūniabantur. *Secundo*: Vt datam sibi à Patre potestatē miraculorum ostenderet, teste Chrysostomo: *Tertio*: Vt diabolū (ait Ammonius) falleret, qui nō suspicabatur, Deum esse, quem orantem audierat. *Quarto*: Vt nos doceret, omnis boni initia esse *de sursum* vt Iacobus ait, *& à Patre luminum*. *Quinto*: Vt & nos animi oculos in cœlum subleuemus, vbi cōuersatio nostra est eoq; *ad brauium* anhelemus. *Sexto*: Vt omnia nostra, ac præcipuè eleemosynas, ad Deū dirigamus. hinc mādat Christus, eas dari in occulto; nō quasi nolit eas præ forib. dari, ad aliorū exēplum, & declinandā auaritiæ notā, & pauperum maledictā; sed, tum, ne laudes humanas ex his, instar Pharisæorum, captemus; tum, vt præter ea quæ publicè; Religiosis quoque, & pauperib. verecundis, qui domi gemunt, alia erogemus. Obseruat Chrysost. Dominū nō ad omnia miracula suspexisse, sed ad aliqua solum; vt, ad suscitationem Lazari, sanationē muti, & surdi; orationem vltimæ cœnæ, ꝓ Ecclesia, & institutionem Eucharistiæ, vt ex decreto S. Alexandri in canone legimus. Nēpe vt significaret *primo*, se Deū simul, & hominē: qui vt homo, orat; vt Deus, sua virtute operatur. *Secundo*, Tantam esse beneficiorum quorundā dignitatē, vt vel pro se, vel pro eo quod significant, peculiares requirant gratias, talia sunt; Lazari iā fœtentis suscitatio, perpetua Ecclesiæ fides, Eucharistiæ mysterium, quod miraculorū Christi est dignissimum, & præsenti miraculo adumbratur; vt ꝓpterea etiā hic Christus suspiciat, quo rei figuratæ dignitatē insinuaret. sicut & in sanatione muti, ac surdi, q̄ peccatoris significat sanationem, mortuorum resuscitatione maiorem.

Tertio, Gratias egit Deo. *Primo*: vt se cum hilaritate ostenderet nobis beneficum; vnde & Lazarum suscitaturus, & Eucharistiam instituens, idem obseruauit. *Secundo*: Vt à gratiarum

2. cæremonia, cur. 1. *Leo. & Ammon. in catena.* 2. *Chrys. ho. 50. in Mat.* 3. *Ammon. in catena.* 4. *Iac. 1. 17.* 5. *Phil. 3. 14.* 6. *Mat. 6. 4.* *Chrys in comm. Ioa 11. 41.* *Mar. 7 34* *Ioan. 17. 1.* *Alex. ep. 1.* Cur non semper Christus suspexerit 1. 2.

3. cæremonia, cur. 1. 2.

rum actione orationem inchoemus; beneficij enim agnitio, ad noua beneficia est pręparatio: prima Dominicę orationis petitio est, *Sanctificetur nomen tuum*: id est, gratias tibi agimus Deus, pro vniuersis beneficijs tuis, atq; per ea creaturas oēs
3. excitari rogamus, vt te magnificent. *Tertio*: Vt præ omnibus
4. Dei gloriam, quæ omnibus est dignior, quæramus. *Quarto*: Vt benedictionem panibus impetraret. εὐχαριστεῖν enim, ac-
5. cipi potest, pro petitione. *Quinto*: Vt defectum nostræ gra-
6. tiarum actiònis, quæ & rara est, & languida, suppleret. *Sexto*: Vt cum proximo benefacimus, Deo gratias agamus. Magnū est, posse; maius vero est, velle proximi bonum: facultas enim, si voluntas desit, nocet: voluntati vero etsi facultas desit, præmium non deerit. Cum ergo voluntatem benefaciēdi alijs à Deo habes, magnum habes beneficium, paratum enim se ostēdit Deus, vt à te aliquid accipiat, illudque etiam hic cum fœnore reddat; siquidem *beatius est dare, quam accipere*. *Quarto*, Benedixit eis.

4. Cæremonia, cur

1. *Primo*: vt mysterium hic agi doceret, superat Dei benedictio, nostram: hæc.n. petit solum, illa vero largitur bona. Benedictio humana est, quam in persona Ecclesiæ Sacerdos aquæ, palmis, cineri, &c. impartitur: Diuina erat quam creaturis dedit Deus, cum dixit: *Crescite & multiplicamini*, & qua
Gene.1.22. *Matt. 26.* in cœna vltima panem & vinum, atque in Emaus panem
26. *Luc. 24.30* transubstantiauit. Quoties ergo Dei benedictionem audimus, magnum aliquid significatur.

2. *Secundo*, Vt ad eius exemplum, benedictionem sumptioni cibi præmittamus: sic Christianos testatur Tertullianus, ante orationem nō discubuisse: eosq; ob hoc Plinius, licet Ethnicus, laudat. Factū porro id, nō ob cibi immunditiā, vt hæretici; (de quibus Apostol. & Epiphanio, & August. teste.) sed,
Ter. de cor. mil. c. 4. & apol. c. 39. *Plin ep. ad Traianū.* *primo*, ne animū cibus lædat: post primi enim parentis inobedientiam, cibo maculam insedisse, quæ benedictione sanctificetur, testis est Apostolus. Narrat Gregor. monialem quā-
1. Tim. 4 3 *Epip. hær. 26. Aug. contra Adimā. c. 14* dam, dum sine præuio crucis signo, lactucæ folium ederet,
1. Tim. 4. 5 *Greg. 1. dial. c. 4.* à diabolo inuasam, qui S. Equitio vt egrederetur mandanti, *Ego*, ait, *quid feci? insidebam folio, & illa me manducauit*: vt discamus, cum Dei timore, & benedictione cibum sumere:

ex in-

ex inordinata enim comestione, peccata nascuntur. de quibus carmen

Præpropere, lautè, nimis ardenter, studiose.

& ebrietates, ineptiæ, saltationes, de quib. Scriptura ait: *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* atq; ita homo ad orationē, & verbū Dei fit somnolētus. De S. Bern. scribit Wilhelmus Abbas; quod ad cibū, tanquā carnificinam, ire solebat. *Secundo*, ne corp⁹ lędāt; vt puero Prophetarū cōtigit, qui exclamauit: *Mors in olla vir Dei.* Sæpe vel copia, vel alio cibi malo lædimur. De muliere Catholica narrat Greg. Turonēsis; q̄ cū à marito hæretico impetrasset facultatē, inuitādi Sacerdotē Catholicū, ille aliū inuitarit hæreticū, vt Catholicum rideret. Hæreticus cibū omnē Arriano ritu benedicit, Catholicus vero ab illo, tanquam dæmoni dicato, abstinet: donec sartago inferretur, in qua cibus erat, qui ex vuis, farina, dactylis, & oliuis cōponitur, quē cū hæreticus benedictū à se, festine deglutiret; nō attēto eius calore, præ angustia, cū ventris crepitu, animā emisit. ad q̄ Catholicus, *periyt memoria eius cū sonitu, & Dominus in æternū permanet.* vltus est se Dominus de inimico suo, factū est hoc in pœnā Arriani, qui cibū, maledictione; & se, peccato maculabat. De S. Sabino Canusino Episcopo narrat S. Gregor. missum ei ab Archidiacono suo vinū veneno infectū, vt in Episcopatū succederet, quod ille cruce signatū ebibit, ac per portitorē Diacono nuntiat. *Ego quidē vinū bibi: tu vero in Episcopatū nō succedes.* Diaconus vero, quasi ex Episcopi corpore venenū ad ipsum trāsisset, statim mortuus est. Necessaria itaq; est cibi benedictio, vt animus prius sit in cœlis, q̄ in patinis. petimus; n. *Primo*: Ne cibus noceat. *Secundo*, Ne peccemus comedēdo. *Tertio*: Ne tam voluptatē sectemur, q̄ necessitatē. *Quarto*: Vt ad Dei obsequiū roboremur: hic. n. comestionis scop⁹ est. Quæret hic aliquis An Christus semper cibo benedixerit, eū immutarit? Respōdeo Christū laudabilē Iudæorum vsum seruasse, qui semper cibo benedicebāt, & cōmunem formā, neq; semper immutasse cibū, atq; hæc causa est, cur quotidianæ benedictionis Euāgelia non meminerint. forte etiā aliquando alij, Christo præsente, cibis benedicebant, solet. n. hoc facere Paterfamilias.

Exo. 32. 6.

l. 1. vit. c. 4

4 Re. 4. 42

Gre. l. 1. de glor. Mart. c. 80

Psal. 9. 7.

Benedictio cibi cur.

lias. Quoties ergo Euangelistæ cibum à Christo benedictũ notant, mysterium innuunt, & benedictionem efficacem.

5. cæremonia Lact. l. 4. c. 15. I.

Quinto, Fregit panes ac pisces *frustatim*, ait Lactantius (nẽpe vt turbis commodius distribuerentur) & singulis virtutẽ dedit multiplicandi. Significat autem hæc fractio, *Primo*, Ecclesiæ vnitatem; omnes enim sicut hæc turba, eundem cibum participamus Sacramentorum, & verbi Diuini, nec pauperes minus quam Reges. Sicut ergo qui vnius familiæ sunt, concordiam seruant: sic & qui vnius Ecclesię. nam, vt

1. Co. 10. 17 Apost. ait, *vnus panis, vnum corpus, omnes sumus, qui de vno pane participamus.* Maior est Ecclesię, quam congregationum aliarum vnio: in his enim pax sola est, & amor: in illa vero idem in omnibus spiritus, idem corpus Christi; ita vt vere *vnum corpus*, & *vnus spiritus* simus. quoties Christi corpus digne participamus. Corpus autem hoc sumus post fractionem, id est, post factam Deo oblationem. etsi enim essentia Sacrificij non consistat in fractione, cum hæc, si hostia in calicẽ decidat, omitti possit, sed in consecratione, & sumptione Sacerdotis; adhibetur tamen fractio, quia separationem significat corporis, & sanguinis Christi: vnde & Scriptura per *fractionẽ*

Act. 2. 42. Matt. 26. 26. Luc. 24. 30 2. *panis*, hoc mysterium designat, quia scilicet sumitur in Sacrificio, in quo panis frangitur, ad imitationem Christi in cœna, & in Emaus. frangitur autem tunc nõ corpus Christi, sed sola species: sicut in passione non Diuinitas, sed sola patiebatur humanitas. *Secundo*, Significatur, nihil esse in mundo perfectum, quantacunq; sit eruditio, sanitas, potentia, & opes, semper aliquid deest. Regum quanto maior dignitas, tanto

Aug. s. 27. de verbis Domini. Ps. 16. 15. maiores molestiæ, debita, sollicitudines, pericula. quisque suos patimur manes: & vt minimũ mali, mortis acceleratiõnẽ, boni dilationẽ, timent. Plenitudinẽ futuro seculo seruat Deus, vbi, teste Augustino, satietas erit, sine alterius rei desiderio; de qua Dauid: *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua.*

6. cæremonia Lact. l. 14. c. 15. *Sexto*: Cibum fractum dat Christus discipulis, vt populo distribuant. Putant aliqui, Apostolos eum manibus tulisse, aliqui vero sportis, ne toties redirent, potuit tamen fieri, vt quædam fragmina primum acceperint, eisque distributis, redierint. Multiplicabatur enim cib⁹, teste Lactãtio, præcipuè

in

in manibus Christi,ac dein in manib. Apostolorũ,ait Chrysost. Monẽtur itaq; Ecclesiæ Prælati, ac doctores. *Primo*: vt ad populũ egrediãtur à Christo. i. ab oratione, & meditatione, ac dein, ad eundẽ redeãt. *Secundo*, vt quemq; ꝓ sua cõditione cibẽt. Tẽporalia sibi superflua erogẽt in pauperes; ad hoc. n. illa eis data, docet S. Vrbanus, & Bern. eos, qui id nõ faciunt, fures, latrones, ac sacrilegos vocat. Spiritualia vero .i. verbũ Dei, & Sacramenta, omni populo distribuãt; nec exspectẽt, donec ipsi ea exigãt, sed spõte populũ cohortẽtur, ad Sacramentorum, Pœnitentiæ præsertim, & Eucharistiæ, frequentationẽ sicut Apostoli Christũ, populo nõ quærenti eum annuntiarunt. Notandũ porro quod Christus dicitur populo panem distribuisse, cum tamen alij Euãgelistæ id dicant, ab ipso factum per Apostolos, vt discamus, verbum Dei, ac in primis Sacramẽta, (quæ Sacerdotes nobis, vt Apostolorum successores, distribuunt) ab ipsis tanquã à Christo, suscipere. Christus. n. per Sacerdotem, verba loquitur, & Sacramenta porrigit. De qua re accipe Chrysostomum. *Cũ Sacerdotẽ videris offerentẽ, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientẽ, sed Christi manum inuisibiliter extensam. sicuti .n. cum baptizaris, ipse te non baptizat, sed Deus est, qui caput tuum inuisibili potẽtia continet, & nec Angelus, nec Archangelus, nec vllus alius accedere, & tangere audet: ita nũc quoq; cũ Deus regenerat, ipsius est solius donũ, qui namq; sanctificat, atq; immutat panẽ, Christus est: quẽadmodum & in vltima sua cœna fecit.* Itẽ, *Nos ministri tantũ sumus, Christus est, qui operatur omnia.* Et alibi. *Sacra oblatio, siue eã Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadẽ est, quã dedit Christus ipse discipulis, quãq; Sacerdotes modo quoq; conficiũt.* Disce hinc *Primo*: Sacramentorũ, ac diuini verbi dispensationẽ, nõ cõpetere laicis; sed Apost. successorib. *Secundo*: Christũ etiã per Apostolorũ manus fecisse miracula; dum vt Chrysost. ait, in eis panes multiplicat: vt discamus, & hodie in Eucharistia, eum per Sacerdotes miracula operari. erat. n. præsens panũ multiplicatio, quasi pręparatio populi, ad instituẽdũ de Euch. paulò post sermonẽ. voluit ergo in Apost. manib. panes multiplicare, vt futuri postea orbis totius doctores, mutationẽ panis in corpus Christi, facili⁹ crederent: si .n. possit Christus ex paucis panibus producere

Chryſ. hõ. 50. in Mat.

Fractio quid.

1.

2.

Vrba ep. 1. ad oẽs ad fid. Bern. ep. 2. ad Fulco.

Chryſ. ho. 60. ad pop.

Hom. 83. in Matth.

Ho. 2. in 2. ad Timot.

Documenta.

1.

2.

Chryſ. hõ. 50. in Mat.

tam multos, siue per creationē, ex nihilo, siue per aeris circū-
stantis cōuersionem in panes, potest & panē in corpus suum
cōuertere: si naturæ tantā vim indidit, vt panis trāseat in car-
Nyss. or. de Euch. nem hominis aliti, ac vinū in sanguinem (ait Nyssen.) potest
Amb. l. de iis qui init. c. 9. eandem indere suo verbo: maior .n. diuinæ benedictionis
est virtus, q̄ naturæ; vt docet Ambr. Tene maiorum hac in re
fidem, quæ nō minorem Christi potentiā, ac amorem, in hoc
Hæreticorū nostri tēporis malitia Sacramento credidit, q̄ Apostoli in panum multiplicatione,
sunt experti. Vincunt Capharnaitarum impietatem nostri
temporis hæretici, qui corporis Christi in Eucharistia verita-
tem negāt, ac mysterium tā augustum impijs cōuitijs ꝓscin-
dunt, illi .n. potentiam eius norāt, cuius hoc miraculo vide-
rant experientiam, & verba intelligebant: hi vero & posse id
Christū, & voluisse negant, Deum nihil putant posse, ꝙ ipsi
Matt. 3. 9. Luc. 18. 25 non capiant: immemores, eum, vt S. Ioan. dixit, etiā *de lapidi-*
bus Abrahæ filios suscitare posse, ac *camelum per foramen acus*, vt
Christus dixit, traducere. quod nec factū vnquā, nec ab ho-
mine intelligi potest. Detrahunt præterea charitati Christi,
perinde ac si nobis se dare noluerit, qui dixit: *Ego vobiscū sum,*
Mat. 28. 20 *vsque ad consumationem sæculi.* Maior est sponsi in sponsam, si,
cum possit, ei semper adsit, q̄ sibi absit; dilectio. deniq; Chri-
stum statuunt, infensissimum Ecclesiæ inimicum: verba .n. e-
ius de sui in Eucharistia præsentia; tum, in cœna; tum, post
Mat. 26. 26. Ioan. 6. hoc miraculum apud Capharnaitas, tam fuere euidentia, vt
iam à mille quingentis, & amplius annis, Ecclesia Christum
in Eucharistia veneretur, ceu Deum; quæ si idololatria est,
per Christum impedita fuit tot seculis hominum salus, sine
fide enim saluari, & *Deo placere impossibile*, Sta cum Apostolis,
Ioan. 3 18. Hebr. 11. 6. Ioan. 6. 68. Ps. 44. 17. atque illud Petri repete: *Domine quo ibimus, verba vitæ æternæ ha-*
bes. Humilem eorum misericordiam imitare, qui licet Prin-
cipes fuerint *super omnem terram*; vt loquitur Dauid: tamen
non recusarunt pauperum mensæ ministrare. tu quoq; pau-
peres in Xenodochijs, aut vbiuis visita, ac iuua: magnum e-
nim, & Apostolicum id est.

XIV. *Similiter & de piscibus quantum volebant.* Quod panibus, idem
& piscib. Christus fecit, quos probabile assos fuisse, tanquam
itineri aptiores. Nusquā legitur Christus carnes comedisse,

exce-

excepto agno paſchali: communior ipſi, diſcipuliſque eius piſcis erat. vnde poſt reſurrectionem dederunt ei *partem piſcis aſſi, & fauum mellis*: inueneruntq; *piſcē prunis ſuperpoſitum*. Non quod carnium eſum vetet; ſed vt exemplo ſuo doceat, non peccare eos, qui vel certis, (vt Chriſtiani oēs) vel omnib. diebus (vt multi Religioſi) à carnibus abſtinent. ſiue ex peculiari pietate, ad ſubiectionem carnis; ſiue ex voto, vt Carthuſiani, Clariſſæ, & Minimi, quos fundauit S. Franciſcus de Paula, qui ſine ouis, ac lacticinijs viuunt. Quem viuendi ritū multis Deus miraculis ꝓbauit. Scribit de S. Honorato Abbate S. Gregorius, quod à teneris abſtinentiā carnium eſu coluerit, cumq; in magno aliquādo conuiuio, parentes ob hoc indignati, illi inſultantes, dicerent: vnde tibi in his montibus piſces? noſtro & omnium cibo vtere, ille patienter ſuſtinuit; ſed ecce dum famulus ex puteo aquā haurit, piſcem educit, quo famulum ſuum Deus ab aliorum irriſione præſeruauit. Teſtātur de aliquo ſui ordinis Monaſterio Carthuſiani, fuiſſe illic ægrum à Medicis deſperatum, niſi carnē ederet. Prior inter duo, votum ſcil. abſtinentiæ, & infirmi neceſſitatem, conſtrictus: tandem ex Medici præſcripto, pullum aſſari iubet, ac infirmo portari. Tunc ille *Domine*, ait, *tu noſti, quia cibū hunc ego mea ſponte non requiro: proin ſi maieſtati tuæ non placet, hac in ordine noſtro nouitas, & infirmorum ſcandalum, obſecro vt pullus ille auolet.* & ſtatim, perinde ac ſi vixiſſet, auolauit. Quo placere ſibi Carthuſianorum abſtinentiam Deus manifeſtauit, nec frangenda vota, ob mortis vitandæ prætextū: alia enim ei media ſanitatis ſuppetunt, ac nimia eſt Medicorum, in ciborum vetitorum præſcriptione facilitas, cuius illi Deo rationem dabunt. Ex ſcriptura patet, quantum Deo Rechabitæ placuerint, ob ſeruatā, ex patris ſui Ionadab præcepto, vini abſtinentiā. Ionathæ vero inobedientia, qui contra patris mandatum mel guſtarat, Deum offendit. Non minorem debemus Eccleſiæ (quæ, vt Apoſtol. ait, *mater noſtra* eſt) & à Deo authoritatem mandandi vtilia, ac vetandi noxia ſaluti, habet; q̄ parentibus carnalibus obedientiā, cum de ea dictū ſit; *Qui Eccleſiā nō audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*: nēpe, excōmunicatus, q̄ pœna inobedientiæ erga parentes carna-

Lu6.24. 42.

Ioan.21.9.

Abſtinentia ciborū

Gre.1.dial. c.1.

In Chronicis Carthu.

Iere.35.8.

1.Re.14.43

Gal.4,26.

Mat.18.17.

Aug 2. de moribus Man. c.14

les statuta non legitur. Quoties ergo illa certis diebus, certos vetat cibos; siue vt caro dometur, siue sanitatis causſa, (quo & quadragesimæ ieiunium conducere docet S.Leo) siue domum, ne frater scandalizetur, obedire oportet. Fuit

Leo ſ.16. Ro,14.15.

olim Hildesij in terra Brunsvvicensi, nobilis quidam, qui non obstante aliorum dissuasione, feria sexta maioris hebdomadæ, ouum comedere voluit; sed dum illud putat, ac diuidere vult, in lapidem conuersum inuenit, quem ego illic in S. Godardi Monasterio vidi.

De potu hic nihil.

Non legitur Christus populo huic potum dedisse, sed putant aliqui fluxisse illic fontes; alij vero cibi datum, vt potus vicem suppleret, quo perfectior esset Eucharistiæ figura, in qua edimus simul, & bibimus: vnde cum eodem hoc capite dixisset Christus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: paulò post subdit; *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, significans, & sub specie panis, nos sanguinem bibere: quia tantum est sub vnica, quantum sub vtraque specie. Vnde acquiescunt Catholici omnes legitimo Ecclesiæ statuto, vt Sacerdotes, quia in Sacrificio mortem Domini repræsentant, calice vtantur: ei vero, qui non sacrificant, sepulturam repræsentant, quod per panis speciem cum humidus non sit, adeoq; corpus significet exsuccum, fit: dum in se, quasi sepulchro, Dominum recipiunt; plus de gratia, quam significatione sollicitati, sufficit eis quod Christum accipiant, vt fides docet, sub vnica specie integrum: corpus nempe, & animam, carnem, & sanguinem, diuinam, & humanam naturam, vt proin sub vtraque specie non possint amplius aliquid accipere: sicut nec plus in duabus accipitur hostijs, quam vna. & idem homo est, qui vel togam solam, cum hac pallium habet.

Ioan.6.53.

Nota Quod omnes comedant, quantum volebant: vt maior eluceat miraculi præstantia; dum nihilominus tot cophini fragmentorum superant; & Eucharistiæ beneficium adumbretur. De manna scribit Sapiens: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum Domine, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore: omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam quam in fi-*

Sap.16.20

lios

lios habes, oſtendebas, & deſeruiens vniuſcuiusq; voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur. Etſi enim naturaliter *ſimile cũ mel-* *Exo.16.31.*
le ſaporem haberet, vt teſtatur Moyſes; quiſque tamen, pro arbitrio ſuo, quod optabat guſtabat: vt Euchariſtiæ adumbraretur conditio, quæ cum fontem dulcedinis contineat infinitum, omne in ſe delectamentum habet. Vis animi lætitiam & quietem, cognitionem Dei, deteſtationem peccati, charitatem, &c. huc accede, & pro arbitrio, id eſt, pro diſpoſitione inuenies, ſicuti pro vrnæ capacitate, aquam exputeo hauris: anima deſiderio fit capax, tantoque plus accipit, quanto deſiderat magis. ſicuti qui calidioris eſt ſtomachi, plus comedit. Accedens ergo hanc menſam, deſiderij famẽ acue, ad peccatorum cognitionem: ſicuti enim qui infirmũ ſe ſcit, ſanitatem optat ac magna alacritate remedijs vtitur, ſi ex eis illam certam ſperat: ſic qui vitia, & animi morbos nouit, cum in Euchariſtia certum ſciat antidotum, eius deſiderio accenditur, & quod optat, conſequitur.

XV.

Vt autem impleti ſunt, dicit Diſcipulis ſuis. Tres alij Euangeliſtæ habent; *Manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt.* Geſtus manducantium cogita, quales fuerint: neque enim veroſimile, eos futilia contuliſſe, aut vana: ſed ſtupuiſſe miraculum, cum ſcirent præter quinque panes, & duos piſciculos, nihil fuiſſe quod manducarent. Compoſitis quoque vſos moribus, ob Chriſti præſentiam, probabile eſt, vt & nos ex eis, ſeruandos in menſa geſtus diſcamus. Docet Greg. torqueri in inferno epulonis linguam, ob nimias ad menſam fabulas. Chriſtum prandij inſpectorem cogita verborum teſtem, morum iudicem, cordis cognitorem, ac intentionis ob quam comedis. monet Apoſt. vt *ſiue manducamus, ſiue bibimus, omnia ad gloriam Dei fiant*: id eſt, ait Baſilius, non ad voluptatem, vel ſatietatem, ſed vt roboremur ad implendam legem Dei, ac proin decet, vt dum Dei beneficia ſumimus, nihil ipſi contrarium dicamus. Docebat ſuas Hiero. vt ad menſam aliquid pium legerent. de quo ritu etiam Baſil. *Maiore multo*, ait, *cum delectatione, quam cũ quanta edimus, aut bibimus, ea audire debemus, quæ ad menſam accumbentib. nobis leguntur: idq; ne mens noſtra ad corporis queat diſtrahi voluptates, ſed maiorẽ in modum ſe in verbis Domini oblectet.*

Greg. hom. 40. in Euang. & 12. Mor. c. 24.
1. Co. 10. 31
Baſ. reg. breu. 196.
Hier. ep. ad Euſtoc. & Marc.
Baſ. reg. breu. 180

Poss. c. 22. vit. Trid. sess. 22. Bas. ep. 1. ad Nazi. Satiati hi cur. 1.

Solet August. vel lectionem admittere, vel Theologicam disputationem, teste Possidio. quod & Episcopos oēs monet Concilium Trident. si vero lectio deest, meditatio, ait Basil. adhibeatur; tum, ex cibis; tum, ex corporū nostrorum sumpta conditione, cū Deum videmus nostræ valetudinis causa, cibos distinxisse. Fuere etiā homines hi satiati: vt discamus. *Primo*, quod non parce, sed liberaliter eos Christus cibarit. *Secundo*, Dei munera multò melius, quā mundi satiare. Homines. n. sæculares nunquam ita rebus suis contenti sunt, qn plura appetant: pij vero & qui Deum timent, facile ijs, quæ Deus donat, contenti viuunt; iuxta illud Salomonis: *Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis.*

Prou. 13. 25 Mensæ Dei tres.

Habet Deus tres diuersas mensas, in quib. diuersimode quis reficitur, satiaturque: quemadmodum totidem fere mensæ in aulis Magnatum Principumq; videntur: *prima* famulorū est & famularum, quibus etiam incumbit de suo feles canesque alere. *Altera* pro Consiliarijs, ac Nobilibus. *Tertia*, pro Principe eiusque vxore, liberis, cognatis. Qui *primæ* accumbunt, non tam largè prandent: qui *secundæ* largè quidem; sed non tam splendide, quam qui *tertiæ*, quibus pro libitu affluūt omnia. *Infima* Dei mensa est hic, vbi corporeæ satisfacimus necessitati, largiente Deo vnicuique pro status sui cōditione: non solum Christianis, sed & ipsis quoque infidelibus, quibus vitæ alimenta, & alia quæcunq; habent, elargitur. Ille *dat escam omni carni*, imo & bestijs terræ, vti Dauid ait: *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* In hac mensa, rudi alimentorum genere reficimur, quicquid etenim corporeum est, crassum, rudeque est. Huic assidere mēsæ non semper possumus, quin satiati discedamus, & redeūte fame eandem repetamus.

1. 2. 3. Ps. 135. 25. Ps. 146. 9.

Isa. 25. 6. Eze. 34. 14 Isa. 12. 3.

Altera mensa animæ parata est de qua Esaias; *& faciet Dominus exercituum in monte hoc*, in sancta, scilicet Ecclesia, *conuiuium pinguium* de cibis nimirum adipe diffluentibus, *conuiuium pinguium medullatorum.* Et apud Ezechielem, *Ego*, inquit Dominus, *in pascuis vberrimis, ac pinguibus pascam oues meas*; vbi hauriamus *aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris*, vti Esaias loquitur. Huius itaque mensæ fercula mul-

to

to ſunt cõſtantiora, quippe quæ animam verbo Dei pijs meditationibus, orationibus, & Sacramentorũ participatione ſatiant, &c. cuius *bonum & pulchrum*, vt Zacharias ait, *frumentũ electorum & vinum germinans virgines*, venerabili ſacri altaris ſacramẽtum, ſub ſpecie panis, ac vini Chriſti corpus cõtinens, ac ſanguinem, cuius ſumptione impura hominum corda à mundanarum voluptatũ illecebris abſtracta, ad virginitatis amorem inflammantur. Ad hanc menſam ſemper licet aſſidere: & modo ex hoc modo ex illo veſci, orando, meditãdo, legendo, bonum operando. Homo enim virtuti deditus, ex quauis re ſpiritalem haurit delectationem, animæque pabulum. Nam vt Salomon ait: *nõ contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit*: quippe, qui ex rebus omnibus ſuũ colligit emolumentum: ſciens, *diligentibus Deum omnia cooperari bonũ*, ſiue proſpera, ſiue aduerſa ſint illa. Quicunque ita huic menſæ aſſident, atq; in illa epulantur, in magna ſunt apud Deum æſtimatione, etiam ſi mundo deſpectui habeãtur. Reficiuntur etenim in hac menſa pauperculi, religioſi, inopes, viduę, egeni opifices, ac famuli alijque conſimiles tenuioris fortunę homines, precum deuotarum ſtudio ſedulo incumbẽtes, Miſſæ ſacrificium quotidie audientes, octauo quolibet die Euchariſtiã frequentantes, ſingulis Dominicis, ac feſtiuis verbũ Dei ſtudioſe audientes, effectuique mandantes, imo ne diẽ quidem vnũ, ſine melioris vitæ ꝓpoſito tranſigentes. Qui quidẽ ſecundũ animã multo amplius ſatiantur, q̃ illi primi, ratione corporis. Licet plena refectio, in *tertia* cæleſtis regni menſa cõtingat, de qua Chriſtus, *ego* inquit, *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Hic ſanctiſſima Trinitas de eodẽ reficitur ferculo, & omnes qui illius redduntur participes, filij ſunt Dei. Huius menſæ caput Chriſtus occupat, vna cũ ſanctiſſima ſua parente: deinde Angeli, alijque beatorum ſpiritus, quiſq; ꝓ dignitatis ſuæ, q̃ hic promeruit, ratione. Itaque ꝓ viribus adnitere, vt huius pane ſatieris, de quo Phariſęus ille olim: *beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Cuius felicitatem vt conſequamur, non debemus tergiuerſari, aut difficiles nos præbere, quando ad ſecundam animarum menſam inuitamur.

Zach. 9 17

Prou 12.21

Rom. 8 28.

Luc. 22.29

Luc. 14.15.

XVI. *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Omnis creatura Dei bona est, nobisque in vsum cõcessa, vt de ea rationem aliquando reddamus. Quantumcunque opulentus quis sit, facultatum tamen suarum non tam absolute est Dominus, inquit Chrysostomus, quin veluti œconomus, ac dispẽsator reddet rationem: vt sedulo cuiq; videndum sit, ne quid depereat, quod seuere Deus exiget. Nos vero multis, prô dolor, modis, diuinę largitatis munera perdimus. *Primo*, quando ex negligentia ea corrumpi permittimus, quemadmodum famulæ, quæ paruam cibariorum curam gerentes, perire ea sinunt.

Chrys ho. 34. ad pop.

Dona Dei negligũt. 1.

Vnde pauperibus tempestiue, etiam Dominis inscijs, distribuenda fuissent, maxime, quando ipsi ijs non egent: ac proinde verisimile sit, ipsis, vti par est, placiturũ, vt quæ paulo post peritura sunt, inquit Basilius, in pauperum vsum erogentur: cum neque ipsi inde detrimẽtum sentiant, & pauperum simul inopiæ hoc modo succurratur: idque magno cum dantis emolumento, quando scilicet ex puro Dei amore fit. Produnt res gestæ B. Bertulphi, iussũ Folcardi Abbatis conscriptæ, (fuit autem Bertulphus ipse quoque Abbas S. Petri apud Gandauenses, circa annum Domini 1070.) quod in seruitio Wamberti Comitis adhuc secularis existens, largas ex Domini sui bonis eleemosynas pauperibus dederit, maxime vero de ciborum reliquijs, adeo vt ex hoc vehementer Comitis facultates augerentur: cuius pietatis studio alij domestici inuidẽtes, detulere illum apud Dominum, quasi domesticæ rei dissipatorem. Vnde cum vespertino quodam tẽpore, nonnihil panis, casei, ac vini in vasculo ad quendam deferret pauperem, adfuere mox æmuli, qui Bertulphum apud Comitem calumniabantur, ne quid de cætero eius fidei cõmitteret. Comes accitum ad se Bertulphum percunctatur, quid ferat? Ad quem ille, *in vase*, inquit, *hoc fictili aquam habeo, quam ad ignem calefacturus sum.* Quod cum arripuisset, gustauit; & ecce vinum in aquam tam diu diuinitus conuersum fuit, donec ad pauperem esset delatum. Volebat namque Deus præclarum hoc famuli sui, bene de pauperibus merendi stu-

Apud Sur. 5. Febr. c. 9

di ſtudium, inſigni aliquo comprobare miraculo. Verum nolim ego vllam hinc famulabus anſam dare, vt ſine dominorum, ac dominarum ſuarum ſcitu, permiſſuve, omnia paſſim, ſuo arbitratu, diſtribuant, ſed id ſolum moneo, vt ciborum reliquias in pauperes erogent, antequam ſitu pereant, ſperantes haudquaquam hero, aut heræ diſplicaturum.

Secundo, Corrumpuntur Dei creaturæ, quando præ auaritia in longum conſeruantur tempus: de quo ita cum auaris expoſtulat Iacobus: *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis.* Hinc Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha, refert in monaſterio Sancti Theodoſij, moris fuiſſe. vt in die Dominicæ cœnæ, annuatim pauperibus certa tritici, olei, mellis, ac vini menſura diſtribueretur. Cum autem quodam tempore, magna eſſet frumenti caritas, rogauere Abbatem monachi, vt ſolitam differret, vel ſaltem imminueret tritici menſuram, ne forte ipſi ob frumenti inopiam, fame periclitarentur. Ille etſi ægrè, tamen ad eorum inſtantiam id fieri permiſit. Verum poſt Paſcha, is qui horreis præerat, reperit triticum omne germinaſſe, adeo vt Abbas fratribus diceret: *Ecce exiguo frumento potuiſſemus inopum ſuccurrere inopiæ, nunc vero quinque fere millia modiorum tritici tenacitate noſtra perdidimus. Quid lucrati ſumus filij? Quantum nobis ipſis nocuimus?* Quin imo memini ego ipſe, ante annos plus minus viginti, Herbipoli in Franconia frumentum auari cuiuſdam hominis, in muſcas transformatum, ex nauibus alio auolaſſe: quarum corpora, frumenti præ ſe ſpeciem, coloremque ferebant, erantque & alis, & pedibus oblongioribus præditæ, diuina vltione auaritiam caſtigante. 2. *Iacob. 5. 2. Sophr. in prat. c. 85.*

Tertio, per abuſum creaturæ Dei perduntur: quemadmodum prodigus ille cum meretricibus paternam perdidit ſubſtantiam, & diues epulo menſæ ſuæ reliquias, canum 3. *Luc. 15. 16. Luc. 16.*

vora-

Basil.ho.7. in diuites auaros.

voracitati proijci maluit, quam vt famelicum satiaret. Argentum, aurum, tapetes insuper purpurei, aliaque pretiosa suppellex, prodigaliter nimis corpori impēditur, in emptionem equorum, rhedarum, ferculorum, aliarumque carnaliū voluptatum, non in finem in quem à Deo donata sunt. De quo Chrysostomus: *Si orphanorum tutelas procurandas haberes, illisque inedia periclitantibus, tu illorum rebus lautissime viueres, mille profecto homines accusatores haberes, & à legibus statuta supplicia non euaderes, cum autem diuitias Christi receperis, nō putas frustra eas cōsumendo, pœnas te aliquando daturum?* Itaque sollicitus esto vt facultates tuas tibi à Deo, in pauperum vsum concessas, vt decet expendas.

Chrys. homil. 49. in Matth.

4. *Quarto*, Cum per nimiā cupiditatem, etiam illa quæ possidemus, amittimus. Instar Æsopici canis, qui aquā traijciens, ore carnis frustum tenebat, cuius in aquis vmbrā videns, dum eandem apprehendere voluit, amissa prēda, simul vmbram amisit. Sæpe non contenti mediocri, q̄ Deus concessit, lucro, maius debito appetimus. Legi ante annos plus minus 20. in celeberrimo Imperiali Cœnobio Corbeiensi, q̄ in Westphalia est, ad Weseram, quotannis missos illuc diuinitus duos ceruos, in peregrinorum refectionem, totidemque ex alluente fluuio sturiones, in vsum Monachorum. Solebat vero Abbas & ceruum, & sturionē vnicū retinere, altero cum benedictione demisso: sed cum aliquando Abbatis cuiusdam auaritia vtrumq; retinuisset, cessauit miraculum. Pete, sed cum modestia, & citra festinationem: *substantia*, enim, *festinata*, ait Sapiēs, *minuetur*. & in prouerbio est *sapientem fallit auarus*.

Prou. 13. 11 & c. 20. 21

5. *Quinto*, cum diuina vltione ea nobis eripiuntur, quemadmodum accidit hortulano, de quo in vitis patrum legimus, quod quicquid acquirebat, pauperibus distribuerit, seruatis sibi necessarijs. Qui cum diabolo instigante, sibi cuperet colligeret thesaurum, quo subueniret senectuti, ab eleemosynis cessabat. Verum nō longe post, in tantā incidit ægritudinem, vt omnes pecunias, in medicos erogarit. Crus namque adeo putere cepit, vt Chirurgi ominarētur mortem ei, nisi crus abscaretur, ille facile aduertens, hoc diuinæ vltionis flagellū, q̄ à dandis eleemosynis manus abstraxisset, veniam à Deo deprecatur, emendationem pollici-

Parte 2. l. quod Monachus nihil possidere debeat.

tus,

tus, neque frustra, adfuit. n. Angelus interrogãs quo euanuissent pecuniæ, tanto labore congestæ, quidue iam spei haberet ad quod *peccaui*, inquit, *Domine ignosce mihi, obsecro.* Angelus vero cõtactu suo mox crus sanans, iussit vt horti culturã resumeret, ꝙ & fecit, adeo vt altera die Chirurgus qui pedẽ amputaturus venerat, sanũ in horto fodientem repererit. sæpe miramur, cur hanc, vel illam ægritudinem inciderimus, sed non cogitamus iratum Deum, quia lucris nostris nimio sumus intenti. Interdũ ne quidem festis diebus quiescimus, hinc fit vt morbo deiecti exiguum illud lucrũ illicite acquisitum, medicis demus nec quicquam possimus lucrari. Itaque noli nimiũ esse solicitus, cogita Deum viuere, qui te & mundum regit, nec adijcias animum, ad iniqua lucra, ne is cui *cura est de nobis*, vti Petrus ait, sua te ope destituat, qui alias, vt Paulus inquit, promisit se nullatenus nos derelicturum. 1. *Pet* 5. 7. *Heb.* 13 5.

XVI.

Collegerunt ergo, & impleuerunt 12. *cophinos fragmentorum, ex* 5. *panibus hordaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerant.* De hoc Christi miraculo, olim Sibylla Lactantio teste cecinerat; *Lact. li.* 4. *c.* 15.

Placabit fluctus, in desertisque locorum
Large panibus ex quinis, & pisce marino,
Millia quinque virum satiabit; relliquiæque
Bis senos Cophinos implebunt, virgines almæ.

Verisimile est Cophinos hos aliunde acceptos, maxime à mulieribus, quæ frequẽtes in hac turba, solent sportulas brachijs inferere, quodque commedentium nonnulli, non cibo solum sunt refecti, sed inde etiam nonnulla, secũ asportauerint in alteram diem, aut familiæ leuamẽ, aut miraculi (cuius oculati extiterant testes) perpetuam memoriam, ꝙ & Apostoli forsan fecere, nam testis est Nicephorus Constantinum primum Christiani nominis Imp. Cõstantinopoli insignem erexisse columnam, eique duodecim hos, cophinos cum panum reliquijs, & alias 7. sportas quarum Matthęus meminit, inseruisse. Voluit Christus hos 12. cõpleri Cophinos, *Primo*, vt miraculi veritas esset euidentior, nempe quod tãta hominum multitudo vere, ac realiter, non autem imaginarie, aut phantastice, vt inquit Chrys. fuisset refecta, quemadmodũ sagis

Niceph. l. 7. *c.* 49. *Matth.* 14 37.

Cur impleti cophini.

1. *Chrys. hó.* 41. *in Ioã.* & 50. *in Matth.*

fagis nonnunquam, illud contingit à dæmone, putantibus se large genio indulsisse, & nesciunt se vana illusione circumuctos. Impostor ille, sibi subditis, illa quæ in rerũ natura nusquã sunt, imo sordes, ligniq; fragmenta, specie panis, obtrudit. Nõ nego tamẽ quin, quãdo cõuentiones agũt, vero cibo potuq; eos subinde reficiat, quẽ magicis artibus, clanculũ ex

2. *Exod.* 16. aliorũ cellis coguntur suffurari. *Secundo*, vt se Moyse, cęteriſq; præstantiorẽ euinceret. Moyses panem illum cœlestem, suis

3. *Reg.* 17. 14. manib⁹ filijs Israel nõ porrexerat, qui Angelorũ opera cęlit⁹ descendẽs, in diẽ alterũ nõ permanebat, Elias lecythũ quidẽ

4. *Reg.* 43. olei, & hydrię farinulã multiplicauit, sed nõ nisi tribus. Elisæus paucis quidẽ panibus 100. homines cibauit, sed nõ tam frequentem numerum, nec cum tot analectis. *Tertio*, vt discipulos fide, vti Chrys. ait, confirmaret, quibus postea de pane

3. *Chrys. ho.* 41. *in Ioã.* *Matt.* 16 9 sollicitis; miraculi huius recordatio magnam spem addidit, itaq; Sibylla recte ait, *in spe multorũ*, impletos cophinos, vt discerem⁹, spẽ oẽm in Deũ defigere, valentẽ ac volentẽ, nostræ succurrere inopiæ. 12. vero corbes abundarũt, inquit Chrys.

Cur 12. Cophini. vt Iudas qui inter 12. vnus erat, etiam baiularet, corbẽ abiecta omni infidelitate, in qua, post editum hoc miraculũ, per-

Chrys. ho. 50. *in Mat.* seuerauit. *Quarto*, vt diuitias suæ bonitatis nobis ostenderet,

4. vtpote, plus largiens, quã opus habeamus. Mundus plurima affectans, parce licitatur, affluenter omnia desiderãs tenaciter largitur. Hinc mimus quidam, vti facete admodum Aug.

Aug. 13. *Trin. c.* 3. narrat, cum se promisisset in theatro, quid quisq; tacite secũ cogitaret, publice edicturum, ingentem sibi hominum cõciuit concursum, qui eum magna expectatione suspensi ibidẽ in theatro cõsisterent, omnibus silentibus, altiori voce pro-

Psal. 20. 4. clamauit. *Vili vultis emere, & care semper vendere.* Christus pauca à nobis exigit, & amplissima tribuit. Rogabat olim Dauid, ne in man⁹ hostis sui Saul incideret: & ecce, obtinuit pter hæc, etiã longęuã à Deo vitã. Vnde ęquũ esset, & ob tantã bonitatem, ei grates, laudesq; decãtaremus, qui etsi nobis nihil penitus debeat, adfluenter tamen elargitur omnia. *Quinto*, vt

5. *Cyril.* 3. *in Ioan. c.* 18. eleemosynæ commendaret virtutem, quæ vti Cyrillus ait, semper plus à Deo consequitur, quam exponit. Hinc vtiliter

Prou 3 9. Salomon monet, vt *de substantia nostra, ac frugum omnium primitijs*,

tijs, Dominum honoremus, vt & horrea noſtra impleantur ſaturitate, & vino torcularia noſtra redundent, qui namque *miſeretur pauperis, fœneratur Domino, & qui ſeminat in benedictionibus*, hoc eſt liberali manu, *de benedictionibus, & metet*, vnde Baſilius. *Imitare* ait, *Sareptanam mulierculam quæ quidquid ad manum habuit, Eliæ eſt elargita: dicens*, viuit Dominus quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt. farinæ in hydria, & paululũ olei in lecytho. *Tu quoque ſimiliter olei lecythum gratia Dei refertũ habebis, nec minus farinæ hydriam continuo plenam, ſi ex eo quod habes dederis, qui etenim dando diuina confiduut gratiæ, puteos imitãtur, qui continuo exhauſti minime deficiunt, ſed paulo copioſiores euadunt, Si eges, Deo diuiti fac fœneres: crede inquam illi, qui quod adflicto, datur, perpetuo quaſi ſuæ perſonæ datum amplectitur & de ſuo reddit, dignus vbique fideiuſſor, terra marique apertos habens theſauros, Quod ſi nauigas, mutuum repeteres in medio maris, ſortem cũ fœnore capies, magnificus enim eſt in dando fœnore*, Refert Cæſarius Heiſterbachenſis, ſuo tempore cũ Anno Domini 1197. magna fuiſſet annonæ caritas, repertos interdum, ante Monaſterij ſui fores, vno die pauperes 1500. quibus de pane, potagio, ac carnibus benigne prouidebatur, idque fere quotidie, cumque piſtorem cõuentus, monerent, ne panes tam magnos pro pauperibus pinſeret. ille, *credite*, inquit, *mihi cum maſſa farinæ ſubacta eſt, & necdum furno impoſita, parua eſt, verum cum camino imponitur, mirabili modo accreſcit.* Quin & hoc addebat, ſe euidenter aduertere, quod etiam ipſa farina, adhuc ſaccis incluſa magnum mihi incrementum ſumeret, Deus namque largientibus, largiebatur: adeo vt etiamſi hæc monachorum liberalitas ad meſſem duraret, plus tamen rebus ipſorũ accederet quã decederet. eodẽ anno Andreas Spirenſis, celeberrimi nominis vir, pecunias quas in aula Frederici Imperat. & in Græcia, multis, annis cõgregauerat, impendit in emptionem ampliſſimi cuiuſdã predij, illudq; Heiſterbacenſi Monaſterio liberaliter aſſignauit. Simili beneficẽtię erga pauperes ſtudio eadẽ illa tempeſtate, excelluere Hemmenrodenſes Religioſi, 4. milliaribus Treuiris diſſiti, quibus Prępoſitus, S. Simeonis circa ducentas argenti libras, teſtamento legauit. Itaque ad horum

Prou. 19. 19.

Baſ. ho 8. in diuites poſt med.

Cæſar. l 4. c. 65.

Ibid. c. 66.

horum munificentiã, liberaliter tua egenis impartite, *Hilarẽ enim* vt Sapiens ait, *datorẽ diligit Deus*: vnde illa ſecundũ Chryſ. optima eſt eleemoſyna, qua nõ parum, ſed multũ largimur, non tenaciter, ſed liberaliter, inde namque cõtingit, vt Deus hominibus pecuniarum cõtemnendarum donum (hoc autem quis neget eſſe magnũ?) largiatur, & poſtea ineffabilem quoque cæleſtis regni gloriam adijciet, quippe cum ſtudium de pauperibus bene merendi, iſtius palatij excubitori, ac ianitori probe ſit cognitum.

Eccl 35.11. *Chryſ ho.* 36. & 37. *ad pop.*

Anſelm. Matth. 14 *Aug. tra.* 24. *in loã.*

B. Anſelmus ex B. Auguſtino myſticum duodecim ſportarum adſignat ſenſum, nimirum nonnulla in Chriſti doctrina ab omnibus paſſim intelligi, nonnulla plebeiorũ captum excedere, quemadmodum de Pauli epiſtolis teſtatur Petrus, in quibus *difficilia quædam intellectu* eſſe dicit, *quæ indocti, inſtabiles ſq; deprauant*, quorũ cura Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris incumbit qui ad erudiendam in fide plebem, ſunt inſtituti, vt plurimum hallucinentur, qui ſacrarũ ſcripturarũ ſenſum, omnibus in locis intellectu facilẽ ementientes, cuiuis facultatem faciunt, eas p arbitrio exponendi, illudque eruendi ꝙ primo intuitu ipſorũ animis adlubeſcit: reijciẽdi vero quicquid diſplicet, etſi vniuerſalis Catholica Eccleſia per vniuerſum terrarum orbem, 1500. annorum ſpatio, aliud tenuiſſet.

2. *Pet.* 3.16

XVIII. *Chryſ. ho.* 41. *in loã.*

Illi ergo homines cum vidiſſent, quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt, vere Propheta, qui venturus eſt in mundum. Chryſ. hoc loco exclamat: *O incredibilem gulæ auiditatem, maiora his miracula, & quidem innumera, operatus eſt Ieſus. neq; hæc vnquam cõfeßi ſunt niſi exaturati, iam non amplius calumniantur, non Sabbathi transgreßionẽ curant, non zelo Dei mouentur, omnes quippe has curas pleno ventre abiecerunt. Propheta erat, Regem volebãt*, &c. ſic & nos Deũ agnoſcimus, eumque laudamus, cũ proſpera largitur, quæ ſi deſint, indignamur. Iſraëlitarũ inſtar, qui ſubmerſo Pharaone, laudem Deo cecinere: cum vero panis, aquæ carniſque inopia laborarent, murmurarunt, Itaque potius Dei munera cordi nobis ſunt, q̃ Deus. In omnibus quæcũque immittit, ſiue proſpera illa ſint, ſiue aduerſa, ſemper illum laudare ſemper prędicare oportet, cum nihil aliud quam bonum ſit, quod ab illo prouenit. *Cũ etenim in hac vita, ea quæ nolumus patimur*

Exod. 15.1. *Exod.* 16. & 17. *Num.* 20. & 11. *Li.* 2. *mor. c.* 18.

timur, inquit Greg. *necesse est, vt ad eum, qui iniustum velle nihil potest, studia nostræ voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonnisi iustum placet.* Si igitur iusta Deo placere scimus, pati autē nulla nisi quæ Deo placuerint possimus: Iusta sūt cuncta, quæ patimur, & valde iniustum est, si de iusta passione murmuramus. Itaque cum iusto Iob ad omnia, ista vsurpare debemus, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicuti Domino placuit, ita factum est.* Iob. 1. 22. nō minor virtus in aduersis requiritur, quam prosperis, immo illa interdum vtiliora sunt, quippe & Iob, & Tobiā ad tantā celebritatē euexere, & sanctissimi Martyres, quia varias hic, exantlarunt ærūnas, ideo Cōfessoribus prælati immediate post Apostolos colūtur. Itaq; Deū de corporalib⁹ beneficijs lauda, vt & gratitudo tua, præmio coronetur, & ingratitudo nō vindicetur. Protoplastus ideo fortassis lapsus, quod creatori suo nullas egisse gratias legatur. *Tunc*, Chrys. ait. *Deus sua in nobis multiplicat dona, quando gratos conspicit, & tunc melius sentire incipimus, cum gratitudinem ostendimus.* Hō. 41. *in Gen. & hō.* 58. Disce preterea, post sumptum cibum, Deo gratias agere, nam & Christus secundum consuetudinem, in monte Oliuarum, Patri suo cælesti actis iam gratijs, post cœnam vltimam, concessit. Plurimi ad mēsam accedunt, & recedunt, instar porcorum lintrem adeūtiū, relinquentiumq; de quibus scriptura ait, *sedit populus māducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, ita Christiani sublata mēsa, ad choreas pergunt, vel aleas, etiā ethnici primos Christianos laudarunt, quod post cibū grates Deo egerint. Athanasius *a* monet, vt edētes, Deo referam⁹ gratias. Et Hiero. *b* suadet, ita corporis sumendū alimentū, vt lectio queat succedere, & oratio. A quo non dissonat antiquissimus ille Tertullianus, *c* dicens, mēsæ accubitū à benedictione incipiendū, discessum cum gratiarum actione finiendum, qua de re copiosius disserens Chrys. *d* exponit illam, quæ priscis temporibus, apud Monasticæ religionis professores, in vsu erat gratiarū actionē, cuius forma talis est. *Benedictus Deus qui me pascis à iuuentute mea, qui das escā omni carni, imple gaudio, & lætitia corda nostra, vt omnē sufficientiā habentes, abundemus in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, & honor, & imperium* Exo. 32. 6. 1. Cor. 16. 7 Mat. 26. 30

a *Li. de virgin.*
b *Ep. 22. ad Eustoc. c. 6.*
c *Apolog. aduersus gentiles. c. 39.*
d *Hom. 36. in Mat. & hom. 37. ad populū Antiochenum* Benedictio mēsę

cũS. Spiritu in sæcula. Amẽ. Itẽ, *Gloria tibi Domine, gloria tibi sãcte, gloria tibi Rex, quoniã dedisti nobis cibos: Imple nos gaudio, & lætitia in Spiritu sancto. vt inueniamur in cõspectu tuo beneplacẽtes, nõ erubescẽtes, quando reddes vnicuiq; secundum opera sua.* Adiungitur autẽ oratio Dominica gratiarum actioni vt Deo, de donis suis grates referamus (quod scilicet & cibum nobis largitus sit, & appetitum) eumq; inprimis deprecemur, vt dimittat nobis debita, seu peccata nostra, quæ inter edendum, siue superfluitate, siue festinatione nimia, aut delectationis appetitu, cõmisimus. *Secundo*, ne per cibi sumptionẽ grauemur, sed vt & corporis valetudinem promoueat, & animum ad diuina obsequia alacriorẽ efficiat. solent feruẽtiores Christiani adiũgere preces pro defunctis, vt ij quoq; cælesti cibo à Deo reficiantur, quorum studio corporalẽ escã consequuti sunt.

Fleemosynæ vis.

Discẽ deniq; eximiam eleemosynarum virtutem, quæ non solũm plus accipit, quam largitur; verum etiam alios ad diuinas laudes inuitat; iuxta id quod Paulus ait, dũ ad Corinth.

1. Cor. 9. 12

scribens in hunc mõdum loquitur: *quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea quæ desunt Sanctis, sed etiam, abundat per multas gratiarum actiones, in Domino.* Est, eleemosyna, lampas limpidissima, hominis intellectum illuminans, quemadmodum Cornelius Centurio per hanc Angelicæ visitationis illustratione consolari meruit, quin adeo splendoris sui lumẽ longe, lateq; exerit, vt homo eleemosynis post huius vitæ vsuram nullas omnino tenebras videat, cum eleemosyna ab

Act. 10.

Tob. 4. 21.

omni peccato, & à morte liberet, neque patiatur animam ire in tenebras. Et qui eleemosynam acceptãt, diuinæ cognitionis lumẽ per meritum eleemosynarij, melius apprehendunt: quemadmodum homines isti agnoscebant Christũ esse Prophetam illum, seu Messiam, mundo olim promissum, & tot annis expectatum: quem non solum *Prophetam* simpliciter, sed *illum Prophetam* dicunt, hoc est singularem aliquem qui cæteros omnes adimpleret, nouisq; vaticinijs inclarescceret. Duplex est autem prophetarum munus: *Primum*; populum erudire. Iudas, & Silas, hoc nomine à B. Luca insigniuntur, quod plurimum consolati sint fratres, eosque in suo instituto cõfirmauerint. *Deinde* res futuras prædicere, sic Agabus Prophe-

Duplex Prophetarũ munus.

Primum Act. 15. 32.

Alterum.

ta; non

ta, non solum imminentem famem, sed & Pauli captiuitatē præsciuit, ex horum quoque numero erant septem Philippi Diaconi filiæ. Christus verus Propheta abunde nos instruxit de omnibus & plurima de futuro sæculo prædixit, ad quod, maxime omnes prædicationes, nosque ipsos dirigebat. Vis proximo opitulari? insiste medijs tibi à Christo præscriptis: eleemosynæ scilicet, & charitatis exercitijs, & sic libentius audieris, & fidem maiorem promereberis. *Egentis namq; mentem doctrinæ sermo non penetrat*, inquit Gregor. *si hunc apud eius animum manus misericordiæ non commendat.* *Act. 21. 8.* *2. parte pastorali c 3.*

XIX. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Hoc miraculum quo tot hominum millia tam paucis saturauit panibus, ita eorum inflammauit animos, vt vi eum vellent rapere, atque ad Regiæ dignitatis culmen euehere, idque nō sine euidenti ratione. Cōsiderabant *primo*, quod Christus nequaquā eos vectigalibus, & exactionibus, opprimeret, sed sicuti cibos, ita & nummos posset augere: & quod vili opertus tunica, nōnisi exiguo discipulorum stipatetur satellitio. *Secundo*: quod nequaquā sinet illos fame periclitari, ita enim ratiocinabātur, Gubernatores præficiet nobis qui oneri nō sint, & omnē abūsū, qui nunc viget abolebit. *Tertio*: eripiet nos ex Romanorum grauissima seruitute, in pristinę libertatis statū quo sub Dauide, & Salomone olim floruimus: nam si Messias est, quem præstolamur, Rex quoque est, atque ab omni inimicorum nos insultu, (vti cecinere Prophetæ) liberabit. Sic Iudæi Messiam, quasi externum Regem, expectantes, genuinum sacrarum scripturarum sensum carnali modo interpretabantur, nullamque, prærer temporalem, seruitutem agnoscebant, itaque pari voto concluserant, vt vnanimiter Christum adeuntes, eum sibi in Regem cooptarent, verū ipse diuinitus eorum intentionem sciens, atque ex indicijs cognoscens, præmisit Discipulos suos vltra mare, & annuit populo, vt, discederet, ipseque ascendit in montem, tū, vt quietius oraret, quemadmodum Matthæus testatur, tum, vt commodius eorum importunitatem euaderet, vt facile credi possit, eum sicuti alias, ex eorum oculis euanuisse.

Nota *primo*: magnam turbæ huius inconſtantiam, quę nũc laudibus Chriſtum euehens, poſtmodum eum voluit in crucem agi, poſtquam paulo ante ei occinuiſſent, *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Noli humano fauori, qui in horas, pro ſua vtilitate, mutatur, fidere. Mundus, & qui illi ſeruit, ſua quærunt. *Qui de terra eſt*, inquit Ioãnes Ba-
Ioan. 3. 31. ptiſta, *de terra loquitur.* Immo etſi nonnulli vocatione Eccleſiaſtici ſint, in re tamen Eccleſiaſtica, interdum magis ſecularia quærunt, quam quæ animarum concernunt ſalutem, magis de honore, & opibus, quam ſeruitio Dei, vel ſpiritali
Philip. 3. 19 ſubditorum fructu ſolliciti. Nunquam deerunt qui Chriſtum ob commoda ſectentur.

Populi huius error. 1. Nota *ſecundo* populum hunc inſipienter tribus de cauſſis Chriſtum ſibi Regem voluiſſe. *Primo* quidem, quod diu antè à Patre in Regẽ (ſicuti ipſemet per Pſaltem regiũ fatetur)
Pſal. 2. 6. eſſet adſcit⁹, dum ait: *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Siõ*
Zach. 9. 9. *montẽ ſanctũ eius, prædicãs præceptũ eius*, & Zacharias, *ecce Rex tuus veniet tibi*, hoc eſt, vbi aduenerit, non creabitur Rex, ſed ſtatim ab initio ſui aduentus, talis erit: qui mox à natiuitate (vbi Magi apud Herodem fatentur) Rex extitit, dicentes, *vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* nuſquam reperitur, Chriſtum
2. ab hominibus Regem eligendum, qui natura Rex fuit. *Deinde*, quod eius regnandi modum penitus ignorarent, de quo
Ioan. 18. 36 Dominus ipſe ad Pilatum, in hunc modum ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: Et iterum: *ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeã veritati.* Non erat mundan⁹ Rex, inſtar noſtrorum, qui ſatellite ſtipati, populum cogunt, & ditiones cuſtodiunt, ſed qui potẽtiori aliqua prædit⁹ virtũte, diuina potẽtia hominum corda ſibi ſubijceret, nõ ſolũ humilium, ſed & ſublimium, immo ipſorum quoque Re-
Apo. 17. 14 gum: vtpote, *Rex Regum, ac Dominus dominantium*, idq; nõ in vno regno, ſed per toti⁹ mundi latitudinẽ, qui etſi eum, *nõ-*
Ioan. 1. 10. *gnouerit*, neque ſuſceperit, habuit tamen ſummã in homines, ac creaturas omnes poteſtatẽ, vt pro arbitratu ſuo, ſingulos
Mat. 8. quoſque regere potuerit, nemini iniurius, quia omnium Dominus. Sic dæmones in tria porcorum millia intrare permiſit, eoſq; aquis ſuffocari, & cum illi qui telonijs præerant,

à Pe-

à Petro percunctarentur, num magiſter ſuus teloneum ſolueret more aliorum? præueniens eorum interrogationem, *quid tibi videtur*, inquit *Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum*, vel cenſum? *à filijs ſuis an ab alijs?* Petro reſpondente quod *ab alienis*, ſubiunxit; *liberi ergo ſunt filij*, iudicans ſe liberum, vtpote, filium Regis, ac Deum. Verum nō venerat in mundum hunc, vt ſeculari modo imperaret, ſed vt ſpiritaliter eum ſibi ſubijciens, Vicarium, poſt ſuum in cœlos aſcenſum, illi præficeret cui Chriſtianæ fidei profeſſione omnes parerent, ſiue Reges, ſiue Principes, qui etſi *capita* ſint *populi*, vt inquit B. Ignat. debent tamen vna cum ſubditis, vt idem ait, *obedire Epiſcopis*, ac ſpiritalibus ſuperioribus.

Mat. 17. 25

Epiſt. 7. *ad Smyrnēſes.*

Tertio, quod Chriſto vellet prefigere tempus regni, quemadmodum ipſi quoq; olim Apoſtoli, rogantes: *Domine ſi in tempore hoc, reſtitues regnum Iſrael?* quibus ille reſpondit: *non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Idem & duo illi diſcipuli dicebant, nempe, ſe ſperaſſe hactenus, quod ipſe eſſet, *redempturus eſſet*. Mundus nihil niſi temporalia cogitat, quemadmodum duo Zebedæi filij, quorum vnus ad Chriſti dexteram, alter ad ſiniſtram, ſedem ſibi optabat, quos Chriſtus caſtigans, ad ſemitam reduxit. Cum in aduerſa incidimus, mortem nobis ipſis imprecamur, & adeſſe Deo. Nōnulli ſibi ipſis manum inferunt violentam, arbitrātes ſe omni moleſtia exuēdos, ſtatimq; in regnum Chriſti adſciſcēdos, nec cōſiderant errorem ſuum, qui vrbem ad quam pons ducit, cupit adire, non prēcipitat ſe pōte quia periculum eſt ſuffocationis: ita & tu noli acceleratе nimium, videbis regnantē Chriſtum, & cum ipſo pariter regnabis, ſi debitum tempus præſtolatus fueris, perpetuo regnabis, modo regia via ad finem vſque conſtanter perſeueres.

Epiſt. 6. *ad Philadelph* 3. Error.

Act. 1. 6.

Luc. 24. 21

Matth. 20

Nota *Tertio*, Chriſto fugiendo regnum euaſiſſe, idq; ideo *in primis* quod ipſius non ſit *accipere*, ſed *dare* regnum: *Per me*, ait *Reges regnant*. Ob res præclare geſtas, in regno cæleſti omnes futuri Reges, ac Sacerdotes, aureo re dimiti diademate. *Secundo*, quod in mundū venerit *miniſtrare, non miniſtrari, vt ſic per multas tribulationes*, viā ſibi ad regni gloriam pararet, & nos patienter aduerſa ſuſtinere diſcamus. Si enim Chriſtus natu-

Chriſtus cur fugit. 1.

Prou. 8 15.

Apo. 1. & 4 2.

Mat. 20. 28

Lu. 24. 26.

3. rale sibi regnum intrare sine cruciatu non potuit, neq; nobis alienum licebit, sine aduersitatibus, ingredi. *Tertio*, ne qua
4. daretur occasio arguendi illum seditionis apud Pilatū, ideo solus fugit in montem, nullis comitatus discipulis. *Quarto* vt nos doceret, se eos fugere, qui in ipso nil, nisi carnale quærunt: honores, opes, dignitates, aliaque huius vitæ cōmoda. Vnde ea de causa, recusauit Pilatum, Caypham, Herodem vnquam adire, qui à spiritalibus alieni, pleni ambitione, a-
Ioan. 4. uaritia, libidine erant: sed pauperes adijt, etiam vitiosos, vt eius monitis obtemperarent: vt Samaritanam, & Adulterā, si
Phili. 3.20 ita, vtiq; nos Paulus hortatur, conuersationem nostram velim⁹ habere *in cælis*, atq; ad ea quæ sursum sunt, anhelare feruenti cordis desiderio orando, *adueniat regnum tuum*, nō fugiet à nobis, sed potius nos vltro accedens, perpetuum sibi a-
5. pud nos domicilium constituet. *Quinto*, vt nos instrueret fugiendos mundi honores, eosque omni studio deuitandos. Nam etsi oporteat esse Reges, Principes, ac Imperatores,
Li. de comparatio Regis ac Monachi. multo tamen feliciores illi, prout Chrysostomus pulchre disserit, qui his mundi honoribus priuati: qui in dignitate est, in periculo est, quia ruinæ expositⁿ, qui in terris summitate cōsistit simile periculum habet, ne forte capitis motus vertigine decidat, cū neminem, sibi opitulantem ad manū habeat à quo teneatur: Itaque Principes qui neminem timent, omnes terrent, nullumque habent cui fidant, & sæpe ex capitis vertigine, falsa imaginatione decepti, magna putant parua, & parua vicissim magna, spiritalia, vt nulla aspernantur, nec solum ab Episcopis, & Sacerdotibus honorari, sed quasi adorari volunt: illisq; quasi dignitate superiores imperare: nobilitatem, ac progeniem extollunt, quæ tamē aura leuis est, in modū bullæ inflata, quicquid mūdus admiratur, nihil est, fumus est, vmbra est, mundi huius Princeps Diabolus est, sed an ideo fœlicior & beatior. Hæc cum olim serio multi pertractarent, relictis mundi opibus, honoribusque ad spiritalis vitæ castra confugerunt, eligentes in hac lachrymarum valle potius humiles, ac cōtemptibiles esse, sicque in tranquillitate conscientiæ Deo famulari, quā cum salutis periculo, mū-
Vide historiam. Ioa. Dam. do imperare, ita adolescēs Iosaphat Indiæ contempsit regnū

adiun-

adiungens se in solitudine Barlaamo, vt alibi copiosius percensui, & Anastasius secundus huius nominis Imperator, Theodosius tertius, Michael secundus cognomento *Curopolates*, Michael Commenus, relicto imperiali diademate, Monasteriorum claustra sunt ingressi, ipse quoq; potentissimus Galliarum Rex Carolomannus, in monte Cassino, monasticum induit habitum. Richardus Angliæ Rex vltro se regno abdicans, paupere m in heremo transegit vitam. Morauorum Rex Suatopopius, inter Religiosos ignotus vixit, donec aduenient e iam morte, pristinæ dignitatis statum alijs patefecit. Rachis quoque Lombardiæ Rex sancti Benedicti monasterium est ingressus. Plurimi denique alij Reges, ac Reginæ, considerato dignitatum periculo, calcato mundi fastu, religiosæ vitæ institutum sunt complexi.

Dom. 12. post Pentec. §. 11. Ex Theophane, Zonara & Niceta. Sigebert. in Chronic. Sur. to. 1. 7. Febru. Æneas Siluius in hist. Bohé. Anastas. in Zacharia.

Nota *quarto*, Christum solum in hunc concessisse montē, nihilque indicasse discipulis, quos mare traijcere iam ante iusserat. Idque *primo* ait Theophylactus, vt experimento, quid acturi essent, probaret. materfamilias ideo interdum relinquit filium, vt videat, an sui amore ad matrem anhelet. Christum ora, ne te destituat, vel si iam destituit, da operam vt rursus eum, cum Beata Virgine inuenias, quæ toto triduo, quo perdiderat filium, nullam sibi indulsit quietem, quo minus quam citissime, eum reciperet. *Secūdo*: vt nos doceret, ait B. Augustin. se solum in cælum conscendere. *Nemo* etenim *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo*. debuit autem eo contendere, vt propriæ virtutis potentia eius portas referaret, qui subsequuntur, eius præsidio id habent. *Tertio*, vt soli magno feruore, diuinarum rerum contēplationi insisteremus, vni Deo intenti, in cuius præsentia cū nos ipsos discutimus, facile inueniemus quam nihil sit mundus, quam vilis ac contemptibilis. Quemadmodum qui ex vertice montis, vt exilia intuetur, quæ in remotioribus sunt vallibus.

4. Cur Christus fugerit solus.

1. *Theophyl. in comm.*

Luc. 2. 48.

2. *Ioan. 3. 13.*

3.

ORATIO.

O Dulcissime amator hominum Iesu Christe, qui verus es Propheta, ac supremus Rex, Dominusque dominantium, qui sequentem te turbam, tuamque doctrinam auida aure percipientem, clementissimis oculis, de sublimi monte aspexisti, ac misericordia motus, 5. panibus, ac 2. piscibus, per discipulorum tuorum manus miraculosè satiasti, eorumq; reliquijs 12. cophinos adimpleſti, sed populi manibus volentis te, gratitudinis causa, in Regē sibi præficere, fuga te eripuisti, mūdani honoris fastigium aspernatus; obsecramus te, vt ex cælestis regni solio vbi nunc in æuum, perpetua frueris gloria, tuos illos clementes oculos coniȳcias. Aspice proinde calamitatum nostrarum, in quibus viuimus, miserias, ijsque nos eripe. Ciba nos diuini verbi tui pabulo, quo quotidie nos liberaliter donari poscimus, vt cum debito illud gustu percipiamus. Satia nos cælesti illo sacrctissimi corporis tui epulo, adeoq; auidissimum in nobis appetitum, frequenter illud sumendi, excita: quo eius suauissimam dulcedinē liquidius haurientes, quid in illo emolumenti sit, efficacius experiamur. Largire etiam nobis misericorditer panem nostrum quotidianum, non quidem nimis affluenter, ne saturitate nimia distenti, te Deum nostrū deseramus, sed nec nimis parce, ne rerum inopia pressi, tui obliuione capiamur, verum ita competenter, vt commodius, quietiusq; tibi seruiamus. Instrue nos præterea in omni virtutum studio, vti verus Propheta passionum nostrarum motiones, tanquam Rex noster, regens, ac gubernans. Quin & intellectum nostrum illumina, vt eximium virtutum splendorem limpidius intueamur, vires consolida, vt quæ recta sunt vtiliter peragamus. Doce nos insuper humiles esse, obedientes, misericordes liberales, vt sacratissimis Apostolorum tuorum vestigijs insistentes, virtutis semitam possimus capessere, quo vel sic tandem cælestem illum conscendamus montem, in quo tu nunc benignissime Iesu vna cum Patre, ac Spiritu sancto viuis ac regnas per omnia

secula seculorum,

Amen.

DOMI-

DOMINICA V. QVADRAGESIMÆ.

Euangelium Ioan. 8.

IN illo tempore: dixit Ieſus turbis Iudæorum, & Principibus Sacerdotum: quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus, ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum; & vos inhonoraſtis me, ego autem non quæro gloriam meam; eſt, qui quærat, & iudicet, Amen, Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nō videbit in æternum, dixerunt ergo ei Iudæi: nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis. Si quis ſermonem meum ſeruauerit non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis? Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. eſt Pater meus qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & non cognouiſtis eum: ego autem noui eum. & ſi dixero, quia non ſcio eum: ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nō dum habes, & Abraham vidiſti? Dixit ei Ieſus:

Amen, Amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Breuis Euangelii Exegesis.

DIsplicuit multum Phariſæis, quod dum in templo Dominus populum docebat, ab ipſo ſe reprehendi viderent: ideoq; omnem aduerſus eum calumniæ quærebant occaſionem, præſertim, cum & Nicodemus Dominum in Concilio defendiſſet, & illis noluiſſet acquieſcere. Adduxerant ei mulierem in adulterio deprehēſam, ſciſcitantes, quid de ea fieri vellet? ſi fors aliqua in re legi aduerſaretur: quod cum non ſucceſſiſſet, (neque enim Dominum latebant eorum conſilia) multa ei in templo, vt plebem ab eo pendentem auerterent, obiecere. Contra ille, qua blande, qua dure, multa eis reſpondet: ſi aliquem forſan Diuini verbi amorem conciperent. in quibus & preſentis Euangelij verba fuere; quorum initio, cauſſam auerſionis eorum exponit, quaſi dicat: Quod concionanti auditores non credant, ex vna trium cauſſarū oritur. *Primo*, Quia vitæ improbitate fidem non meretur. *Secundo*, Quia falſa docet. *Tertio*, Ex auditorum peruerſitate, qui veritatem, ob ſcelera ſua, reijciunt. Quantum porro ad *primam* attinet: ego peccati purus ſum. & quia illud peccatum mihi à vobis frequenter impingitur, quiſquis is eſt, arguat me, & conuincat. quæ enim

Matth. 11. Luc. 5. Ioan. 8.

nim sparsa hacten⁹ de vini potatione, blasphemia, violatione sabbathi, amicitia cum publicanis, &c. calumniæ sunt hominum male affectorum: aut si minus, conuincatur id, testatur vobis conscientia, quod nec minimum quidem in me peccatum vnquam repereritis. Quantum ad *secundam*: nemo ex me falsa, iniqua, vel turpia audiuit. Si autē hæc duo ita sint; quid est, cur me reijcitis, nisi malitia vestra? qui ex Deo est, Deū libenter audit, vt patrē filius. Mauultis verba diaboli; quia ex ipso, ceu patre estis. Insaniebant ad ista Iudæi cum Christū audiunt innocentiam, doctrinamque suam asserere, illorum vero parentem, diabolum facere: ideoque in consuetas erumpunt blasphemias, ac sine vlla probatione, amentium instar, exclamant: *Non bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Verba tua sententiam nostram confirmant: qua te Samaritanum diximus: nec peccatorem solum, sed impium, legis falsarium instar Samaritanorum: item doctrinam tuam à diabolo esse, qui per te loquitur, ac proin falsa esse quæ doces, non vera. Vis de peccato argui? Samaritanum te dicimus. Vis de doctrinæ falsimonia conuinci? ecce dæmonium habes. testimonij satis est. Christus cū hæc eos ex perturbatione videret locutus, benigne respondet: *Ego dæmonium non habeo*, cuius rei documentum est; quia, *honorificō Patrem meum*, quod nec per se, nec per arreptitium suum, diabolus præstat. Ex eodem, me Samaritanum non esse videtis; illi enim idola colunt, quod honori Patris mei repugnat. Non dicit, *Samaritanus non sum*, quia sciebant Iudæi natiuitatis eius locum, nempe, Beth-

Bethlehem: vel, vt quidam putabant, Nazareth. Verum non loco Samaritanorum, sed de religione, & infidelitate eum accusant: atq; ideo respondet Dominus, *honorifica Patrem meum.* simul se Dei Filium insinuans. Et quia Iudæi Christum contumelioſe blasphemabant, vt peccati sui cognoscerent grauitatem, subdit: *Vos autem inhonorastis me.* Scitis me omnia mea ad Patris honorem referre, & tamen mihi insultatis; merentur hæc pœnam: sed non veni in mundum honoris quærendi causa, vel ministerij: sed vt ministrans, atque contumelias perferens, animas saluem. nolite tamen impunitatem vobis promittere, est qui honorem meum quæret, meque coram omni populo honorabit; ille causſam meam aduersum vos iudicabit, vosque damnabit, nisi tamen, mihi acquiescentes, pœnitentiam egeritis. Vere enim quisquis me audit, non habebit partem in morte secunda. Iudæi hæc pro stupiditate sua interpretati, rursum se ex his verbis, in priore sententia dicunt confirmari. *Ecce nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* dicis, nō morituros, qui seruant verba tua, quę vt verba Dei nobis proponis, & tamen pater noster Abraham, alijque Prophetæ, qui verba Dei seruarunt, mortui sunt. Videris his te præferre, quorum verba tantum abest, vt immortalitatem dederint, vt etiam ipsi mortui sint. *quem teipsum facis?* Arrogantia hæc, diabolica est; qua Patriarchis, & Prophetis te præfers. Respondet ad obiectiones has Christus; initium sumens ab eo, quod vltimo dixerant, hoc fere sensu. Ego si purus homo essem, meumque honorem quærerem, paruam haberem honoris spem,

spem, quia paruum est, quod homo per se potest; sed opera quæ ego facio, nempe miracula; hominis puri nō sunt, sed Dei, quæ per datam à Patre virtutem operor, & quibus Pater me honorat. Vt autem Pater hic vobis cognitus sit, & me Abrahamo sciatis maiorem; ecce, idem quem vos Deum colitis, Pater meus est: & vos nescitis eum, etsi enim in ore vestro frequens, ac perpetuus sit, vosque nihil strepatis, nisi eius legem, Doctores mundi vos profitentes: vere tamen, nec diligitis eum, nec sentitis. *Ego noui eum*, & diligo; & si me diligere negarem, similis vobis essem, *mendax*; qui dicitis eum à vobis cognosci, cum vere ita non sit. Ego autem noui eum, vt ex obseruatione mandatorum eius patet, quæ vos nō seruatis. Qui enim dicit se nosse Deum, & non seruat mandata eius, mendax est. Quod ad Abraham spectat; quo, ceu Patriarcha vestro, neminem putatis maiorem, hoc scitote: magno eum desiderio optasse, vt videret diem meum. Postquā enim intellexit me Messiam, Deum, ex semine suo incarnandum, exultauit interiori, exterioriq; gaudio, optans tanti mysterij tempus, seu *diem* cognoscere: quem reuelante Deo cognouit. Apparui enim ei humana specie, locum incarnationis meę, & tempus manifestans, ac futuram cum hominibus in terra conuersationem. vnde magno gaudio ille exultauit. Iudæi cum horum nihil intelligerent, ridentes dicunt: *quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti?* Quinquaginta dicunt, etsi Christus ne quidem triginta quatuor haberet; vt loquendi modo, eum paruę adhuc ætatis insinuent, quasi dicant: Ætatem quinquaginta annorum,

nec-

necdum attigisti, & licet attigisses, multum adhuc abesses à seculo Abraham, à quo iam, plus minus bis mille anni fluxerunt. Non dixerat Christus, se in humana carne vidisse Abrahamum, sed Abraham vidit *diem meum*: nempe, in visione, siue ea interior fuerit, siue exterior, in assumpta specie: sic
Gen. 8. 1. enim apparuit ei, cum duobus Angelis, iturus Sodomam. Viderat & tunc ipse Abrahamum, sed vt Deus, ideoque respondet: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* nempe Deus. Non erat Abraham antequam nasceretur; neque nunc post obitum est, nisi secundum animam Primum futurus erat, iam fuit, ego *sum* cui nihil futurum est, vel præteritum, æternus, perpetuus, vniformis. Item ego *sum*: nempe, ipsum esse. Quidquid Deus non est, habet esse: ego autem sum ipsum esse; ideoque Deus, idem il-
Exod. 3. 14. le qui dixit olim: *Ego sum qui sum.* id est, ego sum esse. Iudæi quia huius verbi energiam, ab antiquo didicerant, intellexerunt statim, quod se Christus Deum significaret; ideoque verba hæc æstimantes blasphemã lapides in eum tollunt: erat enim hæc statuta in blasphemos à lege pœna. Christus vero se oculis eorum subduxit, & ex Templo, vbi hæc fiebant, abijt.

Documenta quintæ Concionis.

1. Scopus Dominicarũ præcedentiũ. Iob 14. secundũ 70. Interpretes

DIxit Iesus turbis Iudæorum & Principibus Sacerdotum. Recoluit superioribus septem Dominicis Ecclesia, septem mundi ætates: vt omnibus peccata fuisse communia, disceremus; ac neminem fuisse, ex quo primi parentes peccatum mundo induxerant, cui peccatum, naturæ spectata lege, non adhæserit. Quia vero nullus, neque infans, *cuius est*, vt Iob loquitur, *vnius diei vita super terram*, à sorde mundus est;

nihil

nihil mirum, neminem pro mundi peccato satisfacere potuisse. debet enim satisfactor ipse, debito præsertim quod peccato æquale est, carere: in cuius solutionis etiam millesimam partem, nihil est, quicquid creatura omnis potest. Mundus quantum ex se nihil, præter miseriam, habet, & impotentiam, nec vel minimo mortali peccato soluendo sufficit. Hoc à nobis appendi desiderat Ecclesia, vt sic Diuinæ incarnationis videamus necessitatem: sine qua, nemo ab vllo peccato expiari potuisset. Post hæc superiorum hebdomadum dierumque mysteria, duæ sequuntur hebdomades, quæ *Passionis* dicuntur: quibus Domini passio nobis proponitur, vt eius meditatione, ad debitam Paschæ veneratione disponamur: per Confessionis, Communionisque Sacramenta. Sicut enim superioribus hebdomadis, peccatorum nostrorum multitudinem, grauitatem, ac affectus (qui sunt offensa Dei, æternæ damnationis reatus) recolere oportuit, ad concipiendam eorum detestationem, ac firmum propositum in futuro non peccandi: sic duabus hisce septimanis, passionem Christi, fide vigiles, meditabimur, ad concipiendam ex ea spem, ardentem amorem, atque Eucharistiæ desiderium. Hodie meditationis huius faciemus, cum Ecclesia, initium: quæ ex nunc glorioſum illud canticum: *Gloria Patri*, &c. in officio Diuino silet. *Primo*, Quia præcedenti feria sexta, cum Iudæi, in Domini mortem, post suscitatum Lazarum, consp iraſſent, ille se occuluit. *Secundo*, Quia diuinitas Christi, tempore passionis ei non subuenit (vt alijs martyribus) ad robur, sed tantum, ad diuturniorem passionem: ne nobis excusationis detur occasio, quasi Christus, vtpote Deus, & maiora, & melius, quam nos pati potuerit: sed vt eidem compatiamur, & earundem passionum tolerantiam, pro ipsius nomine, excitemur. *Tertio*, Quia tempore passionis, Deus Pater, ei se potius seuerum exhibuisse videtur, quam benignum: Abrahæ instar, qui gladium tulit, & ignem, quo filij immolationem parabat. vnde & in horto sanguinem sudauit, & in cruce se à Patre dixit *derelictum*. Christi ergo passionem cogita, quasi puri hominis, vt sic & ipsi compatiaris, & te ipsum in omni tribulatione adiues.

Scopus duarum sequentium.

Cur deinceps non dicatur *Gloria*.

1.

2.

3.

Gen. 22. 6.

Matt. 27. 46.

Pro-

Cur hodie præsens Euang. legatur. 1.

Proponitur hodie præsens Euangelium, de tribus caussis. *Primo*: Quia in eo Iudæorum in Christum furor ostenditur, volentium illum lapidare. Imo singulis huius septimanę diebus, aliquod proponitur murmur illorum in Christum: vt initium passionis videamus. Sicuti enim Pater per iustitiam tradit Filium morti, in satisfactionę peccati nostri: & Christus per charitatem, sic Iudæos, eum tradidisse *per inuidiam*, etiam Pilatus aduertit. itaque tres erant passionis caussæ: *iustitia*, Patris, *charitas*, Filij: & *inuidia*, Iudæorum. *Secundo.* Quia describitur Christi innocentia, ex qua discimus, dignum eum fuisse, vt pro mundi peccato satisfaceret: cum esset Pontifex *innocens impollutus, segregatus à peccatoribus terræ*, vt Apostolus ait: *& sanctior cœlis effectus.* talis enim requirebatur, tanto debito. Veteris vero Testamenti Sacerdotes non poterant seruientes *mundos facere secundum conscientiam*: sed vt in hodierna Epistola ait Apostolus: *sanctificabant inquinatos, ad emundationem carnis.* nempe, à sordibus lepræ, puerperij, contacti cadaueris, &c. quando autem peccata illis remittebantur, non erat id ex Sacrificiorum efficacia, sed ex fide in Christum, quem illa significabant. Quibus proin Sacerdotes Nouæ Legis conferri non debent: hi enim quotidie veluti peccatores, tam pro suis, quam etiam proximorum peccatis, sacrificiū offerunt, nec pro venialibus solum delictis, verum etiam lethalibus. Nam vti sanctissimus Christi martyr, ac Romanus Pontifex Alexander, circa annum Domini 28. supra 100. scribit: *crimina, & peccata, oblatis his Domino sacrificijs delentur.* Cum nihil præstantius, nihilque dignius sit, sacratissimo Christi corpore, ac sanguine, qui hic *cum omni*, vt idē ait, *Puritate Deo offerri, sumiq; debet*, nullus enim veteris, vel nouæ legis Sacerdos, pro peccatis suo sacrificio satisfacit: sed sibi, & alijs, consequitur fructum, & applicationem satisfactionis, quam in ara crucis Dominus soluit. Nota tria esse Sacrificiorum, Sacerdotumque genera. *Primum* est, verissimum illud, perfectissimum, potentissimumque, quod Christus tanquam summus Sacerdos in ara crucis obtulit, sacrificium: nempe seipsum: effundens suum sanguinē pro nobis mortemque oppetens. In quolibet autem sacrificio ali-

Tres passionis caussæ. 2.

Heb. 7. 26.

Epist. 1. ad c. omnes fideles.

Ibidem. & de Consec. d. 2. c. Nihil in sacrificijs.

Tria sacrificij genera. 1.

aliquid Deo offertur, quod magnam accipit immutatione, immo quod à prima sua forma perit: sicuti quando animal aliquod immolatur, vel ipsum, vel saltem eius adeps, vti in alijs contingebat sacrificijs, consumitur. Illud namque discriminis est inter *oblationem & sacrificium*: quod in illa, Deo aliquod munus offertur: nempe pecunia, cera, frumentum, aut simile quid: verum in sacrificio, immutatur istud munus, atque ad honorem Dei immolatur: sicque non solum munus, vocatur sacrificium: verum etiam ipsa actio. Atque ita, & Christus in cruce pendens, & ipsius sacratissima passio, sacrificium erat, vti opus per quod munus, morte interueniente, immutabatur, adeo vt ex his duobus vnum fieret sacrificium. Illi vero qui Christum occidere, propterea non erant sacerdotes, quia eorum intentio non erat, sacrificio hoc, Deo quicquam offerre, sed potius tormentis suis Christum crudelissima morte, inuidiæ causa, tollere. Christus autem & sacrificium, & Sacerdos extitit, passus vt victima, & tanquam sacerdos seipsum in sacrificium offerens, effundendo suum sanguinem, animamque quam supernaturaliter seruabat, quoadusque placebat Paternis eam manibus commendare. Quod semel solummodo factum: Petrus & Paulus aiunt, quia non nisi semel opus erat. Nemo insuper erat qui id præter Christum præstare poterat, vtpote qui peccati expers, ineffabili pollebat dignitate, per quam sacrificij pretium, ac solutionis debitum, infinitæ æstimationis valorem consequebatur. Quemadmodum ergo necessaria non est noua medicina, si vna tantę sit qualitatis, quantitatisque, vt omnia vulnera in momento sanet, sed requiritur eius solum applicatio; & sicuti necesse non est, vt homo cui sat diuitiarum, pro contractis ciuium omnium debitis: pro tuis (qui etiam debito obstringeris) aliam dinumeret pecuniam: sed ex tota pecuniæ massa tantum desumitur, quantum tibi sufficiat: ita non opus, vt noua peccatorum nostrorum fiat solutio, siue à Christo, siue ab alio quopiam. Christus namque infinito sacrificij sui merito, tam plene, perfecteq;, pro totius mundi peccatis, olim commissis, aut committendis satisfecit; vt non solum nihil ad hanc satisfactionem desit,

Sacrificij & oblationis differentia.

Occisores Christi cur eum non sacrificarint.

1. *Pet.* 3. 18. *Heb.* 7. 27.

verum etiam abunde superſit. Solum requiritur, vt hæc eius ſatisfactio nobis applicetur: quemadmodum emplaſtrum magno artificio concinnatum, vulneri curando neceſſario debet apponi. Reliqua vero duo ſacrificiorum genera, ad hoc plurimum diſtant, licet ſuas inde vires omnes mutuentur: quorum neutrum præ ſe fert aut ſolutionem lytri, aut medicinæ confectionem, mortiſve Chriſti illationem: ſed eius mortem, paſſionemque aliquatenus repræſentat, intendens à Deo conſequi medicinæ iam paratæ applicationem.

2. Sacrificium. Itaque *ſecundum* ſacrificij genus, erat olim in Veteri Lege vſitatiſſimum: vbi animalia immolabantur, aliaque inſuper adhuc tria peragebantur. *In primis* namque viuæ animantes Deo conſecrabantur, ſiue voto, ſiue ſacerdotali benedictione.

Secundo, mactabantur, effuſo in terram ſanguine. *Tertio*: in altari comburebantur, ſiue integre, ſiue adeps tantum: vt ſignificarent, *in primis* Chriſtum ſanctum fore atque à Deo benedictionem conſecuturum. *Deinde* ſanguinem ipſius in terram effundendam. *Poſtremo*, diuini amoris igne pro nobis in ara crucis concremandum. *Deus* etenim, ſcriptura atteſtante, *ignis conſumens eſt*. Hiſce autem ſacrificijs, cæremoniiſque, volebat Deus, vt homines iam illo tempore inciperent, aliquam haurire cognitionem rerum, quas Chriſtus ſuo in ſacrificio poſtmodum peracturus erat: vt ſic, per futura ipſius merita, ſuorum remiſſionem peccatorum peterent, impetrarentque.

Deut 4.24
Heb. 12.29

3. Sacrificium. *Tertium* ſacrificiorum genus, ſecundo eſt perfectius, nempe nouæ legis ſacrificium, quod in ſacratiſſimo Miſſę officio immolatur. Hic namque munus, aut oblatio, quæ Deo offertur, non differt à primo, ſicuti in ſecundo contingebat, in quo munda immolabantur animalia, ſuis proprietatibus Chriſtum aliquatenus exprimentia, prefigurantiaque: nempe agnus, eius inſinuabat innocentiam, bos fortitudinem, columba ſimplicitatem, &cæt. licet ſolæ eſſent animantes. In noſtro vero ſacrificio eundem habemus Chriſtum, qui in ara crucis ſeipſum in ſacrificium offerebat. Ille noſtrum

Differẽtia Sacrificij nouę legis à ſacrificiis L. ver.

eſt

est sacrificium, & ipsissima victima, quæ in Missæ sacrificio Deo immolatur. Verum modus, effectusque offerendi, plurimum differunt: illic namque, Christo sanguinem profudit, hic, viuus atque impassibilis permanet, ita vt ab omnibus Patribus, *incruentum* vocetur sacrificium, Græce ἀναίμακτον. Multo autem apertius, distinctiusque, Christi mors, ac passio hic repræsentatur, quam in vllo alio Veteris Testamenti sacrificio: tum, propter id quod offertur: tum, propter cæremoniarum ritum, quæ ad hoc applicantur. Sicuti namque Christus in ara crucis pendebat mortuus, & vt Dauid testatur omni sanguine destitutus, qui aqua permistus; ex eius sacratissimo profluebat latere: ita & hic, idem omnino corpus est, sub specie aridi panis, nullatenus se mouentis, sed quasi vita carentis: tum quoque, idem ille sanguis aqua permistus, in calice sub specie vini continetur, ac si ex corpore recens effusus, calice esset collectus.

Differētia sacrificij Missæ à sacrificio crucis.

Psal. 21. 16.

Cæterum ad cæremonias quod attinet; Nota: illas esse triplices.

Cæremoniæ triplices.

Sunt etenim *in primis* nonnullæ, ad ornatum magis, quam necessitatem: quæ vel ad populi instructionem, vel ad deuotionis excitationem adhibentur: quales sunt vestes sacræ, recitatio Epistolæ, Euangelij, Præfationis; oratio, versio ad populum, formatio crucis, brachiorum extensio. atque id genus alia, non ad essentiam sacrificij sed ad maiorem decorem: sicuti homo non solum corpus habet, sed & vestes, quibus honeste illud contegat. Omitti interim illæ non debent, propter Ecclesiæ præceptum, quæ ob sanctissimæ rei significationem, diuerso tempore, eas vtiliter censuit vsurpandas.

1.

Secundo, sunt & aliæ quædam ad necessariam perfectionem huius sacrificij, licet absolute de essentia non sint. Quemadmodum ad humani corporis perfectionem requiruntur, brachia, crura, manus, pedes: quanquam his deficientibus, etiam subsistere valeret, ac viuere: sic in hoc sacrificio requiritur oblatio panis, ac vini, ante consecrationem. Debet enim id quod sacrificatur,

2.

primo sacrari Deo, atque eidem per oblationem dicari. Item vini & aquę permistio: cuius, post Alexandrum Papam, Cyprianus quoque meminit, & panis fractio, qua & Saluator noster vsus fuisse legitur, distribuens discipulis corpus suum. Sunt *postremo* & aliæ quædam, tam essentialiter ad huius sacrificij oblationem necessariæ, vt sine ijs omnino nihil fiat: nempe, consecratio panis, ac vini: qua panis in Christi corpus, vinum vero in sanguinem eius vere ac realiter transubstantiatur. Hoc enim est quod tempore institutionis huius sacrificij Saluator noster fecit, estque illud solum, quod in Liturgico nostro sactificio operatur. Cætera omnia quæ illic peraguntur, præstat Sacerdos, in persona Ecclesiæ, vel propriæ, vt orationes, oblationes, communionem, &c. Verum consecrationis verba, Christus per Sacerdotem ipsemet profert, dicens: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*. Quæ quidem consecratio, ingentem operatur immutationem, habetque aliquam cum antiquæ legis animalium internecione comparationem. Quæ sicuti ante immolationem prius benedicebantur, ac deinde mactabantur, ita hic primo panis ac vinum offertur; cum precatione, vt Deus illa idonea efficiat, quæ in tanti sacrificij materiam acceptentur. Dein vero hæc panis ac vini substantia, in reale Christi corpus transubstantiatur, ita vt nihil panis aut vini remaneat: illo tamen discrimine, quod in Veteri Testamento ita hæc mutatio facta sit, vt ex animali efficeretur cadauer, hic vero contrarium contingat, vtpote ex pane ac vino corruptibili, fit verum, ac viuidum æternæ vitæ alimentum, nullo vnquã æuo interiturum. Vt, non solum mors Christi per panis speciem, verum etiam per internæ vitæ vegetationem, eiusdem nobis glorioſissima resurrectio repræsentetur. Hoc siquidem sacrificium non solum in Dominicæ *Passionis*, verum etiam *resurrectionis*, imo & *ascensionis* (vti in Canone habemus) memoriam offertur. Hæc oblatio, quemadmodum præclare ait Ambrosius, quæ hic in terris immolatur, est figura illius oblationis, quam pro nobis Saluator in cœlis peragit. Vnde in hoc Sacræ immolationis consecrationisque ritu, præcipua huius sacrificij vis ac natura consistit: non in eo quod

Alex. ep. 1. *Cypr. ep. 63. ad Cæciliũ.* *Mat 26. 26*

3. 1. cęremonia essentialis.

Ambr li. 4 de Sacr. c. 4

Chryso. hõ. 83. in Mat. & 60. ad pop. Antio.

Ambr. 4. de Sacrã.

quod panis illic desinat, sed quod Christi corpus inde efficiatur, ac transsubstantietur: quod cum illic ante non erat, iam realiter esse incipit. Etsi enim panis ac vinum ante consecrationem *sacrificium* dicantur, quod ad illud tanquã materia pertineant: sicuti bos viuus, victima nuncupatur: per transsubstantiationem tamen consummatur sacrificium; quando nimirum Christus præsentem se illic exhibet.

Deinde, ad sacrificij huius essentiam necessario quoque requiritur, vt offeratur. Quod vt decentius conuenientiusque fiat, certæ quædam præscribuntur precationes, quibus, post consecrationem Deo Patri offerre illud oporteat. Quę quidem in omnibus quarumcunque etiam nationum Liturgijs reperiuntur; licet non eadem semper verborum forma. Quemadmodum enim qui alteri insigne aliquod donarium offert, haudquaquam tacens id facit, sed decenti verborum venustate, morumque grauitate, ita & sancta mater Ecclesia, peracta consecratione, diuinissimis vtitur precationibus, & Apostolica ad nos traditione (vti Vigilius Papa testatur) deriuatis: quas Canonis dignatur nomine: in quo Deum precatur, vt sacrosancta hæc munera *accepta habere dignetur, sicuti olim accepta habuit munera pueri sui Abel, & sacrificium Patriarcha nostri Abrahæ:* iubendo scilicet hæc *perferri per manus Sancti Angeli sui in sublime altare suum.* Quæ quidem, Sacerdos non in persona Christi orat, ac si sacrificium hoc minoris esset dignitatis, quam prænominatorum Patriarcharum, sed in persona Ecclesiæ, quæ humili se supplicatione exaudiri postulat, sicuti hi Patriarchæ olim exauditi, & eorum munera accepta sunt. Etsi enim hoc sacrificium, omnia alia ob inæstimabilem rei dignitatem, longe, lateque superet, fieri tamen potest, vt offerentis actio ob flagitium, aut negligentiam, minus Deo sit accepta.

2. Cæremonia essentialis.

Epist. ad Euthym. *Epis. Hisp.* *Ambr. li. 4 de Sacr. c. 6*

Tertio, requiritur necessario, vt à Sacerdote sacrificium consummetur, in signum, quod Deus illud acceptet. honorarium quod cuipiam offers, consummatum non censetur, nisi is cui defertur, id acceptet.

3. Cærem. essentialis

In Veteri Lege flammis holocaustum consumebatur, vel

Leuit. 3. Deut. 4. præcipua eius pars, nempe adeps vt alia operiens, in signum, quod, Deus qui, *ignis consumens est*, illud acceptasset.

In Nouo vero Testamẽto, sacerdos in persona Dei, cuius vices gerit, illud reuerẽter sumit, postquã decenti modo obtulit: quod quidẽ adeo necessarium est, vt si celebrantẽ post consecrationẽ, aut subitanea corripiat, ægritudo, aut mors, alius qui id sumat, adhibendus sit: & nisi celebrans sacramẽtum suscipiat, mortaliter peccat, vt habet Doctorum & duodecimi Toletani Concilij sententia: vtpote, reus corporis, & sanguinis Christi: instar Iudæ, & eorum qui Christum crucifixere. Chrys. teste, vnde & anno integro perceptione sacramenti priuatur, & excõmunicatur. Nã Sacerdos, dũ in sacro suo cõmunicat, non solum sibi id sumit, quasi sacrificij consummator, duo, imo tria operatur. *Primo* in persona Dei acceptat sacrificium. *Deinde*, eodem ad salutẽ animę suæ reficitur: sicut olim Leitici sacerdotes de imolatis vescebantur. *Postremo*: in totius populi, maxime vero prẽsentium vtilitatẽ, illud cõsumit, ad quos ingens spiritale lucrum peruenit: quẽadmodum alimentorũ virtus, per guttur ad cætera corporis membra transit. Porro quantum ad effectum tertij huius sacrificij, missę sc. sciendum nõ esse eundẽ, cum effectu cruenti sacrificij, in ara crucis peracti. In Missa neque peccatorum debitum persoluitur, neq; redemptionis lytrum; sed oratur Deus, vt redemptionis pretium quod Christus in ara crucis persoluit, acceptet pro his, quibus Missam applicamus, est namque sacrificium quædã precandi species cæteris orationibus efficacior. In hoc namq; Deo offerimus Filium suum, eiusque sacratissimã mortem, & cruciatus, quasi plenissimã satisfactionẽ, ante oculos statuimus, itaque quemadmodum Ecclesia orationes, seu collectas terminat: *Per Christũ Dominum nostrum*: sine quo nullus exauditur, sic efficax est ad excitandam Dei misericordiam huius sacrificij precatio, quia eidem præsentamus Christi mortem, & cruorem pro nobis effusum, in acquisitionem rerum nobis necessariarum.

In regulis Missalis. Canon. 5.

De consecr. distin. c. 2. Relatum nobis est.

Effectus Missæ quis?

Documẽ. 1. Atq; hinc *in primis* discas, Missæ sacrificium nõ solum oblationẽ pro nobis in cruce peractã, non obscurare, sed plurimum illustrare, atq; attollere, quia assiduam Christi memoriam

riã refricat, cuius infinito merito, omnia nobis salutaria po- 2.
scimus, *deinde*: crucis sacrificium nullatenus iterandũ, quip-
pe, quod plene perfecteq; obtinuit, id pro quo oblatum erat.
nempe solutionem pro totius mundi sceleribus. *Tertio*, Missę 3.
sacrificium quotidie posse, ac debere repeti, ob quotidianas
necessitates, vt eo efficacius passionis Christi, nobis merita
applicemus. In quem etiam finẽ quotidie Deum precamur:
Per Christum Dominũ nostrum: hoc est, per merita sacratissimæ
eius passionis. *Quarto*, quod tam hoc, quam illud sacrificium 4.
vnum sit, ratione rei oblatæ: nempe Christi, qui hic & illic
offertur, diuersum vero, si consideremus Christũ in ara cru-
cis, sanguinẽ fudisse, in Missa vero, afferri incruente. *Quinto*, 5.
Sacerdotes nostros posse, esse peccatores, qui proinde offe-
runt tã pro se, quã pro delictis populi: ipsi vero non satisfa-
ciunt: Christum vero, nõ solum ab omni peccato liberũ esse
debuisse, verum etiã infinitæ dignitatis: vt sic solutio esset in-
finita, cum peccata infinitã maiestatẽ offendentia, nõ solum
numero, verũ etiã malitia sint infinita. *Sexto*, sacrificium hoc 6.
imolari, vt illorum omnium participes reddamur, quę Chri-
sti nobis passio promeruit, pro viuis, & defunctis, tempora-
libus, & spiritualibus, pro peccatorum venia, & alijs necessa-
rijs. Cæterum cũ audis, missã in peccatorum remissionẽ of- Missa quo
ferri: nõ putes, ea condonari sine cõfessione, sed q; peccatori modo pro
gratia obtineatur, & vera delictorum cõtritio, quo possit ea peccatis
legitime cõfiteri, & absolui. Quę quidẽ hic aliquanto copio- offeratur.
sius prosequenda existimaui, quod tẽpestatis nostrę hęretici,
grauissimè hic hallucinẽtur, docent namq; *Primo*, vim sacri- Hæreti-
ficij nostri in cæremonijs potissimũ cõsistere, quodq; Missa corũ circa
nihil aliud sit, quã cento quidã, à varijs Pontificibus in vnum Missam
corpus conflatus. Verum vti supra diximus: cæremonię po- errores.
tius indicia Dominicę passionis sunt, ad decentem ornatum, 1.
quo sacratissimã Christi mortẽ expressius inculcemus: vt ipse
præcepit: *hoc facite in meam cõmemorationẽ*. Quid autẽ singulæ 1 Cor. 11. 24
cæremoniæ significent, alibi à me explicatum est. Neque re- *Lib. 1. Christian. Iustin. c. 10.*
prehensionẽ meretur, quod diuersi Romanę Eccles. Antisti-
tes pro maiori diuino cultu nõnulla adiecerint, quemadmo-
dum non displicet, si cognatorum, affinium q; quisq; pro

sua beneuolentia, aliquid conferret supellectilis, ad maiorē domus, vel liberorum tuorum ornatum. Significarunt per hoc illi. *Primo*, quam reuerentet de hoc sacrificio sentirent, quamque pie illud venerarentur. *Deinde*: huius sacrificij antiquitatem. Nam post Apostolos, qui Christi iussu Missæ substantiam ad posteros transmisere, illamq; omni deuotionis studio peregere (scribit namq; B. Ignatius, Stephanum Protomartyrem, B. Iacobo primo Hierosolymorum Episcopo in sacris ministrasse & Linum, Paulo; Anacletum ac Clemētem Petro) statim succesſere vetustissimi illi Martyres Pontifices, qui cæremonijs, ac grauissimis verbis, hoc sacrificium decorarunt. E quorum numero in primis fuere Anacletus, Anno 103. Alexander Anno 120. Telesphorus Anno 142. Sother. An. 163. & illorum successores Syluester, Damasus, Symmachus, Gregorius alijque qui ante annos plus 1000. Ecclesiæ Catholicæ Rectores extitere. Tanta est huius sacrificij dignitas, vt digne honorari non possit.

Epist. 2. ad Trallianos

2. Error. *Secundo*, Hæretici ex Paulo allegant: Christum *vna oblatione consummasse in sempiternū sanctificatos*, ideoq; quotidiani sacrificij superfluam oblationē, sed nesciunt, aut scire nolunt Apostolum naturam sacrificij crucis explicare; quo omnia consummata esse Saluator ipse palam testatur, dicens: *Consummatum est*, nimirum lytrum peccatorum, in quorum abolitione immolatum erat. At vero de huius satisfactionis applicatione differens, dicit iam Christum in cęlis Patri prę-sentem *ad interpellandum pro nobis*: illic namq; Patri pro nobis ostendit vulnera, quæ etiamnum conseruat, flagitans vt sacratissimæ passionis suæ merita nobis adiumento sint. Idem in nostro sacrificio, tanquam sempiternus Melchisedechici Ordinis sacerdos, præstat: offerēs sacratissimū corpus suum, in specie panis, ac vini. Cæterum de Missæ sacrificio, apertè loquitur Paulus, cum ait nos habere *altare de quo edere non habent potestatē, qui tabernaculo deseruiunt*: nempe, Leuitici sacerdotes, vt exponit Haimo, alijque interpretes. Item cum ait, nos ita participare de corpore, ac sanguine Domini, sicut olim Iudæi, ac Gentiles vescebantur, de oblatis in altari carnibus: indicās nos in consecratione venerabilis Sacramenti al-

Heb. 10. 14

Ioan. 19. 30

Heb. 7. 25.

Psal. 109. 4

Heb. 13. 10.

1. Cor. 10. 16

ibid. 20.

ti altare habere, in quo noui Testamenti sacrificium immoletur: non minus quam Iudæos olim, vel gentiles.

Tertia ratio: Cur præsens hoc Euangelium hodierna die præponitur, est: propter verba hæc: *quis arguet me de peccato?* quibus admonet nos Ecclesia, vt peccata sacramentali confessione aboleamus, duabus de causis: *Primo*: vt maiori fructu Christi passionem contẽplemur, cum Sapiẽs testetur: *In maleuolam animam non introibit sapientia, neq; habitabit, in corpore subdito peccatis.* Christi passio mundi totius sapientia est, cui⁹ arcana infideles, ac superbi nullatenus capere, potuere: cui solis Apostolus innititur: *non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Qui ex meditatione passionis Christi vtilitatem quærit, commoueri debet, impedit autem hanc cõmotionem, peccatum: quod animam maculat, intellectum obnubilat, voluntatẽ indurat, qui materiam hanc optime pertractarunt, septem affectiones, quæ passionis meditatione possint concitari adsignant: compassionem nimirum, compũctionem seu dolorem de peccatis, desiderium imitandi, gratiarum actionem, admirationem, spem, & amorem. Qui vero in peccatis perseuerat. *Primo* nõ compatitur CHRISTO, cum præsentia eius peccata, causa sint passionis Christi. *Secundo*, non compungitur, propter obstinatam voluntatem, *Tertio*, non habet animum patiendi cũ Christo: cuius amore, nec à peccatis abstinet. *Quarto*, est ingratus beneficijs, immo *Filium Dei conculcat, & sanguinem testamenti pollutum ducit*: vti Paulus ait. *Quinto*, nihil admiratur; nisi falsa: nempe, honores; dignitates, voluptates, &c. Christi tormenta, ac charitas eum non tangunt. *Sexto*, destitutus est, spe, dum in malis, quæ tandẽ solet consequi desperatio, permanet. *Septimo*, quæ potest in eo oriri charitas, qui Deo, ex diametro aduersatur, nihilq; spectatur aliud quã quod diuinæ repugnat voluntati? Abiecta ergo peccati sarcina, sacratissimo hoc tẽpore, serio tecum pertracta illud beneficium, q̃ Christ⁹ amarissima sua passione tibi cõtulit. *Secunda* ratio, Cur hoc tempore peccata confiteri debeamus, est, vt cõuenientius ad Eucharistiæ susceptionem prępareamur. Vetitum erat, Iudæis Paschali tẽpore, qui ad esum agni se præparabãt, ser-

3. Causa cur hodie legatur hoc Euãgelium.

Peccata hoc tempore confitenda.

1. *Sap.* 1. 4.
1. *Cor.* 2. 2.

Septem affectiones animi ex meditatione passionis.

Peccato impediũtur.

1.
2.
3.
4. *Heb* 10. 29
5.
6.
7.

2. Causa cur iã cõfitendum.

fermentũ: & nos ergo peccati fermentũ abijciamus, vt noſtro Paſchali agno, dignius veſcamur iuxta id quod Paulus monet; *expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis Azymi.* Iudæus his diebus fermentatum comedens, moriebatur; & apud Chriſtianos ſecundum animam moritur, qui cũ mortali peccato Euchariſtiam ſumit. Refert Euagrius, B. Macharium, Alexandrinum, in Eccleſia cum ſui Monachi ſactã perciperent ſynaxin, vidiſſe nõnullos, illius loco, à Diabolo, ignitos carbones accipere, ipſumq; Chriſti corpus ad Presbyteri manus remeare; cum vero boni Religioſi id digne acciperent, longe iſtinc fugiſſe dæmones, & ſanctos Angelos manus ſuas ſacerdotis manibus iunxiſſe, vt digni digne communicarent. Docens nos malos, communicando nouum committere mortale peccatũ: tantum abeſt, vt aliquid emolumenti inde reportent. teſtãtur Saxoniæ Annales VVedekindum Saxonum Principem adhuc Gentilem, optaſſe vt Chriſtianorum cõſpiceret myſteria, itaq; veniſſe ignoto habitu ad caſtra Caroli Magni, circa annum Dom. 778. ſicq; cum cæteris Eccleſiam ingreſſum, omnia curioſe perluſtraſſe, donec tãdem ipſa Paſchali ſolennitate, à quodam agnitus Aulico ad Cæſaris perduceretur conſpectum, qui cum rogaret, quanam de cauſſa ſuam celans perſonam mendici adſumpſiſſet habitum? Reſpondit, ſe id feciſſe, vt commodius, curioſiuſque arcana Chriſtianorum myſteria contueri liceret, Iuſſus autem dicere, quidnam vidiſſet; ſubintulit: vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu demiſſo triſtem, incertus quid contigiſſet, quod tantum Regem contriſtaret; iã vero cum hodierna die (erat autem paſchalis ſolemnitas) hilari facie, ad menſam templo mediam acceſſiſſes, ſtupor erat videre, quod de manu purpurati ſacerdotis, ſinguli pulchellum puerũ in os ſuſciperent; quem quibuſdam ludibundum arridere, & vltro properare; alijs vero abhorrentem auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem, aſpexi: hoc quid ſit, necdum noui; tum Rex, *bene*, inquit, *profeciſti, plus tibi aliquid quam cunctis ſacerdotibus, & nobis oſtenſum eſt*: Inde mutata veſte, manu ſecum abductum docuit, grande pietatis myſterio, altaris Sacramẽto contentũ: quo pacto totus illic

1. Cor. 5. 7. Exod. 12. 19

In vitis PP. parte 2

Crantzius lib. 1. c. 9. Et Bredenbach. li. 1. collat. 1.

illic Chriſtus ſit, qui tam à bonis, quam à malis, ſuſcipitur: illo diſcrimine, quod iſtos quidem magna ditet ſpiritali gratia, hos vero, auerſetur, adeo vt mallet à talibus, ob peccatorum ſordes, quibus inquinati ſunt, omnino non ſuſcipi, quã tam indigne tractari, ideo Chriſtiani omnes hoc ſacratiſſimo tempore monentur conſcientiam mundare, contritione & Dominicæ Paſſionis imitatione, vt ſic purgati, digne Noui Teſtamenti Paſcha ſumant, Chriſtumque in ſe conſeruent, ſicque, qua verbis, qua operibus teſtentur, ſe vere cum Chriſto & per Chriſtum reſurgere.

II. Septem inſinuata à Chriſto.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Hiſce verbis Chriſtus ſeptẽ inſinuat *primum* eſt, eximia ipſius amabilitas, benignitas, bonitas: de quibus in hunc modum Gregorius, *penſate*, inquit, *fratres chariſſimi, manſuetudinem Dei: relaxare peccata venerat & dicebat, quis ex vobis arguet me de peccato, non dedignatur ex ratione oſtendere, ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute Diuinitatis poterat peccatores iuſtificare.* Magnæ humilitatis eſt Rex, ſi coram improbis ſimili ratione vellet oſtendere, ſe ipſis diſſimilem: & tamẽ hiſce tam manſuetis verbis inſinuat, Iudæos peccatis fuiſſe inquinatos, de quibus ſæpenumero eos reprehẽderat: inquit Auguſt. Quaſi dicat Chriſtus, vos ne vnius quidem peccati poteſtis me legitime reum agere, cum multa interim in vobis ego arguã, partim publicè, dum clamo: *væ vobis Scribæ, & Phariſæi, Hypocritæ*; partim tecte, mouens cõſcientias, per parabolas, ac ſimilitudines, quas nemo præter vos intelligebat ſicuti quando digito ſcribebã in terra: *ſi quis veſtrum ſine peccato eſt, is primus* in mulierem adulterij conuictã *mittat lapidem*, per hoc namque docet, vt primo noſtrã diſcutientes cõſciẽtiam, videamus quid illic deliteſcat. arbitraris te peccati expertem, verum Chriſti conſideres vitam, certe, multiplicib⁹ te peccatorum contaminatum ſordibus reperies, in verbis, operibus, & cogitationibus. Linteum quod in vſu fuit, mũdum aliquando cenſetur, verum ſi compares illud panno recens loto, potius nigrum exiſtimabitur, quam album.

1. *In principio Hom. 18 in Euang.*

Tract. 45. in Ioan.

Mat. 23. 13 & ſeqq.

Matt. 22.

Ioan. 8. 7.

Ieron. l 3. cõtra Pelag

Amb. l. 3. de Spiritu S. c 2.

2. Quod inſinuat Chriſtus.

Sẽcundum eſt, quod noſtri cauſſa, moriturus eſſet, ſine ſuo demerito: *quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, Chriſtus nec à nobis volebat conuinci; ideo cum colapho cæde-

1. *Pet. 2. 22*

crederetur, ait, *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene quid me cædis*, non quod ictum declinaret, qui probe nouerat, se tota nocte, ac die, infinitis flagris, sputis, ac cõuitijs onerãdum: sed vt declararet, se nec verbis delinquere, nec operibus, idque vt nos eum propensius amemus, ipsique gratias agamus, parati etiam aliquid pro peccatis sustinere. *Tertium* est: innocentissima ipsius vita, nullo vnquã peccato contaminata, sunt quidẽ nonnulli qui nullum lethale cõmiserint peccatum: quemadmodum de se testatur B. Iob quod in omni vita sua, *cor* eum (hoc est conscientia) *nunquã reprehenderit*, quia ei nunquam reluctatus erat, de Baptista quoque, ac Hieremia legimus, quod *in vtero matris sanctificati fuerint*; vt sine originali peccato, non quidem concepti, nati tamen sint: verum multa venialia, eos cõmisisse, dubium nõ est: pro quorũ expiatione etiam ipsi quotidie orabant, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c. duo solum tam originali, quam actuali caruere peccato: nempe Christus, & eius Sanctissima Genitrix Virgo Maria, idque cum hoc discrimine: quod Christus duabus de caussis peccare nequiuerit. *Primo* quidem: quod ipsius persona esset Deus, in quem peccatum nullum cadit: & licet naturam hamanam haberet, tamen quia persona, non natura, operatur, peccare Christus nõ poterat. *Deinde*: quia à conceptionis initio, instar Angelorum semper Deum vidit: sicut insinuauit, cum diceret se ire paratum discipulis locum: *vt vbi ego sũ, nẽpe in cœlesti gloria: illic & vos sitis.* Qui diuinæ beatitudinis aspectu fruuntur, peccare nequeunt, ideoq; impossibile erat, Christum vllo peccato obscurari. Porro Beata Virgo expers erat peccati, ob exuberãtiã diuinæ gratiæ, crystalli instar, quæ ad solis radios pellucet.

Iob. 27. 6.

Christi impeccabilitas vnde.

1.

2.

Ioan. 14. 3.

Quæ imperfectiones in Christo & cur?

1

2.

Nota Christum in se suscepisse humanæ naturæ omnes imperfectiones, famem, sitim, æstum, algorem, mæstitudinem, defatigationem & id genus alias: idque, *Inprimis*: vt per hoc se verum esse hominem testaretur. *Deinde*: vt in aduersis nobis patientiæ præberet exemplum: ignorantiam vero, & peccatum ac concupiscentiam non suscepit: hæc enim *Inprimis* non faciunt ad probandam naturæ humanæ veritatem, quia etiam Adam eis ante lapsum caruit: *Secundo*, quia nulla est i-

Quæ non & cur?

1.

2.

gno-

gnorantia in beatis,& nulla res tantum Saluatori diſplicet, quantum peccatum; quia nihil tantopere diuinæ cõtrariatur maieſtati, omnia. n. maculat,& ex lucidiſſimo Angelo teterrimum efficit dæmonem. de impiorum ſacerdotum ſacrificijs grauiter conqueritur Propheta, quod inuiſa, atque abominabilia diuinæ maieſtati facta fuerint, ſic vt tolerare ea amplius nequiuerit. Omnes virtutes, eleemoſinæ, oratio, ieiunium, ſi in peccato mortali fiant, inſtar panni menſtruatæ Deo ſunt exoſæ *Tertio*, in peccato conſiſtit omnis malitia; ſicut in Deo omnis bonitas, ac perfectio. in quolibet namque peccato reperitur ſuperbia, qua Deo te præfers. *Deinde* rebellio, per quam diuinæ te opponis iuſſioni. *Tertio*, occiſio animæ propriæ, & aliorum, quos ſcandalizas. *Quarto*, idololatria, cum peccator vltimum finem præter Deũ faciat. *Quinto* inordinata voluptas; diuinæ contraria voluntati. *Sexto* adulterium, quia Deo repudiato, dæmoni ſociaris. *Septimo*, furtum, cum Deum debito honore fraudas, *Octauo*, proditio, cum in Deum delinquens, bonus haberi vis *Nono*, Dei blaſphemia, quem ex corde eijcis. *Decimo*, Dei offenſa, quem peccator ſua vt inquit Bernardus ſpoliat deitate, quia putat Deũ peccata nõ poſſe vindicare, aut nolle, aut neſcire, quaſi vel omniſcius non eſſet, vel nõ omnipotẽs vel iniuſtus: q̃ eſt, non eſſe Deũ. Hæc etſi iam nõ tã accurate conſideramus, in iudicio ſeuere nobis præ oculis ſtatuẽtur, quãdo ſingula peccata ſua cum turpitudine, Deus nobis exprobrabit. Atq; ideo hic inſinuatur Chriſtus ab omni peccato immunis; vnde ſuo merito vel repræhẽdi, vel puniri, nõ potuit. Sũt inter homines qui ſine peccato vitã videantur agere, nonnulla habẽt quæ ab alijs reprehenſioni putẽtur obnoxia; quibus Apoſtolus ait, oportere *ab omne ſuſpicione mali cauere*: & Epiſcopos *irreprehenſibiles* eſſe monet. Nemo eſt tanta ſanctimonia, quin vel in verbis, vel operibus, aliquid ſaltem habeat, quod ab hominibus notari valeat: ſed Saluator noſter, in ſingulis dictis, factiſq̃;, tã eximiũ perfectionis ſpecimẽ apud omnes edidit, vt nemo, licet inimicus, quidquã depræhenderet, iuſtæ repræhenſioni obnoxiũ. *Quartum*: vt diſcamus Chriſtũ ſincera conſcientia, ac bonæ vitæ conuerſatione pro viribus imitari.

Iſaiæ 1. 13. 3.
Iſai. 64. 4.
Quot mala in peccato.
Serm 3. *de Paſchate.*
1. *Theſſ.* 5. 1. *Tim.* 3. *Tit.* 2.
4. docum.

Ipse enim deuitans peccatum assumebat cruciatus inediæ, frigoris, æstus, &c. nos contra fugientes dolorem, ac cruciatum, peccato succumbimus, volumus delinquere, sed puniri detrectamus, cum glorioſius ſit, ſine culpa pro iuſtitia; quam cum culpa, pro peccato aliquid ſuſtinere. Quemadmodum
1. Petr. 4. 15 Petrus ait, cum inquit, *nemo veſtrum patiatur vt homicida, aut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſed vt Chriſtianus*, hoc eſt, virtutis ergo. Patientes citra culpam, Chriſtum ſequimur; ſuſtinentes promeritam pœnam, fures. quod conſiderandum eſſet illis, qui conqueruntur ſe immeritos, damno iniuriaue affici; malunt illi furibus conformes eſſe, quam Chriſto. ad ſectandam autem Chriſti conuerſationem, oportet *Primo*

Chriſtum imitaturo quid incumbat.

1. frequenti examine, non ſolum peccata, ſed & bona quæ fecimus, an pura nitidaque ſint diſcutere: quemadmodū Pſal. 74. 3. Pſalmographus, *ego*, inquit, *iuſtitias iudicabo*. Deus cum fabricaretur orbem, quotidie ſua examinabat opera; nō ſolum in terris, ſed & in firmāmento cœli, nempe, ſolem, lunam, ſydera. Gen. 1. de quolibet etenim ſingulatim ſcriptura, inquit, *& vidit Deus* Ibid. 31. *quod eſſet bonum*: ſubiungendo finaliter, *viditque Deus cūcta quæ fecerat, & erāt valde bona*, idq; vt nos doceat, quotidie ſtudiorum noſtrorum intueri actiones, maxime poſt ſolis occaſum, & circa Septimanæ cuiuslibet decurſum, quando appropinquante Dominica ſacris intereſſe oportet, ipſumque ſanctiſſimum altaris ſacramentū, ſiue corporaliter, ſiue ſpiritualiter ſuſcipere ad profectum. Sicuti enim in conſpectu Regis, nemo lutoſa veſte vtitur, vel immundis digitis, nitidū contrectat linteum; ita nullatenus ad Eccleſiam te recipere, ac diuino Venerabilis Sacramenti te ſiſtere aſpectui debes, ante diligentem conſcientię emundationem: etſi id actu ſuſcepturus non eſſes. *Secundo*, debemus per frequentem con-

2. feſſionem peccata extirpare: quemadmodum enim homo, ſanitatis conſeruandæ cauſa, purgantia ſumit medicamenta, vt à noxijs liberetur: ita & nos frequenter debemus eructare virus, vt conſcientiæ puritatem conſeruemus. Confeſſio optimum pharmacum eſt, ab omni peccato inquinaméto cor noſtrum emundans. *Tertio*, debemus nos varijs virtutum ex-

3. Pſal. 36. 27 ercere ſtudijs: Dauide admonente, vt: *declinantes à malo, faciamus*

mus bonum: ſicuti namque molitor aſſiduo farinæ contactu albeſcit, & qui bene olentes tractat herbas, earum ſuauiſſimum attrahit odorem: ita qui quotidiano præſtantiſſimarũ virtutum ſtudio incumbit, mundus, nitiduſque efficitur.

Quintum. Quod aliorum Doctores: maxime Prælati, Cõcionatores, ac Confeſſores à peccato immunes eſſe debeãr: & licet ab omni abſtinere nõ poſſint: grauiora tamẽ, ac notabiliora, vt Paulus teſtatur, vitare poſſunt: monet enim illos vt *ſine crimine* ſint, hoc eſt, *irreprehenſibiles*: in Vet. Lege, nemo ſacerdos notabili vitio laborabat: nemo cæcus, vel claudus, paruo, grandi, vel retorto naſu, fracto pede, vel manu, gibb⁹, lippus, denique hernioſus, quemadmodũ enim ſacrificium, mundum, ac purum eſſe oportebat, ita & offerentes. In quo docemur, à quibuſnam ſibi cauere debeant ſacerdotes, vt digne miniſtrent: nam qui nullis literis, aut moribus tincti, nec puritatem doctrinæ habent, nec vitæ tenebras poſſunt, diſpellere, *cæci* ſunt. Qui rerum caducarum deſiderio, veluti æſtu quodam abrepti, toti ſunt in voluptatibus: vel Deo ſimul ac mammonæ arbitrantur ſe poſſe ſeruire, *claudi* ſunt. Qui de Dei præſumentes miſericordia, peccatorum fibras non euellunt, quin potius illas virtutis obtegunt velo, *naſum* habent *magnum*. Qui ingenij acumine elati, in fide titubant pluſque tribuũt ſuis ſenſibus, quã ſanctis: *naſum* habent *intortum*. Qui ira, inuidiaque tanquam ardentis furiæ facibus flagrant, nec ſe ſibi ſanos, nec alijs ſedatos eſſe patiuntur, his *ruptura* eſt grauior, quam vt ille totius lenitatis magiſter velit eos ſibi miniſtrare.

5. docum. *Tit. 1. 7.* *Leu. 21. 18.* Typus perfectionis Sacerdotum. Applicatio

Qui gulæ, ac carnis irretiti lenocinijs tanquam lutulentæ ſues, in voluptatum volutantur cæno, hos inficit *ſcabies*, à qua diuina abhorret puritas. Quorum conſcientiæ ſe in Deũ nõ profundunt: ſed languore peccati, tanquã morbo præpeditæ, ſemper in ſordibus hæreſcũt. hos *impetigo* cõſpurcat, à qua aliena eſt tantæ dignitatis perſona, ſacerdotis dignitas clara eſt, cæcos refugit: recta eſt, claudos nõ recipit; decora eſt, naſum magnum non admittit. alta eſt, naſum paruũ non patitur. Sincera eſt, naſum obtortũ excludit: liberalis eſt, gibboſum

sum arcet. patiens est, rupturā reijcit, nitida est, auersatur scabiē; pura est, abhorret ab impetigine. Itaq; Sacerdotes laudabiliter facerent, si aliorum de se sententiam indagerent; siue Ecclesiasticorum, siue sæcularium; num exemplo quempiam scandalisent; vt secundum hoc mores suos reforment. Idque exemplo Christi Saluatoris, qui subinde percunctabatur discipulos, *quid dicunt homines, de filio hominis*? homini quippe Ecclesiastico non sufficit priuatim inculpate viuere, verum etiam proximo bonum exemplum præbere debet, vt de se aiebat Paulus dicens; *prouidemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*: & alibi, *spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*, non enim solum nobis nati sumus sed & proximis. *Sextum est*: Talis cupiebat Domin⁹ ab omnibus haberi, qualis in veritate erat: nempe iustus, sanct⁹, misericors: ita factum, vt ne æmuli quidem, & calumniatores, aliud de ipso possent testari, quam quod omnibus exornatus virtutibus, inculpatam duceret vitam. Hinc dæmones aiebant: *Scimus, qui sis, sanctus Dei, & proditor*: *sanguinem iustum tradidi*, Et Pilatus ipse, cum morti eum foret adiudicaturus *Iustum* eum proclamauit, qui *nihil mali* commisisset: & vxor eius denuntiat marito, vt, nihil ei negotij *cum iusto illo*, ob cuius innocentiam, multa secundum quietem per visum esset perpessa: vt doceat, quod tam in articulo mortis, quam in vniuersali iudicio, eandem sit ostensurus vitæ innocentiam, quam in hac mortali vita exhibuit.

Mat. 16. 13
2. Cor. 8. 21
2. Cor. 4. 9.
6. docum.
Luc. 4. 34.
Mat. 27. 4
Mat. 27. 24.

Ibi in tribunali sciscitabitur ex te, an quidquam aduersus ipsum habeas? an non quicquid æquū, ac iustum fuerit, immo plusquam par est, præstiterit? quæ exhibuit beneficia, cū ignominia exprobrabit, ac vindicabit. Cum Samuel filijs Israel imperaret, postularūt illi Regem: quem & adsignauit eis: verū ille haud multo post, cōuocatis omnib. ingratitudinis eos arguit, exprobrās, q̄ sine causa eū repudiassēt, qui nūquam se vlla iniustitiæ nota contaminasset, neque munerib⁹ vllis, à recto virtutis tramite declinasset, & vt sui agnoscerēt prauitatem facti rogauit Deum, vt aliqua aëris tēpestate innocentiam suam comprobarer: quod & factum, descendēte grauí

2. Reg. 12.

graui pluuia, grandine, ac fulgure. Te vero multo seuerior affliget sententia, cum audies: *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quapropter, ita viue, vt tunc Christus non habeat, quod de te conqueratur; sed potius cum B. Martino in hora emigrationis tuę, possis Diabolis, animam tuam tunc vel maxi nè quærentibus, intrepidus dicere; *quid hic adstatis, cruentæ bestiæ? nihil in me funestæ reperietis.* multi hoc tempore dicũt, quis me peccati arguet? qui tunc pleni vitijs reperientur, nempe *in primis* magnates, existimantes sibi licere pro arbitratu, singula quæ possunt, ac volunt, peragere: quos ne monere quidẽ, ne dum arguere, quis audet. *Deinde*: qui peccata sua excusant, quasi pro suo statu decenter exornent corpus; ideo largius epulis vacent, ne tenacitate sua quemquam contristent: quod impossibile sit, iuuenili ætati tam cito frænos injcere; atq; id genus alia. At vero malignus ille spiritus, qui nunc tam friuolæ excusationis prætextum talibus suggerit, tunc mutatis velis, mirum in modum hæc eadem exaggerabit; nunc à fronte illis peccatum ostendit, palliatum facie humana, capillatura fœminea, ac corona regia (hoc namq; schemate Ioañes, peccatum depingit) sed illic scorpionum venenum in cauda exhibebit. Tu potius hic, peccatorum cõsiderans turpitudinẽ, ab ijs te quotidie emundes, & sic libera voce; tartareis illis spiritibus, in hora mortis dices; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* excusabit te conscientiæ innocentia, & Angelus custos.

Ibidem 17. *Mat.* 25. 41.

Sulpitius in eius vita.

Christi verbis citatis abuntur.

1.

2.

Apoc. 9. 7.

Septimum, quod ex hisce Christi verbis discere possumus, est, *Ex vobis*; non enim dicit simpliciter, *quis me arguet de peccato*; sed *quis ex vobis, me arguet de peccato?* quamquã enim nec Angelorũ, nec hominũ quisquã, minimã in Christo deprædere posset peccati labem; nihilominus Pater ille cœlestis aliquot in ipso peccata cõspexit; *quia, posuit in eo iniquitatẽ omniũ nostrũ*, inquit Esaias: Hinc Zacharias testatur, se vidisse Iesum, sacerdotem magnum, *sordidis indutum vestibus.* quod significat, Cypriano teste, Saluatorẽ nostrũ Iesum omnia in se suscepisse peccata: ob quæ ita per Psalmographum exclamat; *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Lõgè à salute mea, verba delictorum meorũ.* Hęc itaq; peccata Christ⁹ in se suscipiens, à Patre cęlesti est repertus cũ peccato. quemadmodũ si famulus, Domino quidquã

7. Documentum.

Isa. 53. 6. *Zach.* 3. 3. *Cypr. lib. 2. ad Quirin. c.* 13. *Psal.* 24. 1.

ſurripiat, cui alius quiſpiam rurſus id eripiat, ſicq; deprehendatur pro ipſo fure patibulo affigendus. Itaq; non ſine cauſſa Deus Filium ſuum in crucem, agi permiſit; nempe, ob iniquitatum noſtrarum reatum, qui digna erat expiandus pœna. Hæc igitur ſæpius mente tecum pertractans, à peccatis abſtinebis, vtpote quæ Chriſto necem intulêre; ſimulq, ad feruẽtiorem ipſius amorem inflammaberis; Dei omnipotentis, tam ſeuere peccata vbiq; vlciſcentis, vindictam extimeſcens: nam ſi in vnigenito ſuo Filio, qui infinitæ erat dignitatis, tam ineffabili tormentorum cruciatu ea eſt vltus; procul dubio & in te, ineffabiliter eadem puniet.

III. Septem alia documenta. 1. *Si veritatẽ dico, quare non creditis mihi?* hic quoq; Chriſtus ſeptem nobis proponere intendit. *Primo*: reddit rationem, cur à Iudęis interemptus fuerit; nempe, q veritatem eis libere dixerit, eorũq; peccata redarguerit. Pater ideo filium ſuum neci tradidit, q ſolus eſſet vitæ integer: Chriſtus ex charitate, libenter ſe ipſum obtulit; ſed Iudæi ideo illũ ſuſtulerunt, quod veritatem, quam docebat, admittere detractarent.

2. *Secundum* eſt: conditio Concionatorũ; talibus namq; præ cæteris, conuenit, vt vitam ducant, nulli obnoxiã repræhenſioni; ne ijs ſint coinquinati peccatis, quæ in alijs reprehẽdũt; ſed iſtis pręditi virtutibus, quas populo cõmendant. Qua ratione audebit inuehi, in gulam, luxuriamq;, qui ipſe ebrietati, luxuiq; deditus, ieiunij leges infringit? quo pacto caſtitatis præconem aget, qui venerem amat? Chriſtus quidem præcipit, vt ad doctorum inſtructiones magis, quam vitam attenderemus: ſed tamen tam ſumus fragiles; vt viſis potius, quam auditis credamus, quia exempla plus mouent, quam verba: & viſus efficacius docet, quam auditus. Cuius vt Chriſtus nos admoneret, dixerat primo: *Matt. 23. 3* *Quis ex vobis arguet me de peccato?* at quoniam vita inculpata ſola, non plene inſtruit: ſubiungit, iã hic; *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* vt nemo Doctoris ſibi vſurpet munus, niſi & eruditione polleat. Non puduit beatiſſimũ Paulũ ſtudij, in ſenili ętate, quanquã electus Dei eſſet Apoſtolus, donis ſapientiæ, ſcientiæ & intellectus exornatus. Cũ enim Romæ Neronianis ſtringeretur vinculis, iuſſit ſibi adferri *Codices*, ac *membranas*. & Timotheum cõ- *2. Tim. 4. 13.*

mendat,

mendat, quod *ab infantia ſacras* didicerit *litteras*; quem & monet intendere *lectioni, exhortationi & doctrinæ*. Itaque perperam *inprimis* agunt Hęretici, qui nullo litterarum inſtructi ſubſidio, cõcionatores prodeunt, arbitrati ſe theodidactos. *Deinde* nonnulli Catholici Concionatores, qui cum non ſint ſufficientis eruditionis, ad prædicandum ſeſe offerunt: quorum inſcitia nonnunquam aliquid elabitur, quod ſimplicibus erroris ſit occaſio. *Tertio*: qui immoderate ſtudijs incumbentes, ſolummodo venantur rerum dicendarum materiam, poſthabita meditatione, qua compingi, ac moueri poſſint, & horas canonicas omittentes: aut eas tam rapide deglutientes, ac ſi ſcuticis compellerentur: cum tamen non minus prece, quam ſtudio proficiamus: vti de ſe teſtatur B. Thomas. B. Bernardus quoque dulciſſimos illos ſuper Cantica Salomonis ſermones magis precum ſuffragio, quam prouolutatione librorum elaborauit: Similiter & Gregorio Pontifici ſubtiliſſimas illas in Ezechielem, homilias elucubranti, diuini ſpiritus gratia præſto fuit, ſuggerens illa quæ erant exaranda. Cum enim illis dictandis intentus, ſolus poſt cortinam reſideret, volens eius amanuenſis ſcire, quid ageret: reſpexit, per conniuentis cortinæ latus, & ecce, vidit Spiritum ſanctum, in ſpecie nitidiſſimæ columbæ, humeris Gregorij inſidentem, eaque quæ oretenus dictabat, auribus ingerentem. De beato Franciſco, quidam inſignis Doctor, cum loquentem eum audiret, aiebat: huius ſanctiſſimi viri eruditio, ad inſtar aquilæ ſurſum volitat, noſtra vero humi reptitat.

2. *Tim.* 3. 15
1. *Tim.* 4. 13.

Error aliquorum.
1.
2.
3.

Tertium, proprium Chriſti officium eſſe: veritatem, vt coram Pilato palam teſtabatur, edocere. *ego*, inquit, *in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*: vt ſcilicet, illam alios doceam. Huic ergo magiſtro fides habenda. qui illum audierit, beatus: qui vero reiecerit, poſtmodum vel inuitus audiet, dicentem: quia flagitioſam duxiſti vitam, abi in ignem æternum.

3. Docum. *Ioan.* 18. 3.

Quartum, quod etiam nos, exemplo Chriſti debeamus, cũ tempus, ratioque poſtulant, veritatem libere profiteri, peccata arguere, proximorũ defectus ipſis ante oculos ſtatuere.

4 Docum.

Zacharias Propheta, fatetur se vidisse mulierem amphoræ
Zach.5.8. insidentem, ac massam plumbeam ore retinentē, qua meticulosi designantur, qui plenis buccis nihil audēt eloqui, Donaria, & honoraria, eorum obstruunt fauces. ex horum numero, sunt plurimi aduocati, & iniusti iudices, muneribus excæcati. Doctoribus qui secundum diuinæ veritatis normā,
Ezech.33.8. peccata non castigant; Dominus per Ezechielem comminatur, quod subditorum sanguinem, de eorum manibus, sit requisiturus. qui vero veritatem subticentes, etiam mendacia docent, (quod proprium est Hæreticorum, ac Pseudoprophetarum) duplici plectuntur pœna, tum, quod veritatem subticuerint; tum, quod falsitatem malitiosè docuerint.

5. Documen. *Quintum* est: quod deceat nos indagare causam, cur veritatem, audire detrectent homines: maxime, cū, Philosopho
Lib.1. Metaphy. c.1. in princ. teste, *omnes naturaliter scire desiderent*; & scientia sine veritatis cognitione subsistere nequeat. Christus videtur hic, cū admiratione, hanc insinuare quæstionem; qui fit quod vos Iudæi, mihi veritatem docenti fidem non habetis? cum natura omnes veritatem appetant? certe mirum est, veritati non solum fidem non haberi, verum etiam ei, plus quam vllis alijs rebus, cōtradici. veritatis propugnādæ caussa Martyres fudêre sanguinē, diuersosq; sustinuêre cruciatus: & Christus æterna veritate docet, nos sobrietatē; castitatem, humilitatem, aliasq; passim virtutes, regiamq; qua ad cœlum itur, viam, demonstrat; sed nemo est, qui audiat, nemo qui obtemperet. Hæretici ex diametro contrariū docent: nempe bonorū operum studio, nihil quemquam mereri; licita monachis, post solenne castitatis votum, coniugia; &c. & tamen sunt, qui audiāt, moremque gerant, imo qui aliter docent, odio habentur:
Teren. in Andria. iuxta vulgare poëtæ dictum: *veritas odium parit*; quænā huius rei caussa, si dicitis id fieri, quia veritatem homines ignorant? Respondebo. Christianos veritatis ignorantia non excusatum iri; cum Ethnici fide destituti eam norint, *naturaliter ea*
Rom.14.2. *quæ legis sunt*, vti Paulus ait, *facientes opusque legis in cordibus suis scriptum ostendentes*; testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Nos vero Christiani, præter naturam, fidem habemus, quæ multo nos certiores diuinæ veritatis reddit,

quam

quam vllis ingenij viribus intelligere valemus. itaque ſolius voluntatis iſta eſt culpa, quod veritatem reſpuentes, mendacijs contra conſcientiæ dictamen adhæreamus. Voluntatem concupiſcentia, illa vero intellectum deprauat; quaſi id bonum ſit, quod ſuggerunt paſſiones. vnde nihil audimus niſi quod gratum eſt, doctorum euitamus conſortium, vel odio conuitij ſque eos inſectamur. Ita olim Iudæi, Prophetæ veritatem docenti aiebant: *nolite prædicare nobis, ea quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia: nam ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Achab, Micheam, magno perſequebatur odio quod ſemper veritatem ingereret. veritas ſenſualitati reluctatur; ideoq, ab hominibus ſenſui deditis non amatur, nec ſuſcipitur; ſed profligatur & pro mendacio reputatur. Ad quod Diabolus pater mendacij, perſuadet bonum eſſe malum, ac malum bonum. Cum in pharmacopolio multæ ſint pyxides, ac lagenæ, varijs inſtructæ medicamentis, foris præ ſe ferentes ſingulorum titulos, tũc quodlibet facile eſt repertu; verum ſi quis ſingulorum immutet titulos, inſcribendo; ſyrupi nomen vaſculo acetario; ſaccari, toxico; mellis, felli, &c. ingentem rerum inducet confuſionem, miſere decipiens illos, qui ex ſolo titulorum intuitu, de pharmacis ſententiam ferunt; licet illi non decipiantur, qui ſingula dignoſcunt. Adamus ab initio mundi cum eſſet rerum omnium inſtructus cognitione, ſingulis creaturis proprium indidit nomen: Verũ Diabolus humani generis hoſtis, omnia confudit, quando parenti noſtrę Euę fraudulenter impoſuit, ſuggerens guſtationem pomi, ad boni malique ſcientiam, pharmacum eſſe præſtantiſſimum: cum reuera nihil illo eſſet ad perpetuæ damnationis conciliandum nobis interitum peſtilentius, virulentiuſque. Deinde cæteris fere rebus eandem intulit ataxiam, laudans idololatriam, immunditiam, auaritiam, ſuperbiam, mundi faſtum, honorem, & quicquid malum eſt; bonum autem vituperans. Deus Iſraeli decalogi legem præſcripſit: vt quid bonum, quid malum eſſet, diſcerneret: verum tartareus ille ſerpens ſenſualitatis præſidio, haud longe poſt rerum nomina, denuo mutauit: dicens bonum malum, & malum bonum, ponens tenebras lucem, &

Eſa.30.10
Iob 21. 14.
3 Reg.22.8

lucem tenebras, conuertens amarum in dulce, & dulce in amarum, vt Deus per Esaiam conqueritur, Christus verus ille medicus rursus sinceram salutis semitam nobis præscripsit, quælibet cum debita titulorũ assignatione, suis reponens locis, præficiens Ecclesiæ eximiæ prudentiæ Doctores, qui adulterinam Diaboli mutationẽ dignoscerent. Ad quod plurimum conducunt sermones, & adhortationes Concionatorum, Confessariorumque quibus qui fidem cõmodare velit, haudquaquam se deceptum inueniet. si detrectat, indoctos sibi adsciscere Confessarios, ineptos concionatores, peccata reprehẽdere nõ audẽtes: q vero fugit doctiores, à quibus salubriter moneatur, ac mundi blãditijs acquiescẽs vitiorũ deformitatẽ aliquo virtutis ꝓtextu palliat, fast⁹ ei decor est, cõmessatio, hilaritas; auaritia, prudẽtia; iracũdia, zel⁹; incõtinẽtia, imbecillitas; sed aliquãdo se misere deceptũ proclamabit.

6 Docum. *Sextum*, quod Christus intendit, est; vt sæpenumero, hanc quęstionẽ, nobis inculcemus: si veritatem mihi dicunt Pastores, ac Concionatores, quare illis non credam? maximè verò Hæreticis cõuenit, vt frequentissime id faciãt, (qui nihil aliud quã verbum Dei crepantes, veritatem solis sibi vendicãt) præcipue cũ à Catholicis interrogati, de rebus ignotis, respõdere nequeunt. tũc etenim pisce taciturniores obmutescunt.

Ab hæreticis quid interrogandum? Nempe cum *inprimis* quærimus: vbi, & quando, & à quibus Apostolica sit adulterata, ac immutata doctrina? quis primo Missæ celebrauerit Sacrificium, aut confessionẽ audiuit, &c. *Deinde*, in quo orbis angulo ipsorum fides, ante Annum 1517. cum primo venenata inciperet dogmata spargere Lutherus, exstiterit. *Tertio*, vbinam scriptum sit, nihil esse credendũ prętерquam litteris exaratum, ac scripturis proditum? *Quarto*: quare explicatio Scripturarum, quã ipsi profitentur, prestantior sit, quam illa quæ ab annis mille quingentis Ecclesiæ vbique vsitata fuit, atque à tot sanctissimis Patribus concorditer tradita? *Postremo*, cur nouæ adhęreant doctrinę, quę nec vllo miraculorum testimonio est comprobata, neq; certo aliquo indicio confirmata? quis in ea defunctus æternos gehennæ cruciatus euaserit? Ad has propositiones nullus plene vnquam respondit: vt operæ pretium facturi videantur, si conscientiam

1.
2.
3.
4.
5.

scientiam ingressi, ita secum ratiocinentur; hæc si vera sunt, quid est, cur ijs non adsentiar? *vt quid amplius diligimus vanitatem, & quærimus mendacium*? quin & Catholici in peccatis degentes, eadem secum merito deberent peruolutare, ruminantes illa, quæ concernunt fidei dogmata. Credisne vnum Deum, ac statutum cuilibet semel mori, ac post mortem de singulis operibus, cogitationibus, verbis strictissimum instituendum examen, in quo nihil penitus, inultum dimittetur? credis quodlibet mortale peccatum inferni pœnas promereri, nullo fine duraturas? quodque nunc in statu damnationis viuens, crastinum tibi polliceri non possis, imo nec horulæ spatium? hæc credens, cur quæso non consideras id quod consequitur; nempe, oportere te quamprimum peccata confessione expiare; si cœlestis regni ianuam, per quam nihil intrat coinquinatum, velis ingredi.

Psal. 4. 3. Quid à malis Catholicis interrogandum. *Apo* 21. 27

Septimo, quodlibet Christi verbum trutinandum, vt eo vehementius animis cõmoueamur. *Primo*: pronomẽ istud. (*ego*, & *mihi*) ex quo singularis Dei elucet bonitas, ac benignitas, qui non contentus, nos per Prophetas, Doctores, Euangelistas, varijs temporibus instruxisse; tandem ipsemet, docturus nos venit, vt per Psaltem Regium testatur: *Sacrificium & oblationem noluisti. tunc dixi ecce venio*. vnde *Doctorem iustitiæ*, inquit Ioel, *dedit nobis Deus*: quem oculis intueremur, quique à nobis vti Esaias ait, *auolare vltra* non posset, qui namque, inquit Apostolus, *Olim Patribus locutus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Aduertamus ergo quid hic tantus magister nos docturus sit. Deinde *dico*, nempe non verbis solum, sed & operibus; nam de Baptista inquit scriptura, *vocem* eum fuisse, quia non ore tantum, sed toto vitæ decursu pœnitentiam demonstrauit, & modum viæ Christo præparandæ; sed multo id efficacius Christus sanctissimæ vitæ suæ conuersatione, atque inculpatis operibus loquitur: tum per bonas inspirationes, tum per Doctores, ac Vicarios suos, immo per singulas creaturas, quæ nos eius gloriam, bonitatem, potentiam, ac veritatem edocent. sic Dauid: *Cœli* ait, *enarrant gloriam Dei*. quidquid videmus, Dei cultum ac reuerentiam docet. Tertio *veritatem*: certe veritate nihil amabilius,

7 Docum. Expositio verborũ. *Ego.* *Psal.* 39. 8. *Ioel* 2. 23. *Esa* 30. 20 *Hebr.* 1. 1. *Dico.* *Matt.* 3. 3. *Psal.* 18. 1. *Veritatem.*

Ioan.8. 44 bilius, mendacio nihil detestabilius, veritas est Deus, & à
Ioan.14 8 Deo, mendacium peccatum est, proueniens à Diabolo, qui
Ioan.17.3. pater est mendacij. Christus de se ipso testatur, quod sit, *via, veritas & vita: via*, quia regni cœlestis semita; *vita*, quia Deum videre, vita æterna est, *veritas*, autem *primo*, secundum Deitatem suam, in qua veritas est; *deinde* secundum naturam humanam quæ in omnibus verax est, itaque æquum est, vt veritatem audientes diligamus, mendaciũ vero fugiamus. *Quarto.*

Vobis. *vobis.* omnis veritas à Christo siue amara, siue dulcis sit, *Nobis*

Rom.15.4. dicitur *quæcunq; enim scripta sunt*, inquit Paulus, *ad Doctrinã nostram scripta sunt*; & quicquid nobis dicitur, nostri emolumenti caussa fit, infernum vobis minitamur, ne in illum incidatis, gehenna non solum reprobis creata est, verũ & electis; vt in

Chrys.ho. 7. & hom. ad pop. Antioch. continuo virtutum progressu, eius metu contineantur. *Quinto. Creditis.* Christ⁹ verbis, operibusq; omnib. nihil desiderat, quam vt credentes, fidem ei adhibeamus: quod sicuti facile,

Creditis. Ser 230. de Tempor. Iac.2.17. ita vtilissimũ est, nam teste Aug. *qui bene credit, non facile improbe viuet.* omnes Catholici veram fidem habent, à qua & fideles nuncupantur, qui tamen secus viuit, quam fides docet, mortuam habet fidẽ, quia nec operatur, nec sentit: Atq; ideo sicuti cadauer corpus quidẽ est, licet alterius naturæ, quã cum viuit; ita & fides mortua, fides est, sed indigna hoc nomine.

Serm.2. de Octaua Paschæ. hinc Bernardus, *Putasne*, inquit, *illũ in Christum credere, quisquis ille est qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilijs acquiescit? nonne is etsi fateatur se nosse Deum, factis negat?*

IV. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos nõ auditis quia ex Deo non estis.* Cum iam ostendisset Dominus, sibi nõ esse Iudeorũ adscribendã incredulitatẽ, quia probi Doctoris functus erat officio: (erat nãq; vitæ inculpatæ, peccati expers: & doctrina ipsius vera, imo veritas ipsa) consequenter rationẽ reddit, cur dictis ipsius fidẽ non habuerint, nempe, quod excæcati malitia, non ex Deo, sed ex diabolo essent: quotquot, enim Dei sunt filij, libenter Deum audiunt. simul eorum ostendit mẽdacium, qui paulò ante in superiori Euangelio contestati erant, se Deum habere patrem: cõfirmans quod dixerat: ipsos esse ex patre Diabolo, vnde Christi talis est syllogismus.

Omnis

Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit:
Vos verba Dei non auditis;
Ergo, ex Deo non estis.

Cõsiderandæ autẽ hæ duæ propositiones, ex quib⁹ recte infertur cõclusio: *Prima* est; *Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit.* Esse ex Deo, nõ significat, ex Dei natura originẽ traxisse, aut natũ esse: (vti Heraclionitæ, ac Manichæi olim somniabant) neque prædestinatũ esse (multi enim Dei verba audiunt imo ex Deo sunt, ac Dei filij qui postmodum labuntur: quemadmodum, Saul, Iudas, Origenes, alijque plures, qui ad tempus recte credẽtes, postmodũ in lethali moriuntur peccato) verũ ex Deo, esse, est in gratia, ac amicitia Dei existere, ac Dei spiritu, ex quo & filij Dei nominamur, p̃ditũ esse. *Quicunq; enim spiritu Dei aguntur*, inquit Paulus, *ij sunt filij Dei*: qui *nõ ex sanguinibus*, quemadmodũ mortales omnes, prouenerunt; neque ex voluntate carnis, hoc est, libidinis œstro; *neq; ex voluntate viri*, legitimo nimirum matrimonio, *sed ex Deo nati sunt*; nempe per gratiã S. Spiritus, *quæ semen Dei est*; de qua & idẽ ait: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatũ nõ facit: quoniã semen ipsius in eo manet.* Insuper *audire verbũ Dei*, nõ est, illud corporalib⁹ percipere auribus quod & canes possunt, & feles; aut intelligere, quod mali possunt; aut libenter audire sermones, & legere scripturã; vt hæretici iactitant: verum credere Dei verbo, illique obaudire, neque solum ei, quod in scripturis legimus, sed omni quod Deus dixit, & diuino spiritu edocti sumus: nam quemadmodum scriptura verbum Dei est, quod instinctu Spiritus sancti exarata sit, ita etiam illud Dei verbum; quicquid Ecclesia Christi sponsa, per eundem spiritum docet, & loquitur.

Maior syllogismi. Esse ex Deo, quid? *Rom.* 8 14. *Ioan.* 1. 13. 1. *Ioan.* 3 9. Audire verbum Dei.

Disce hic *inprimis*: Tam nostræ, quam priscæ tempestatis hæreticos, temere, ne dicam stolide, gloriari; dum ex hisce Christi verbis sibi persuadent, se filios Dei: quia Dei verbo gaudent, nihil aliud crepant, quam Euangelium ac purum Dei verbum, insultant Catholicis nos Dei verbo reluctari, & vita dissentire. Nam Christus hic in primis de scriptura non loquitur, sed de verbis suis, bonisque instructionibus, ac doctrinis, quarum pleræque etsi ab Euangelistis sint scriptæ maior tamen pars scripta non est. Testatur Ioannes Christũ *Ioan.* 21. 25.

Documenta. 1.

alia plurima insuper fecisse, quæ si singulatim perscribēda forēt, arbitrari se, *mundū eos qui scribēdi essent libros haud posse capere.* Non quod scriptura imperfecta sit, quia non ideo data est, vt omnia Christi dicta, factaq; nobis ante oculos poneret, sed præcipua, vt inde intelligeremus Christum vna cū diuinitate veram suscepisse naturam humanam (hæc namque primaria Euangelistarum omnium fuit intentio) redderemurq; cautiores aduersus noua, quæ tunc pullulabant, hæresum commenta, simulque ad virtutem expeditiores, quo Apostolicæ potissimū spectant epistolæ. Ideo non omnia literis sunt cōsignata, quod arcana, Christi Saluatoris mysteria, eiusque salutaria documēta, tam sint sublimia, multiplicia, atque intellectu difficilia, vt ne ingenio quidē comprehendi; multo minus calamo exarari queant. Atq; ideo necesse erat, vt in corde Ecclesiæ, per diuini numinis digitum, Spiritum sanctum videlicet, vti Deus olim Paulo adstipulante, promiserat, scriberentur. hæc autem mentalis, vt ita dicam, scriptura, illam nobis peperit, quam postmodum literis exaratam accepimus, quam eximia aliquot eiusdem Ecclesiæ membra diuino suggerente Spiritu ad posteros transmiserunt. Neque abs re est quod Christus hic dicat, *Verba Dei*, & non *Verbum Dei*: vt hinc nimirum disceremus; illum haudquaquam ex Deo esse, qui nō omnia ac singula ipsius verba suscipit. Quemadmodum *inprimis* faciunt hæretici, qui illud Dei verbum, quod literis consignatum est, solummodo suscipientes; alterum illud in corde Ecclesiæ scriptum nobisque Apostolica traditione commendatum, reijciunt. Qui exiguum aliquod Dei verbum respuit, Dei filius non est: nam *qui in vno offendit, omnium factus est reus:* Hoc est, qui vni articulo fidem derogat, omnibus derogat; eligens nimirum id quod credere vult, omissis interim alijs. Quemadmodum in hæreticis nostris apparet. *Insuper*: illi verba Dei non credunt, sed adulterina aliqua interpretatione vitiant. Non secus ac si quis in parentis sui testamento, reperiens quod cognato suo, mille debeat coronatos; nolit hæc de vsitata moneta intelligere, sed potius de pictis fictisque coronatis: an non talis pro impostore, atque sophista habebitur, quia testamēti verba potius, quam inten-

Cur non omnia scripta?

Hier. 32 38
Hebr. 8. 10

Cur dictum: *Verba?*

Peccant hic primo hæretici.

1.

Iac. 2. 10.

2.

intentionem, mentemque testatoris spectat. Quando ergo Nouatores, aliter scripturas intelligunt, quam à Deo intellectæ sunt, reuera Dei verbum non habent, sed proprij capitis commentum, hæreticumque figmentum. Quemadmodum qui hunc contextum, *Hoc est corpus meum*, ita exponit, vt dicat: *Hic panis est corpus meum*, vel est *Symbolum corporis mei*, is nullatenus Dei verbum in hoc textu habet, sed potius diaboli; cuius instinctu sacrilegum excogitat sensum, diuinæ menti prorsus contrarium. Textus namque iste. *Hoc est corpus meum*; superiori modo perperam explicatus, neutiquam Dei verbum censeri poterit etiamsi à Christo prolatus sit. Sicuti enim eadem verba, res possunt significare diuersas: nomen namque Pauli & Apostolum, & Paulum Samosatenum, aliosque tam bonos quam malos signat: ita vnus idemque textus, pro diuerso hominum studio, ac voluntate, diuersimode explicari potest. Genuinus sacrarum literarum intellectus, purumque Dei verbum illud duntaxat est, quod Ecclesia Christi sponsa pro tali habet, atque agnoscit. Sicuti namque nemo melius vxore nouit patrisfamilias mentem, maxime in rebus domesticis: ita nullus tam accurate diuini verbi sensum assequitur, quam Christi sponsa, cui per Apostolos statim postquã à mortuis resurrexisset, *aperuit sensum vt intelligeret scripturas.* Hinc est quod Ioannes ait; *qui nouit Deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos, in hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Quasi dicat, Apostolorum vox, ipsiusque sanctæ Ecclesiæ, Dei omnino vox est, Deique; verbum adeo vt quicquid ipsi nos doceant, Deus ipsemet censeatur docere. *Luc.24.45* *1.Ioan.4.6.*

Disce *secundo*, non solos hæreticos nõ audire verbũ Dei, verumetiã Catholicos malos, quib⁹ etsi externę sint aures, veluti etiã canib⁹; desunt tamẽ internæ, de quib⁹ Christus: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Multi Dei verbũ audiũt, sed nõ gustãt; instar adolescẽtis illi⁹ qui cũ à Saluatore intellexisset, facultates relinquẽdas, atq; in pauperes distrahẽdas, si perfectioni vellet incũbere, *tristis* abijt. Alij cũ dulcedine illud gustãt, verũ illa in intellectu manet, sine volũtatis operatione, qualis erat Origenes Adamãtius, qui ex scripturis, vti ex libris ipsius constat, eruebat subtilium rerũ speculationes, turgẽs interim supe- Peccant secundo mali Catholici. *Matt.13.9* *Mat.19.2.*

Greg. hom. 18. in Euã. in princ.

ſuperbiæ faſtu. Alij libenter verba Dei ſuſcipiunt, reſoluuntur in lachrymas, parati vitam in melius mutare: verum quando aliqua ſeſe offert difficultas, deſiderium illud, non eſt tam feruidum, vt expellat deſidiam, in quibus illud Salomonis

Prou. 13. 4.

locum habet: *Vult, & non vult piger.* Alios reperias, quorum & voluntas, & intellectus, ita in Deum rapitur, vt omnes corporis, animiq; vires, libentiſſime diuino impendant obſequio. Cæterum illi hac in re victoriæ referunt palmam, qui non ſolum ad Dei verbum vitam componunt, verumetiam, de eodem frequenter cogitantes, nullo tædio afficiuntur, ſiue id ab alijs audiãt, ſiue ipſi de eo ſermocinentur. de B. Paulo Heremita, Hieronymus commemorat, quod accedente Antonio de rebus cœleſtibus loquentes, nocte duxerint inſomnem. Talis quoque erat Baptiſta Ioannes, qui de ſeipſo loquens, ait: *Amicum ſponſi, audire vocem ſponſi.* & Pſaltes, *quam*

In vita B. Pauli.

Ioan. 3. 29.

dulcia ait, *faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Atque hinc

Pſ. 118. 103.

Dei te filium licet agnoſcere, ſi Dei verbum audiens, ad illius normam, vitæ rationes tranſigis; ſin terrena ſapis, filius es

Gen. 3. 14.

ſerpentis, diuinæ maledictionis iuſſu terram commedentis:

Phil. 3. 19.

frater eorum, de quibus Paulus ait, quod *terrena ſapientium gloria in confuſione ſit.* Videmus quælibet animantia peculiarẽ eſcam quærere, equi auenam anhelant, Leones crudas carnes, canes oſſa; & tu animæ cibum quære; appetit illa, prout diſpoſita eſt. Si iumentorum delectaris cibo; nempe, delitijs, voluptatibus, otio, ac deſidia, beſtia eſt; ſi honores, opeſue affectas, odioq; atque inuidia flagras, diabolus eſt, ſi auaritia

Prou. 30. 15

fœtet inſatiabili, filia eſt inferni, qui *nunquam*, Salomone teſtante, *dicit ſufficit*; ſi Dei verbum, & cœleſtia ſapit, filia Dei eſt, ac Regni cœleſtis hæres.

Eccl. 9. 1.

Iob 9. 21.

Diſce *tertio*, etſi nemo certus ſit de peccatorum remiſſione, *Neſcit enim homo vtrum amore an odio dignus ſit*, adeo vt Iob dicat *etſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*, eſſe tamen quandã ſpei certitudinem, per quędã quæ in nobis ſentimus indicia ne ſemper dubij vacillemus, Chriſtus horum vnum hic vti ſuperius dictum adſignat: nempe, libenter audire Dei verbum, illudq; opere implere, in quo poſſunt, & alia nonnulla comprehẽdi indicia à D. Bernardo, *a* B. Thoma, *b* Ger-

a In Cant. ſer. 16 37. 68. 69. & epiſt. 42. & 107.

b 1. 2. q. 112. art. 5.

ſone,

sone, a cæteris que consignata: nempe, nullius peccati sentire remorsum, magna gaudere animi voluptate, rerũ diuinarum flagrare desiderio, mundana ac caduca aspernari vt nauseam moueant, dolere de commissis peccatis, cum sincero ea confitendi ac nunquã iterandi proposito, animi passiones ratione continere: quemadmodum paraliticus ille qui antea in lecto iacens, postea eundem in humeros sustulit, peccatores passionum circumferuntur impetu, pij Deiq; filij ad diuinæ seruitutis obsequium, rationabiliter inflectuntur: deinde libenter moneri, ac corrigi, illibenter audire aut cõmemorare laudes proprias; vt elati, ac tumidi, commendari gestiunt, increpationis impatientes; ita humilitatis indicium est, aspernari laudes proprias, aliorumq; admonitiones, grato animo suscipere. Obserua à Christo non poni hic indicium filiorũ Dei quod verbum Dei retineant, sed quod illud seruent; vt hac ratione nobis adimat pusillanimitatis metum, si forte nõ omnia quæ pro cõcione dicuntur, ob memoriæ lubricitatem retineamus: cum satis sit Dei verbum audire, indeque, quod nostro conducat profectui decerpere. Quod si omni concione præstiterimus, facile conuersationem ad diuinam voluntatem dirigemus.

a *Tom 2. operum tripart in trib. verit. cap. 16.*

Matth. 9.

Minor propositio erat: *vos verba Dei non auditis.* Pharisæi quidem omnia quæ Christus loquebatur, audiebant, non tamen vt Dei, sed vt hominis verbum: ita non discendi, sed arguendi calumniandiq; animo accedentes, non meliores efficiebantur. Multi illis similes, conciones, non ea qua decet intentione adeunt, vnde plerumque immundiores domum reuertuntur, quam accesserunt. Magna est omnipotentis Dei gratia, quãdo quis animo prauo se confert ad concionem, & compungitur. Cùm S. Thomas Aquinas, adhuc adolescens à matre in carcere coniectus esset, quod ipsa reluctante, esset amplexus Religionem, sorores ad eum se contulerunt, vt à sententia abducerent. Sed altera earum posthabitis mundi pompis, virginitatẽ professa Christo se dedit. Verbum namque Dei adeo est efficax, & vti Paulus ait, *instar gladij ancipitis, corda penetrat.* Si enim verba Diaboli ab incantatoribus prolata serpentes producunt, quanto magis verbũ Dei, immutabit ani-

Declaratio minoris.

Hebr. 4. 12.

bit animas? Huius rei insignia aliquot exstant exempla, maxime in duobus mimis: quorum vnus Ardalion *a* nomine, apud Græcos, alter vero Genesius, *b* tempore Diocletiani Imperatoris Romæ, celeberrimus *extitit*. Cùm Cæsares, oblectare se vellent, per iocum arcana Christianæ fidei mysteria representabant. Genesius namque in theatro ægroti instar, lecto decumbens, Presbyterum Christianorum videbatur requirere, à quo instructus, se ad agonem disponeret: veniēs autem in proscænium personatus Presbyter sciscitabatur per risum à Genesio, velletne, Christo dare nomen? ac Christianæ fidei mysterijs initiari? Ille Respondens quod sic, aquis lustralibus verborum adhibita forma, expiatur, atque ex ethnico Christianus ironice proclamatur. Verum Genesius qui huc vsque Christianorum sacris illuserat, cum aqua perfunderetur, vidit supra se manum cœlitus porrectam, atq; Angelos Dei ignea radiantes facie, sibi propius adsistentes, flagitiaque, quę à primęuæ ætatis initijs vsq; ad id tempotis, admisisset, è libro recitantes, dicentesque: *Aqua hæc diluit omnia quæ te agnoscis perpetrasse.* Salutari ergo lauacro tinctus, ille niue candidior apparuit, vt superioris scripturæ nulla prorsus in eo vestigia cernerentur. Itaq; è lecto consurgens, intrepidus Imperatorem, rei spectatorem adijt, publicè contestans se sincere Christianorum baptisma percepisse, ac per Dei verbum, & Sacramenti virtutem, ex mimo Christianæ fidei alumnum. Horrendis itaq; tormentis glorioſissimus Christi martyr occubuit, anno nimirū tertio supra trecentesimum, 8. Kal. Septembr. Noli verbū Dei negligere, si forsitan in scęlerum malitia es induratus, fieri potest, vt exemplo Mariæ Magdalenæ cor tuū conterat, vel aliquatenus emolliat: quēadmodum contigit illis Pharisæorū ac Principum ministris, qui ad Christum capiendum missi, re infecta, domum redeuntes, aiebant: *nunquam audiuimus ita hominem loquentem*; ac si dicerent, non quidem excusamus nos metu populi, aut virium nostrarum defectu, vel quod inueniri nō quiuerit, factus inuisibilis, vt aliquando: sed verborum ipsius admirabili virtute, quorum vi corda nostra commota, conuersaque sunt: *Cor* namque *contritum, & humiliatum, Deus non despicit.*

a *In Monologia 14. Apr.*

b *Sur. 25. Augusti.*

Luc. 7.

Ioan. 7 46.

Psal. 50. 19

Circa

Circa conclusionem, nempe, *Ergo ex Deo non estis*: Nota duo hominũ genera ex Deo: *Primi* sunt illi, qui in gratia Dei conuersantes, filij quidem Dei sunt, sed postmodum gratiã reijciunt atque in mortali peccato decedunt. Quemadmodũ de Iudeis Paulus ait, quod electionis rami existentes ab oleastro excisi sint, vt eorũ interitu cautiores efficeremur, qui etsi hodie boni sumus cras forsitan cum Dauide, ac Petro in mortale peccatum plabemur, & cũ Absalone & Nabale in peccatis moriemur. Hinc namq; præclare inquit D. Cyprianus. *Salomon & Saul, cæteriq; multi, quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam, tenere potuerunt: recedente ab ijs disciplina Dominica, recessit & gratia.* & Augustinus, *sicut quisq; sibi, nemo alter alteri notus est: tamen nec sibi quisq; ita notus est, vt sit de crastina sua cõuersatione securus.* Nam *etsi iusti de suæ perseuerantiæ præmio certi sint*, inquit idem, *de ipsa tamen, perseuerantia sua reperiuntur incerti*, nemo quippe nouit vtrum à Deo perseuerantiæ donum consequutus sit. Itaque quamdiu in hac mortali degimus vita, cum timore ac tremore, salutem nostram operemur, qui vti Hieronymus ait, in medio laqueorum ambulamus, nihil in hac vita certi habentes, sicuti recte inquit Gregor. Nam si in cœlis nulla erat securitas, vbi Lucifer cecidit, neque in Paradiso, vbi Adam deliquit, multo minor erit in hoc fragili mundo ait Bernardus. *Alij* ex Deo sint, *quos elegit ante constitutionem mundi, in laudẽ gloriæ gratiæ suæ*, inquit Apostolus, nempe prædestinati, de quibus idẽ in hęc verba: *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Deus namque ab ęterno elegit, ac prędestinauit quosdam, ad perpetuam beatitudinem, qui & ipsius gratia, & virtutum studio, regni cœlestis præmium cõsequerentur, progredientes quotidie de bono in melius, *de virtute in virtutem*, vt tãdem *videant Deum Deorum in Sion.* Hi filij Dei poterunt nominati primę illius benedictionis, quã Deus impartitus est Adamo, ac Euę, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam.* Qui nisi peccassent, nemo non saluti natus fuisset, idq; præfinito numero inquit D. August. Post præuaricationem, illata est hæc maledictionis sententia: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos*: hoc est, habebis quidem

Conclusio Syllogismi.

Duo genera filiorum Dei.

1. *Rom.* 11. 17

To. 1. *epist. alias lib.* 1. *epist.* 5. *ad Rogatian.*

Epi. 121. *ad Probũ. fere circa prin.*

Lib. 11. *de ciuit. c.* 12.

Li. de bono perseuerant.

Li. 2. *cont. Pelag.*

Ser 38. *in Euang.*

Ser. de ligno, fœno, & stipula.

Secundũ genus.

Eph. 1. 4.

Rom. 8. 29.

Psal 83. 8.

Gen. 1. 28.

Gen. 3. 16.

quidem plures liberos, post peccatum, quam ante; sed ad maius doloris tui incrementum, quia potior illorum pars ad inferni pœnas se præcipitabit; ego quidem seruabo præfinitum electorum meorũ numerum, verum antequam, illum compleam, multi nascentur mali & damnabuntur. Agricola qui partem agri centũ modijs tritici comparauit, citius persoluit triticum hoc, si fundus agri pinguis fuerit, purus à lolio. Peccatum multos effecit peccatores, plurimi sque damnationis occasio fuit; itaque eo, iam nunc mundi machina diutius subsistit, pluresque quotidie nascuntur, vt prædestinatorum numerus aliquando compleatur. Deus quidem omnes ad sa-
2. Pet. 3. 9. lutem condidit, adeo, *vt nolit quemquam perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, vult* namq; *omnes homines saluos fieri, & ad agni-*
1. Tim. 2. 4 *tionẽ veritatis venire*, inquit Paulus: quippe, *cuius voluntas, sanc-*
1. Thess 4. 3 *tificatio nostra*: & dat vnicuiq; ad hoc media sufficientia, nemõ tamen non prædestinatus, saluabitur: non vitio Dei; qui vult
Serm. 1. de Septuag. *omnes saluos fieri*: sed hominis malitia. *Quis potest dicere*, ait Bernardus, *ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum quis hæc inquam dicere potest? reclamãte Scriptura: Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit*: certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia solatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur: fiduciam hanc B. Petrus inculcat. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis*. Secum vero sic argumentantes; si præscitus sum, bona nihil iuuant: si electus, mala nihil obstant: illud Augustini cogitent; *Si non es prædestinatus, da operam vt prædestineris*: quo significat. *Primo*, Neminem prædestinari, qui non per opera saluetur. *Secundo*, Dari singulis media ad salutem sufficiẽtia. *Tertio*, Per nos stare, si non saluemur. *Quarto*, Vitæ pietatem signum esse prædestinationis, impietatem contrà, præsertim diutinam, reprobationis: ad hanc enim illa ducit. Hinc recte Gregorius: *Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt. Sed ea quæ sancti orando efficiunt ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoq; perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit dare.* Quia ergo nullus vocationem suam scit, debet, ex

B. Petri

B. Petri consilio, eam per opera bona probare, vt saluetur, etsi de salute timuerit.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Vidētes Iudæi se superioribus Christi verbis perstrictos, dū probati sunt esse filij diaboli: magna cum contumelia, ex verbis Christi blasphemiam inferunt: ideoque vtitur Euangelista particula. *Ergo* Nota *primo*, Pharisæos etsi obstinate malos, affectasse tamen vt boni viderentur, ac laudatissimi Abrahæ filij. Sicuti & olim Susānæ accusatores. Multi pro dolor! his hodie similes: mercatores, qui clā vsurā agunt; Iudices, qui furta, scorta, latrocinia exercent, peius quam rei quos damnant: hæretici occulti, qui Catholicos se mentiuntur: hos Christus *sepulchra* vocat *dealbata*: intus enim omnia sordēt; etsi foris speciem præ se ferāt. Sed *nihil occultum quod nō reuelabitur*, vel hic, vt factū Susannæ tentatoribus: vel in futuro. Quanta ibi rerum spectacula, & laruarum detractiones, cum insculpta cōscientijs omnia patebunt, per diuinę virtutis potentiā: vt Basili⁹, & August. docent. Viue hic, qualis optas illic iudicari. Nota *secūdo*, Verba illa, *Nonne bene dicimus nos?* Significant enim, quod Iudęi serio putarint, se Christum vere accusare. Nōnunquā alijs cognomina, quæ scimus falsa, imponimus: vt si mater filium legitimum vocet spurium. Iudæi vero se de Christo, vt loquuntur, etiā sentire significāt: reluctāte tamē cōsciētia, cum Dominum scirēt Galilęum, non Samaritanum, sed vt Nicodemo obiecerāt, Nazarethi educatum. Similiter miracula, quæ, vt ipsi testabātur, diabolicas vires excedebāt, satis docebāt, eū dæmonium nō habere. Mentiuntur ergo in maiorem, Christi blasphemiā: crescit enim hęc, si serio vitium alicui obijcimus, maiorq; est, quā si ex præcipitatione loquamur. Iudæos hæretici nostri imitātur. *Primo* enim, dū nō habent quod Catholicis respōdeāt, cōuitiātur eos Papistas, Sophistas, Hypocritas. *Secundo*, Reluctante conscientia nobis maledicunt; cū Pontificem Antichristum vocant. Hunc enim ex Scriptura sciunt, vnum hominem fore; Pōtifices vero multi sunt: item cum Missā, cultum SS. & imaginum damnant. Sed sicut Iudæos odium abripuit, ita & illos. Nota *tertio*, cum Origene,

V.

Mali affectant videri boni.

Dan. 13.

Ma. 23. 27

Mat. 10. 26

Basil de virgi. Aug 20. *de ciuit. c.* 14.

Ioa. 7. 25.

Ioan. 9. 16.

Hæretici imitantur Iudæos.

1.

2.

An non ſcripta, credenda?

nuſquã ex Scriptura alibi cõſtare, q̃ Chriſtum Iudęi *Samaritanũ* vocarint: & tamẽ de ſe hoc ipſi hic teſtãtur. Vt diſcas, *primo*: Multa Chriſtũ cũ Iudęis egiſſe, quę ſcripta nõ ſint: nec errare nos, cũ quędã credim⁹ nõ ſcripta: errare vero illos, q̃ nihil niſi ſcriptũ credi volũt. Suadet hoc diabolus, vt homines illaqueet. *Secũdo*, Chriſtum plura paſſum, quã Scriptura narret, quę ad maiorem piorum lętitiã, & impiorũ cõfuſionem, dies iudicij exhibebit. *Tertio*, Nõ omnia quę patimur eſſe alijs propalanda, niſi vtilitas exigat, etſi cõtra nunc faciant homines. Nota *quarto*, Blaſphemię hui⁹ cauſas. *Primo*, Samaritanũ vocant Chriſtum, q̃ ſemel biduo egiſſet in quodam Samarię oppido. *Secundo*, Quod Samaritanos ſępe præ Iudæis laudaret, vt ex parabola eius qui in latrones incidit, & decẽ leprosorum hiſtoria patet. *Tertio*, Quia nomen hoc apud Iudæos contẽptus nota erat, & tacita exprobratio falſę religionis: ſicut apud nos nomen Turcæ. *Quarto*, Quia vt notat Origenes videbatur eis Domin⁹ habere aliquid eũ religione Samaritanorum cõmune. Quorum religio mixta erat ex Gentium, & Iudęorum ritib⁹: erant. n. ab Aſſyrijs in terram illã tranſlati, vt eam cõſeruarent: ideoq̃ vt Epiph. ait, *Samaritani*, tanquam cõſeruatores, dicti ſunt. Chriſto itaque tacite Sabbathi violationem, & pręceptorum tranſgreſſionem, quaſi cũ Samaritanis cõmunem, exprobrant. Porro *dæmoniũ habere* dicunt, *Primo*. Quia eruditio Dñi lõge Iudęorum captum ſuperabat. *Secũdo* Quia miracula ei⁹ diabolo tribuebãt. *Tertio*, Quia videbant eũ etiã cogitationes noſſe, & reprehendere. *Quarto*, Quia ſe Filiũ dicebat, & Deum, q̃ & diaboli faciunt. *Quinto*, Significant quaſi rabidum fuiſſe, & furioſum. Alias *Amicum* vocarunt *Publicanorum & peccatorum*: Item *ſeductorem, blaſphemum, ſeditioſum, &c.* Hodie imitatores Chriſti eiſdem nominibus inſigniuntur: nam *ſi patremfamilias Beelzebub vocauerũt, quãto magis domeſticos eius.* Fecere id olim Ethnici, faciũt nunc hęretici. Act⁹ omnes Catholicorum, præſertim Eccleſiaſticorum & Religioſorum, vident, & rident: illi vero dum hæc patiuntur, etiam pro ſannionibus ſuis orãt. Nota *quinto*, Duo hæc cognomina *Samaritani* & *dæmoniaci* duo ſignificare probrorũ genera. *Primo*, eſt *conuitiũ*. Quo *præſenti vitium exprobratur animi, vel corporis*: Vt furtũ, fornicatio, ſurditas: ita He-

Cauſę blaſphemiæ Iudæorum.

Ioan. 4.40

2.

Luc. 10.35.

Luc. 17.18.

3.

4.

4. *Reg.* 17. 24.

Hæreſi 9.

Matt. 15.2.

Cur Domino exprobrarũ dæmoniũ.

Mat. 10.25

Duo genera probrorum.

1.

lisęum pueri *caluũ* vocauêre, sed vindicarũt eum vrsi. Porro sicuti grauior est rapina furto, præsertim si accedit vis publica, sic grauius est cõuitium, detractione cantularia; hæc.n. famam minuit, illud tollit: crescit quoq; cõuitij grauitas, ex dignitate personæ læsæ, & grauitate damni, q̃ vel re ipsa sequitur, vel saltẽ intenditur. Sic graui⁹ est cõuitium in Deum, Sanctos, Superiores, Ecclesiasticos, quã in creaturã, viatores, subditos, laicos. Licet tamẽ interdũ nomine cõtumelioso vti, vt alter emendetur; sicuti & verberare licet, & occidere. Sic Christus duos in Emaus eũtes, vocat *stultos, & tardos ad credẽdum*. Petrum, *Sathanã*; Paulus quoque, Galatas *insensatos*. Imo habet hoc aliquãdo meritum, etsi indignatio quędã accedat sicuti meritũ habuit Phinees, & Matathiæ zel⁹. Vidẽdum interim ne ira prędominetur; tunc enim, vt Aug. monet, peccatum est: sic Iudæi Christo obiecerunt, quod *Samaritanus* esset & *dæmoniacus*: vtrunq; mẽdaciter, & male, illud enim animi, hoc corporis vitium importat. *Secundo* est, *ludibrium*, quod fit de peccato leui: vt homo suffundatur rubore, & famæ saltem minutionẽ sentiat, peccata.n. grauia nõ ludẽdi, sed irascendi materia sunt. Est aũt duplex causa, vnde peccatũ hoc leue fiat *Primo*, ex paruitate vitij, q̃ ridetur. *Secundo*, ex conditione p-sonę, puerorum.n. errores parui sunt, qui in viris censentur magni. Interim quisquis alium ridet peccat, quia contemnit.

Conuitij definitio. 4. *Reg.* 2. 23
Conuitij grauitas.
Conuitiũ materiale aliquando licet. *Luc.* 24. 25 *Mat.* 16. 23 *Galat* 3. 1. *Num.* 25. 8. 1. *Mac.* 2. 24. *De ser. Domini in monte. cap.* 30.
Secundũ genus probri.

Respõdit Iesus: ego dæmoniũ nõ habeo, sed honorifico Patrẽ meũ. Nota *primo*, Insignẽ Christi mansuetudinẽ; de qua B. Petrus: *cum malediceretur nõ maledicebat*. Dauid Christo regnũ, ob tres virtutes, tribuit. *Primo* ꝓpter *veritatẽ*; id est, prudentiã, & discretionẽ, qua res oẽs dirigit. *Secũdo*, propter *mãsuetudinẽ*: quia patiẽs ad omnia, nihil ex animi passione egit. *Tertio*, propter *iustitiã*, qua peccatores, ita exigẽte eorum peccato, punit. Potuisset quidẽ Christ⁹ citra iniuriã, in Iudęos cognomina hęc regerere, sed maluit respõdere benigne. *Primo*, vt *frangeret responsio mollis irã*. *Secũdo*: vt patientiã doceret, nõ iniuriæ talione. Aliqui ęquale, alij pl⁹ reponunt, quã patiãtur; canũ instar, quorũ latratus mutui, in pugnas exeunt. Sapientem audi. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris*, & cogita fuisse verba animi præcipitis. Interim, quia addit statim Sapiens

VI.
Mansuetudo Christi. 1. *Pet.* 2. 23 *Psal.* 44. 5.
Christi benignitatis causæ.
Prou. 15. 1. *Prou.* 25. 4

Ibid. 5. Iniuriæ quando & quomodo respondẽdum? *Respondẽ stulto iuxta* (vel, vt habẽt Græcus, *ad*) *stultitiam suã*: nõ semper ad silentium obligamur, cõuitijs impetiti: imo obligamur aliquãdo ad respõsionẽ, si id vtilitas exigat, fiatq; nõ ad vindictam, (hãc enim vetuit Christus, cum dixit: *dimittite & dimittetur vobis*) sed ad alterius disciplinam, nempe. *Primo*, Luc. 6. 37. vt calumniator emendetur. *Secundo*, vt alijs opinio de nobis siniſtra eximatur. Cõcionatorẽ monet Greg. vt se ab obiectis purget, ne cõcio vileat, & superiores nominis sui rationẽ habere debẽt, ne subditis obsint. Sed & hic cauendũ vindictę studiũ: idẽ enim Greg. vt relatũ alibi, narrat Petrũ quendã, in magnis propterea tormẽtis fuisse, post mortẽ. Nota *secũdo*, ex Chrysostomo, Christũ patiẽter tulisse iniurias suas, nõ Patris. huius enim honorẽ semper acerrime vindicauit, Phariseis *Va* interminat⁹. In mundo cõtra; quisq; se defẽdit, non Deum: hinc tot hęreses, quia principia nõ pręcisa, & sunt etiã hodie iudices, qui nolunt inquirere in sagas, nisi euidenter de dãno illato cõuictas: etiamsi cõstet eas baptismũ, Deum sanctaq; omnia abiurasse, seq; dęmoni deuouisse. Nota *tertio*, Christũ negare se *dæmoniacũ*, non tamẽ negat se *Samaritanũ*: vt doceat: *Primo*: Nõ omni obiecto respõdendũ, vel nimis studiose: sed cũ moderatione, neq; enim qui obijcit, iudex erit; sed De⁹. *Secundo*, vt si quid obijciatur, quod culpã nõ habet, nẽpe color, statura, &c. sileamus. Sumus enim citra culpã tales, quales fecit Deus. *Tertio*. quia, vt Orig. ait, nõ displicebat Christo nomẽ *Samaritani*: hoc enim, interprete Gregor. *custodẽ* signat, de Christo autẽ Dauid canit; *nisi Dominus custodierit ciuitatẽ*. & Isaias, *Custos quid de nocte*; præterea nec hominũ, nec nationũ exceptor esse voluit: imo Samaritano vulnera obligãti se cõparauit; teste Augustino. *Quarto*, Respiciebat Dominus mẽtẽ Iudæorum; qui nõ natione, sed religione eum volebãt Samaritanum. Atque ita tacite respondet, his verbis: *Ego honorifico Patrem meũ*. Quasi dicat; Samaritani idola colunt, nõ ego, signãter autem dixit, *Patrẽ meũ*: non, *Deum meum*. Vt signet Deum quem colebant Iudæi. Samaritani. n. Deos suos colebant, nõ Patrem Christi. *Quinto*, cum Iudæi Christum dicũt *Samaritanum*, personam tangunt, cum dęmoniacum, doctrinam, ait Chrysostomus. insinuant enim hanc diabolicam esse: vt

Dõ. 5. *post* Epiph §. 6. Christus propias patiturinjurias, non Patris. *Matth.* 23.

Christus cur nõ neget vtiũque nomẽ obiectũ?

Hom. 15. *in Euang.* *Psal.* 126. 1 *Esai.* 21. 11. *Luc.* 10. 1.

Ser. 37. *de verbis Dõ. & hoc loco.*

Hom 45. *in Ioan.*

eſſe: vt hinc diſcamus, nō diſſimulandum quicquid Deo iniurium eſt. Moyſes quem Scriptura vocat *mitiſſimum*: a ſemel 33.*b* aliàs 24.*c* hominum millia, ob Dei iniuriā deleuit. Cum ergo audis Sacerdotes præſertim ab hæreticis rideri, vide reſiſtas: nam officia illi magis rident, quā perſonas. imo Chriſtum rident, qui dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Sexto.* Quia Chriſtus ſolus, ait Origenes, ſine diabolo, id eſt, peccato erat inſinuat ergo, quod ait Dauid; alios *omnes declinaſſe*: porro ſolus Samaritanus non erat. Hic tamen B. Virginem quoq; eximimus: quæ cū Filio vna, quia corpus ſuum ex ea ille accepit. Nota *Quarto.* Signum quo videat quiſque, an dęmonium habeat. examinet ſe; an Patrem operibus bonis, humilitate manſuetudine, charitate proximi, honorificet: nā qui Superioribus maledicit, vel obloquitur; qui inter proximos iurgia ſeminat; qui veſtium ſplendorē quærit; qui aliter viuit, quam docuit Chriſtus, & nunc docet Eccleſia; à diabolo liber omnino non eſt. Quiſquis peregrinus eſt, ſaluari tamē poteſt. *In Chriſto n. Ieſu non eſt Gentilis, & Iudæus circumciſio & præputiū, &c.* at quiſquis diabolū habet, ſaluari nō poteſt, niſi vitiū deponat: natio vel gentilitas cœlo neminē arcet, peccatū omnes.

a *Nu.* 12.1, b *Ex.* 32.28 c. *Nu* 25.9 *Luc.* 10.16 *Pſal.* 15.11. Signum An quis habeat dæmoniū. *Coloſſ.* 3.11

Et vos inhonoraſtis me: ego autem gloriam meam non quæro, eſt qui quærat, & iudicet. Poſt benignū reſponſum, queritur Chriſtus quod à Iudæis inhonoretur. Addit tamē ſe nec honoris, nec vindictę cupidum: neque enim venerat horū cauſa in mundum; *Sed miniſtrare, & dare animā ſuā redemtionē pro multis.* Interim Patrem non diſſimulaturū monet. Nota *primo.* Senſiſſe Chriſtum illatam ſibi hic ignominiam, etſi diſſimulet, & nūc peccata noſtra diſſimulat, ſentit tamē: nō quod ipſum lædāt, ſed quod non minus, quā ſi læderent, diſpliceant: ideo enim Apoſtolus peccatores dicit *conculcare filium Dei.* Nota *ſecundo*, emphaſin in ME, & VOS. Nempe, VOS qui debebatis honorare præ alijs, inhonoraſtis ME, ſemper beneficum vobis, quos exemplo, & verbo inſtruxi. Simili modo apud Michæā, Iſraëlitas alloquitur Deus. *Populę meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi: reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo ſeruitutis liberaui te.* Eadem tu poſt peccatū cogita, vel potius antequam pecces, & cum B. Franciſco dic: *Quis eſt Deus,*

VII.

Mat. 20.28 Chriſtus multa ſentit etſi diſſimulet. *Heb.* 10.29 *Mich.* 6.3.

quem inhonoro? Nempe bonum infinitũ, sapientia ęterna, omnipotentia: qui omnia videt, & potest, nullumq; peccatum dimittit impune. Dein *Quis ego?* saccus sordium, stercus vermiũ, peccatis & passionibus plenus, quem Deus ęreatúris alijs prętulit per naturã, & multis hominibus per gratiã. Quomodo ergo tã vilis, offendã tã dignũ? tã fragilis? tã potentem Hęc viuus cogita, ne post mortẽ, neglecta in ęternũ defleas.

Honor an quæri possit.

Nota *tertio:* Verbis illis, *Ego gloriã meã non quæro:* vetari proprię gloriæ studium, vnde & alibi monemur: *Nolite vocari Rabbi.* Vt tamen non statim peccare putemus, qui honores sectantur.

Matt. 23. 8.

Honor quid?

Nota, honorem nihil esse nisi *publicum virtutis testimonium.* Siue quæ in eo est quem honoramus, siue quæ est in eo, quem hic repræsentat: priori modo Religiosos, pios, doctos, senes honoramus. Religiosi. n. sanctitatẽ profitentur: senectutem, & doctrinam, Sapiens *venerabilem* vocat: senes namq; experti, docti vero præsumuntur eruditi. Diuites honorari, quia *diuites sunt* B. Iacobus vetuit: diuitiæ enim honoris materia non sunt, nisi quaten⁹ habent in Rep. dignitatem. Posteriori modo eos veneramur, qui alicuius honorãdi personã sustinent: parẽtes, Dominos, Reges, Sacerdotes, Episcopos, omnesq; tã sæculares, qua Ecclesiasticos Superiores, qui licet indocti, imo mali, Deum tamen repræsentant: neque enim personæ spectanda qualitas, sed Dei maiestas: nã vt recte Basilius: honor imaginis, ad prototypon transit. Crucem ligneam nemo recte minus veneratur, quã auream. Disce *primo*, Non peccare eos, qui ratione dignitatis, quã sustinẽt, moderatos exigũt honores: modo fastus absit. Sic enim Apostolus se *Doctorem Gentium* vocat; quod autẽ Christus vetuit nomen *Rabbi*, fastũ excluſit, noluitq;, eo nos sensu dici, Rabbi, quo ipse est: eius enim discipuli sumus omnes, inter quos vn⁹ altero doctior, vt eum doceat, sicut in schola eadẽ, discipul⁹ docet discipulũ. Christus eadem ratione nomen *Patris* vetuit, nec tamen voluit hoc parentibus carnalibus, vel spiritualibus subtractum: cum & Apostolus Corinthiorum se *patrem* vocet. Disce *Secũdo.* Etsi honor, vt iam dixi, possit exigi: posse tamen, & cũ laude, sperni: fecit enim hoc B. Petr⁹, cum ei aduolueretur Cornelius, dixitque, & se hominem esse. Nota *quarto*, Honorem

In 2. *Synodo Nicæna citatur, & à patribus frequenter*

1. *Tim.* 2. 7
Matt. 23. 7

Ibid.

1. *Cor.* 4. 5.

Act. 10. 35.

eorum

eorum qui ſeipſos deſpiciunt, à Deo promoueri. B. Hilarion mundi pene exul fuit, vt honorē declinaret. B. Ambroſius ne ad Epiſcopatū raperetur, etiā proſtibula intrauit, ſed quanto humilior, tanto à Deo euectior. Magn⁹ ille humilitatis amator Franciſcus, contēni ſe gaudebat: ſed honorauit eum De⁹ ſtigmatibus ſacris, & digniſſimo Vrbis loco, monte Capitolino, vbi *Arca cœli* viſitur, Franciſcanorum Monaſterium celeberrimum, eodē loco, quo nato Chriſto, Auguſti palatium ſtabat. De B. Conſtantini humilitate ſcribit B. Greg. quod multi vndique eius vidēdi cauſa cōfluxerint: venit & ruſtic⁹, qui cū lampades purgantē videret, & parua ſtatura, eū cœpit animo cōtemnere: ille vero ſtatim accurrens, hominem brachijs ſtringit, & clamat: *Tu ſolus inter omnes es, qui apertos in me habuiſti oculos.* Itaque humilitatem ſectemur, nihil de honore ſolliciti: crocodilus eſt, fugientem ſequitur, fugitque ſequentes. Deus amicorū ſuorum contēptores grauiter punit, ſicut de Patre ſuo hic teſtatur Chriſtus: Deo fit, quod fit eius amicis: hos *qui tāgit, tāgit oculi diuini pupillā.* Quærit B. Auguſtinus, quomodo Pater iudicet, cum alibi dicatur nō iudicare quēquam, ſed dediſſe omne iudicium Filio? Reſpōdetur: Chriſto datum, vt ſententiam in omnes dicat: hoc enim ei incarnatio dedit, paſſio meruit. Pater interim non depoſuit poteſtatem ſuam: ſed & hic punit, & in iudicio, per Filium iudicantem puniet. Diſce itaque *primo.* Nullum malum fore impunitum, maxime quod committitur in Chriſtum: ideoque ab hæreſi multum caue, inhonorat enim Chriſtum: tum, quia Eccleſiam, quæ illius ſponſa, & corpus eſt, ſcindit: tum, quia eius doctrinam, ſaltem ex parte, reijcit, & diuinum aliquid, nempe Euchariſtiam, vel cultum SS. aut imaginum impugnat. *Secundo,* Poteſtatem iudiciariam Chriſti, qui in die iudicij & bona examinabit, & mala. Bona ſcilicet, vtrum perfecta ſint: dixit enim apud Dauidem, ſe *iuſtitias iudicaturum.* Mala vero, vt non plus inferat pœnæ, quam inueniat culpæ. Hæc cogita, & Chriſtum time, etiam in his quæ tu perfecta putas, defectus inuenturum: ſi enim *in Angelis prauitatem reperit* Deus, nec *cœli mundi ſunt in conſpectu eius: quāto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Nemo cœlos recta ingreditur vt a-

Hieron. in eius vita.

Li. 1. dial. cap. 5.

Zach. 5. 8.

Tract. 43. in Ioan.

Ioan. 5 22.

Pater quo modo iudicet.

Poteſtas Chriſti.

Pſal. 24. 3.

Iob. 4. 18. Iob. 15. 15. & cap. 25. 5

Lib. 5. hist. Anglo. c. 13 vt apud Bedam Driethelmo Angelus dixit, nisi in omnibus perfectus: ideoque dum viuis profice, vt perficias.

VIII. *Amen, Amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quinque de causis hæc subdidit Christus. *Primo*, Vt ostendat se diabolum non habere, qui *mortis author*, & *mors* dicitur: quia *inuidia* sua eam nobis inuexit. Christus contrà, nos ex mortis vmbra, ad vitam restituit. *Secundo*, Vt commendata doctrinæ suæ vtilitate, quia vera, & beata est: eam amplecteremur. *Tertio*, Vt ostenderet eâ verborum suorum in nobis vim, vt inuitus occidi nemo possit. *Quarto*, Vt se Deum indicet, ait Cyrillus: supra dixerat, qui verba Dei audiunt, esse eos ex Deo. Cum ergo hic priuilegiũ ponit eorum, qui audiunt verba ipsius: verba sua, significat Dei verba: adeoque se Deum. *Quinto*, Vt cõditiones suas nobis exprimeret, præcipuè vero duas: *prior* est, mãsuetudo, cõmendata etiã aliàs, cum dixit, *Discite à me, quia mitis sum.* Rectè itaque notauit Chrysostomus; Reprehensos quidem sæpe Pharisæos à Christo, non tamen quando ei conuitiabantur: vt nos prudentiam doceret; qui enim arguit conuitiantem prius, affectu rapi videtur. Itaque deferbeat ille, vt reprehẽsio sit maturior, Platonem imitare, qui seruo verbera minabatur, nisi irat⁹ fuisset. *Posterior* est; benignissima *sapientia*, quæ malum bono remunerat, & aduersum nostrum cõuertit: Christus pictori similis est, qui colores pessimos tẽperatura reddit optimos. & medico, quem phrenetici impotens delirium ad compassionem excitat, ac diligentius subsidium. Lapsus Adæ, Incarnationis, passionisque Christi occasio fuit, & hic ex Iudæorum calumnijs, Christ⁹ nos instruit: vt calumniatores nostri nõ solum nõ deseram⁹, sed tãto iuuem⁹ diligẽtius, quãto videm⁹ periculum maius. Docet ergo, nõ moriturum qui sermones ei⁹ audit. Quod sane & cõsolatorium est, quia nihil morte horribili⁹, & beatum, quia vita æterna nihil melius. Sed quia difficulter id credim⁹, addit Christus affirmãdi notã; *Amen*: quæ in Scripturis tria fere significat: aliquando enim idem est quod *veritas*; vt *qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen.* Id est, Deo veritatis, &c. *Hæc dicit Amẽ* (Christus, qui est veritas) *testis fidelis, & verus.* Aliquando, *optandi* nota est vt si di-

Quinq; causæ huius dicti. *Apoc. 6. 8. Sap. 2. 24.*

In Catena

Duę Christi virtutes 1. *Mat. 11. 29 Hom. 54. in Ioan.* *Mat. 11. 29*

2. Deus ex malis elicit bona.

Amen tria notat. *Esai. 65. 16 Apoc. 3. 14.*

ſi dicamus Latinè, *fiat*. ita in lege veteri poſt benedictiones, maledictioneſq; ponitur, & in noua lege, eodem ſenſu vſurpatur à B. Paulo, alijſq; Apoſtolis. aliquando *affirmandi* particula eſt, nō tamen iurandi. eſtq; idem quod *certè*. Vtitur autem eo Chriſtus: *Primo*, Vt nos qui ad Diuinorum myſteriorum fidem tardi ſumus, etiamſi ea veritas ipſa teſtetur, ad fidē excitemur, roboremurque: nam eadem ex cauſſa iuraſſe, quoque Deum, B. Paulus docet: *vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum fortiſſimum habeamus ſolatium*. *Secundo*, Vt quotidianus non ſit ſermo noſter niſi *eſt, eſt non, non*. in arduis vero, ſummum ſit, *certe* vel *vere*. Iuramenti vſus peſſimam gignit conſuetudinem: imo vt Ambroſius, & Chryſoſtomus, peierationē, *omnis enim homo mendax*. Quod ſi tamen neceſſitas illud extorqueat, tres adhiberi debent conditiones, quas Ieremias expreſſit: *Iurabis in veritate, & in iudicio*, id eſt, non in re leui, *& in iuſtitia* non in rebus iniuſtis. Abraham à ſeruo ſuo iuramentū ſuſcepit, manu eius ſubter femur ſuū poſita, in Chriſti, ex fœmore naſcituri, reuerentiam: ait Auguſtinus. In Eccleſia ſolent iuraturi manum imponere reliquijs SS. vt anno 280. ſcripſit B. Eutychianus Papa: vel codici Euangeliorum, vt teſtatur Chryſoſtomus. *Tertio*, vtitur Chriſtus hac particula, vt tanto altius doctrinam eius imbibamus, cum ſit digniſſima ſimul, & vtiliſſima. Inter Euangeliſtas omnes, ſolus Ioannes particulam illā geminat: quia tractat altiſſima myſteria. Diſce ergo in omnibus Chriſto firmiſſime citra ſcrupulum credere, quicquid prima veritas dicit & bonitas veriſſimum eſt & optimum.

Deut. 27.
Rom. 1. 25. & 9. 5. & 11. 36.
1. Pet. 4. 11.
1. Pet 5. 4.
1. Ioan. 5. 20
Iudæ. 25
Heb. 6. 18.
Matt 5. 37
Ambr exhortat. ad virgin.
Chryſ. ho. 27. ad pop. Antioch.
Pſal. 115. 11
Hier. 4. 2.
Gen. 24. 2.
Lib. 2 cōt. Pelag. & Celeſt c. 27
35. q. 6. in Synod.
Hom. 15. ad pop. Antio.

Nota *primo*. Seruare non eſſe idem quod noſſe vel intelligere, ſed opere implere. ideoque & Chriſto, & in Chriſtum credere debemus. *Hoc* enim *eſt opus Dei, vt credamus in eum, quem miſit ille*. ac dein opera adhiberi debent. nam ſicut non ſaluat opus, ſine fide (quia *& gentes naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*) ſic nec fides ſine opere, ſeu charitate. *Secundo*, Liberationem à morte intelligi dupliciter. *Primo*, de mortali peccato. fit enim vt meditatione præmij, & ſupplicij, quod ſermo Chriſti promittit, à peccato mortali præſeruemur. *Secundo*, de morte æterna. Homo enim corpus ſuum non eſt, ſed

Seruandi ſermones Dei.
Ioan. 6. 29.
Iac. 2. 26.
Rom. 2. 14.
1. Cor. 15. 2.
Mors duplex & duplex liberatio.

Matt. 8.22 corpus, & anima: vnde etsi moriatur illud, hæc tamen in iustis semper viuit, de iniustis autem dixit Christus: *sine mortuos*
1. Tim. 5.6 *sepelire mortuos*: & B. Paulus de vidua luxuriante: *viuens*, ait, *mortua est*. Corporis mors in iustis, somnus magis, quã mors est: quia vitam Diuini verbi virtute recuperabit. Bombyces postquam fila sua pertexuerint, etsi eis sine cibo, & motu inclusi lateant, mortui tamen non sunt, sed in papiliones vertuntur. Pomorum semina, ac grana frugum, mortua non dicimus, etsi non moueantur, quia satis est si terræ immissa, & fota, crescant. similiter ergo habent ad vocem Dei corpora
Ioan. 6. 50. iustorum, facultatem resurgendi: quam præcipuè ex Christo in Eucharistia trahunt: vt spopõdit Christus, & explicat Cy-
Lib. 10. in Ioan. c. 13. rillus. *Tertio*, Tanto minus quemque gustaturum de morte, quãto accurati⁹ Christi sermones seruarit. qui peccata mortalia nõ incidet, gehennam quoque non incidet: etsi in purgatorio fors purgandus sit, & quidẽ (vt Dionysius, & Brigitta docent ex visionibus) per dæmones: etsi id multi negent.
Lib. 1. c. 10 In vita B. Bernardi legimus, Religiosum in purgatorio 4. colubris, id est, diabolis traditum fuisse, qui eum à B. Bernardi colloquio auulserunt. sed postquam ille pro eo orationes, & Sacrificium offerri curasset, paulò post liberatum intellexit. Nam etsi omnes iusti diabolum triumpharint, habent tamẽ sæpe aliquid in se, in quod ille ius habet, nempe peccatum veniale, & reatum pœnæ pro peccatis mortalibus, necdum solutę. Etiam in B. Martino iam morituro dæmones aliquid
Epist. ad Bassum Socrum de transitu B. Martini. quęsisse, testis est Sulpitius: quod si inuenissent, sine dubio exegissent. Alij etiam à Purgatorio liberi sunt: interim non
Lib. 1. Mirac. c. 7. sine horrore, dæmonẽ vident in extremis. De sæculari quodam narrat Petrus Cluniacensis, quod morbo pressus habitum Religiosum induerit, & in loco infirmorum positus, rusticos clamarit ingredi deformes, & rostratos, qui post aquæ
Ibi. c. 19. & 26. benedictæ aspersionem disparuerunt. De Eppone, & Gaufredo narrat idem, quod vtrisque damnationem minabantur dæmones, sed abacti sunt Apostolorum, Beatorumq; aliorum aduentu, qui illos suscepere. Terribile est quod de iu-
Part. 2. histor. tit. 23. c. 10. §. 6. uene Dominicano S. Antoninus prodit, qui cũ in agone diei maledixisset, quo Religionem ingressus fuerat, postea tamẽ

eidem

eidem benedixit, causſamque rogatus, ait: ad prius ſe per dæmonum oppugnationes, ad poſterius vero per B. Virginis opem, adductum. Alij ſunt, qui vident quidem dæmonem in agone, ſed non timent, vt de B. Martino Sulpitius refert, cuius hæc erant ad diabolum verba: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies.* Beati qui in lucta illa nihil vident, niſi diuinũ. vt de multis Gregorius narrat, quibus 85. diuerſis, B. Virgo, vel Chriſtus apparuit. Cum B. Syſoius Abbas eſſet in extremis, reſplenduit primo eius facies, dein ſubdidit. *Ecce B. Antonius venit ad nos.* paulò autẽ poſt creſcente faciei ſplendore; *Ecce*, ait, *& chorus Prophetarum*: rurſus illo creſcente: *Ecce & B. Apoſtoli*, ſubdidit demum cum Angelis locutus, lumine faciei ſemper creſcente, tandem Chriſtum adeſſe dixit, & exſpirauit. Orabat aliquando B. Dunſtanus noctu Dominicæ Aſcenſionis in templo ſolus, Deo pro beneficio tanto gratias agens. & ecce chorus Sanctorum apparet, qui eum accedentes: *Mandat tibi*, aiunt, *quem pie deſideras Filius Dei, vt ſi paratus es, venias, & diem hanc ad cuius gaudium votis omnibus aſpiras, nobis aſſociatus, in ſua curia gratioſus & hilaris cõcelebres.* cumque ille inſtantis feſti exciperet dignitatem, quo populus cõmunicaturus erat, & inſtruendus; ſtatuunt ei ſabbathum ſequens, vt in illud ſe paret. Atque eo fœliciſſime hinc migrauit, 19. Maij, anno 988. vt teſtatur Osbertus Monachus Cantuarienſis anno 1020. qui addit Elfgarum presbyterum eadem nocte, in eadem Eccleſia, clam orantem audiſſe, vidiſſeque omnia. Atque hæc eo dicta velim, vt ad diligentiſſimam ſermonum Chriſti obſeruationem incitemur. In inferno præter *mortem*, id eſt, diabolum, & reprobos, qui Gregorio, *vmbra mortis* dicuntur, & diabolo ſimiles ſunt (ſicut beati *Angelis*) nihil erit. Beati autem videbunt quidem hos, eorumque, vt teſtatur Iſaias, *cadauera*: ſed hoc non negat hic Chriſtus, qui à Beatis mortis experientiam, mortemque propriam excluſit, & triſtitiam. mors autem reproborum conſpecta eos ad gratiarum actionem, & gratulationem maiorem excitabit. *Quarto*, notant aliqui, dixiſſe prius Chriſtum Iudæis in ſecunda perſona: *Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis*; nunc autem vti tertia perſo-

Vbi ſupra.

Lib. 4 dial. c. 14 15 16. 17. 18. 19. In Vit. PP.

In eius vita tom. 3. Surij 19. Maij c. 43.

Lib. 33. Mor. c. 3. Mat. 22. 30

Eſa. 66. 24

Ioan. 8. 31.

persona: *si quis sermonem meum seruauerit*, &c. quia post priora verba, illi mortem Christo machinati sunt, appellatiq; ab eo *filij diaboli*. Mutatione ergo personę significat, eos obduruisse in peccatis, atque ita generatim loquitur: nec tamen illos excludit, si resipiscant. significat tamen quosdā à Deo etiam in hac vita reijci, obstinatos præsertim: quales hæretici fere sunt, & magi, omneśq; quibus cauteriata conscientia, & qui cum in profundum venerint, omnia contemnunt. Qualis Esau quem Dominus etiam sic oderat: & Saul, quem amouit à facie sua. Vide ne & tibi simile contingat: etsi etenim veræ pœnitentiæ Deus spoponderit veniam, tamen non omnibus spopondit veram pœnitentiam, imo hac se ipsum priuat, quisquis cum Iudæis animum in peccato obdurat.

Malac. 1. 3. *1. Reg. 15. 26* *& 2. Reg. 7 15.*

IX. *Dixerunt ergo ei Iudæi: nunc cognouimus, quia dæmonium habes, Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Iterum blasphemant Iudęi, & Christo dæmonium obijciunt. possunt autem verba eorum tripliciter exponi. *Primo*: Ante non certo sciuimus te habere dæmonium, at nunc de eo certissimi sumus. Ita rapit passio hominem transuersum, vt modum, vel rationis directionem non admittat. *Secundo*: Ante sciuimus quide te habere dæmonium, nunc vero sumus multo certiores. ita Euthymius. simili sensu dixerunt postea Apostoli, *nunc scimus, quia scis omnia*. hoc enim etiam ante sciebant. *Tertio*, Vnicum hoc quod iam dixisti sufficit, vt ex eo colligamus te habere dæmonium: etiamsi nulla alia huius rei signa dedisses. simili sensu dictum est Abrahamo: *Nunc cognoui, quod timeas Dominum*, id est prędens obedientia, etiam sola, hoc sufficienter docere potest. Quærunt hic multi: quomodo ex Christi verbis Iudæi eum collegerint dęmoniacū? Respondet Origenes: quia putabant in verbis eius peccata grauia contineri, quę diabolo tribuebant: etsi vtrumque falsę: nā *& concupiscentia parit peccatum*. Euthymius factum putat, quia videbatur se Christus Deo prędferre, dum verbis suis immortalitatis vim tribuit, & tamen mortui sint omnes, qui verbā Dei audierunt. Alij id factum dicunt, quia Christus rem soli Deo possibilem promittit: nempe, immortalitatem, adeoq;

Triplex sensus verborū positorum.

1.

2.

Ioan. 16. 3.

3.

Gen. 22. 12

Quæstio.

Respon. 1.

Iacob. 1. 14.

Resp. 2.

3.

Dei

Dei omnipotentiæ iniurius videtur. Nota *Primo*, Sex Iudęorum errores nobis vitandos. *Primus* eſt, præceps iudicium. debebant verborũ Chriſti ſenſum indagaſſe. alias enim negauit Chriſtus Abrahã eſſe mortuum: Imitantur hodie Iudæos hæretici, qui antequam inſtruantur à doctis, rident Eccleſiam. imitantur & Catholici mali, qui Concionatorem calumniantur, ſi aliqua doceat, quæ ipſi nõ intelligunt. quibus merito illud Apoſtoli applices: *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus*. de ſe ipſis queri debebant, & paſſionum tyrannide, nõ de concionatore. *Secundus*: Iudicium experturbatione: quoties abrepti paſſione ea dicimus, & facimus, quæ poſt dolemus. Alexander id docet, cum Clytum interfecit. *Tertius*: quia tanquam carnales, nec vitam norunt, nec mortẽ, niſi carnalem: ideoq; nec beatitudinem æternã deſiderant, nec damnationẽ formidant. Corporis mortem neſciunt Apoſtolo, pijſq; omnibus, ſomnum duntaxat haberi. *Nolumus*, ait ille, *vos ignorare de dormientibus, vt nõ contriſtemini. ſi enim credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo.* vbi poſt Athanaſium, *a* notat Gregorius, *b* Chriſto mortem, nobis ſomnum tribui: quia Chriſtus ſtatim reſurrexit, adeoque mors eius iam nihil habet horroris: præſertim cum nobis quoque meritoria fuerit: mors autem noſtra diuturnior eſt, ideoque ſomni nomine mitigatur, qui quietẽ ſignificat feſſis gratã. *Quartus*, Verba Chriſti ad ſenſus ſuos carnales detorquent. ſic ex illo Apoſtoli *Modico vino vtere*, ebrioſi bibacitatem: ex illo Dauidis, *delectaſti me Domine in factura tuo*, impudici defendunt luxuriã, ſtatimq; ad peccati detorquent excuſationem, quod ad Dei dicitur laudem. idem in Scripturę implanatione faciunt hęretici, & in ſcriptis Patrum. ſtatim quicquid pro voti violatione, aut fidei libertate torquere poſſunt, etiam orbe reclamante, quaſi de eo triumphant. *Quintus*, Non molliuntur Chriſti benignitate: nempe, *peruerſi difficile corriguntur*: imo *nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit*. *Sextus*, Dei beneficio efficiuntur peiores, electis etiam *mala cooperantur in bonũ*: reprobi vero etiam bona detorquent in malum. parentẽ ſuum imitantur, qui benignitate non vincitur, ſed inſoleſcit, & hęreti-

Sex Iudęorum defectus.

1. *Cor.* 2. 14

Quintus Curtius in vita Alexand. l. 9. in princ.

1. *Theſ.* 4. 13

a 9. 147. *ad Antioch.*

b 12. *mor. c.* 6.

1. *Tim.* 5. 23

Pſal. 91. 5.

Eccl. 1. 15.

Ibi. c. 7. 14.

Rom. 8. 28.

reticos, quibus si conniueas, vel mansuete indulgeas, quietè nesciunt, donec etiam regna perdant: instar fœminæ insolētis, quę maritū videns benignum, statim affectat dominium.

Gustare & videre. Pœnę damnatorū. *Matt.* 8.12. & 22.13.

Nota *secundo*. Nō repetere Iudæos ipsi Christi verba. cōfundunt enim *gustare*, & *videre*: cum tamē videamus extranea, gustemus intranea. Significant autē hæc duo verba, duo genera pęnarum in damnatis. quarum alteram sentiunt, quæ à Christo nomine fletus exprimitur: alterā vident, quę per *dētium stridorem* indicatur. Varia sunt damnatorum tormenta; ignis, pix, sulphur, frigus, mallei, vermes: horum quodq; dū actu sentiunt, mortē gustant: dū vident, se paulò post experturos, mortē vident. sicut cū reus virgis cæditur, pęnā sentit: cū parari forcipes videt, & picē, futuros cruciatus videt. hæc cogita, nā si breui, paruoq; dolori succumbis, quomodo æternum feres, & maximum? In cęlo gaudium omne, sine vllo defectu: sic in inferno pęna omnis, sine vlla recreatione, quę imēsa est, vt nō possit cōprehēdi, & infinita vt nequeat finiri.

August. de catechizādis rudibus c. 24.

X. Duo argumenta Iudæorū.

Nunquid tu maior es patre nostro Abrahā, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quē te ipsum facis? Duo hic latēt Iudaicę blasphemię argumenta, quibus Christum probant dęmoniacū. *Primum* est: Abrahamo, & Prophetis nequaquā maior es, qui licet Deo familiares, mortui tamē sunt: falso ergo mentiris, non morituros qui te audiunt: & consequenter mendaciorum parens te agit. Nota *primo*: Iudæos sine scrupulo longe infra Abrahamum, & Prophetas, reijcere Christum: solent enim peccatores Deum creaturis posthabere, nam si ad peccati fugam, & remedia eos horteris, vel ad virtutem statim: *quid*, inquiunt, *suspicabuntur & dicent homines*? de Deo autem nulla mentio: quasi hic peccata non videat, vel non puniat.

Nota *secundo*: Insinuare Iudæos quod Abrahæ filij sint: adeoq; gloriantur parentis sui nobilitate. sicut & hodie multis sufficit, maiores habuisse nobiles, quibus nobilitas eorū, ignobilitatis initium est: ait Gregorius. Deo nobilis nullus, nisi virtute: inquit Hieron. neque enim parentum in te merita iudicabit, sed tua: vt prolixe descripsit Ezechiel. Atque hoc est, quod Iudæis respōdit Christus, *si Abrahæ filij estis, opera Abrahæ facite*. Sunt & inter Religiosos nonnulli, qui de Fundato-

Lib. 2 *dial. c.* 2; *epist.* 14. *ad Celant c.* 5. *Ezech.* 18. *Ioan.* 8.39.

datorum suorum sanctimonia gloriantur, & nesciunt, eam sibi maioris mali fore occasionem, nisi imitentur. *inter bonos* enim *malum esse*, ait Gregorius, *pessimum est*. sicuti & regulam bonam profiteri quidem ore, non tamen opere. *Lib. 5. Moral. c. 8.*

Nota *tertio*: Potuisse Iudæos ex Christo quærere, an alijs omnibus mortuis, & Deo ipso maior esset, cui⁹ sermo neminem à morte præseruarit? sed Abrahami tantum, & Prophetarum meminerunt, quia illos habebant hominum omnium sanctissimos, quorum si Christus sanctitatem non æquaret, longe quoq; infra Deum relinquebatur. simul autē exerunt hic Iudæi ambitionem suam, nam & se ipsos tacite Christo pręferunt, tanquà Abrahę filios, & Prophetarum discipulos. sicut ebrius vinū: ita peccator vitium: iustus, bonum eructat.

Nota *quarto*: Iudęos in Abrahamū, & Prophetas hic esse iniurios, & in Deum impios, cum mortuos dicunt, quorum ille se Deum appellat. vt discas, *primo*: Impios vtilitatis, voluptatisve caussa, etiam blasphemias in Deum non horrere, *secundo*, quos imitentur hæretici nostri, cum sanctis somnum affingunt, quasi mortem quandam animarum, eisque Dei visionem negant: imo larvas contemptim eos vocant. Audent nonnulli animarum interitum docere, vt ante annos aliquot fecit in Batauis Hermannus Ryswvick, Sadducæos imitatus. aut cum Politicis, quod impiorum esse Dauid testatur, Deum negare. Alij sanctos calumniantur cęcos, surdos, mutos, quasi nec videant, nec audiant nostra, nec pro nobis intercedant. Omnes hi ex Pharisæis didicere, quod Abraham mortuus sit & Prophetæ. Quisquis Catholicus es, damnatos vide, an nō statim post mortē puniantur, docebit hoc historia epulonis: cur ergo iusti, quibus macula nulla, mercede carebunt? Certe latroni promisit Christus, quod eodem die futurus esset *in paradiso*. & apud Apostolum, idem est *dissolui*, seu mori iustos: quod *esse cum Christo*. Qui & alibi monet, nos *dum in corpore sumus, à Domino peregrinari*: ideoq; optabilius sibi, vt corpore posito sit *Domino præsens*. & iustus Angelis cōparat, de quibus tamē à Christo dictū: *semper vidēt faciem Patris*. Hęc est Ecclesiæ, & Patrum fides: qui cum Scriptura, non hoc solum, sed & rerum nostrarum cognitionem *Exod. 3. 16.* *Psal. 52. 1.* *Luc. 16.* *Luc. 23. 43* *Phil. 1. 23.* *2. Cor. 5.* *Heb. 12 23.* *Mat. 18. 10*

Beatis

Beatis tribuunt. vnde in Apocal. Ioannes eos *Reges* vocat, quia iuuare possunt: & *Sacerdotes*, quia pro nobis Deo preces offerunt. & Gregorius, *quia*, ait, *illic oēs communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?*

Lib. 4. dial. c. 33. vide eundem l. eod. c. 25.

Alterum argumentum tale est: *Quem te ipsum facis?* Superbia dęmonis est: quid autē verba tua, nisi superbiam sonant? Nō cogitant Iudęi Messiam in Scriptura Dauidis Regis simul, & Prophetæ, *Dominū* dici, adeoque alijs merito præferri. si Scripturas diligentius expendissent, alio sensu nobiscum admirarentur, *Quem te ipsum facis?* Domine Angelorum, Rex creaturarum, conditor omnium, quomodo facis te vermem, & non hominem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis? Domine Iesu: quē tu te! quem ego me! tu humilem, ego superbū. tu tamē glorioſus, cū ego ex me ſim inglorius; & peccato, vilior fiam. Humiliaris tu, vt ego erigerer, superbio ego, & deprimor. Hæc cogita, vt actis humiliati Christi gratijs, eandem imiteris, ac cum ea postmodum exalteris.

Cassian. coll 1 c. 14.

2. Argum.

Psal. 109. 1

Phil. 2. 7.

XI. *Respondit Iesus: si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Incipit hic Christus obiectionum dilutionem: ac primo, ad vltimum illud respondens: *Quem te ipsum facis?* se ab ambitione alienū ostendit: docens, vt & nos hoc vitium primo fugientes, alijs dein odibilē Deo, & hominibus superbiam probemus. simulque confirmat, se gloriam suam non quærere, quia alioqui *gloria mea*, ait, *nihil est*: nempe, vana gloria est, & peccatum: prima scil. superbiæ filia, quæ habet tres species.

Species vanæ glorię.

1. *Prima* est diabolica, quę ex peccato gloriam quęrit, reprehēsa à Dauide: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* & à Salomone descripta: *Lætantur cū malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: est autem hic malitia duplex: tum, quia peccatum probat; tum, quia ex eo gloriam captat, proximoque peccati causſa est, dum illud ab eo vult commendari. *Secunda* est, spiritualis: quæ ex obiecto bono quęrit gloriam. Pharisæorum, & hypocritarum, qui amant *videri ab hominibus*. ac plena periculi, dum virtute vitium tegit. *Tertia*, Carnalis: quæ gloriam quærit ex temporalibus: specie, veste, opibus. Lampyrides, lignaque carioſa noctu lucent, non interdiu: ita & hi hominibus lucent tenebrosis, non iustis;

Psal. 51. 4.

Prou. 2. 14.

2.

Matth. 6. 5

3.

inſtis,& huic mundo,qui *nox* eſt; non futuro iudicio, vbi *dies* Domini. *Notat* Ambroſius Deũ initio creationis ſingula vidiſſe,& probaſſe,præter hominem:huius enim probatio nõ eſt in exteriori ſpecie,ſicut creaturarum aliarum;ſed brutum potius,quam homo eſt;qui ex his gloriam quęrit.Porrò peccatum hoc 10.de cauſſis vanitatis nomen habet.*Primo*,Quia in ſe nihil eſt;cum ob peccatum, vel vanitatem commẽdari, ignominia potius ſit,quam gloria.puluis in ſe nihil homines macnlat,& occœcat.idem facit vana gloria.*Secundo*,Quia citiſſimè euaneſcit, dum qui ante honorabãt, paulò poſt contemnant; vt Chriſto accidit, quem idem populus primò ad triumphum,&paulò poſt duxit ad patibulum.merito itaque gloriam hanc *vento* Ieremias comparat dicẽs,*Paſtores tuos omnes paſcet ventus*.Qui aduerſo vẽto graditur,os opplet,& abripitur ſępè,pro venti impulſu;ſic honor in honorãtis arbitrio eſt;offert eum,ſi places; aufert, ſi diſplices. *Tertio*, Quia exiguę,aut nullius virtutis indicium eſt.Ramos infrugiferos,ait Dorotheus eleuat lętitas,frugiferos deprimit grauitas:ita ſe pij cum B.Virgine,& Apoſtolis ſubmittunt, qui vero gloriæ materiam non habet,gloriam quęrunt. *Quarto*,Quia hominem bonis ſpoliat,etiam temporalibus.ſic Amani,& Architophel laqueum iniecit.& multi vt veſte luxuriet, res omnes profundunt.Diſſipat quoque virtutes;nam vt rectè, poſt B. Gregorium,Bernardus.*Qui virtutes ſine humilitate congregat, eſt quaſi qui puluerem in ventum portat*. Sicuti namque puluis venti validi flatu diſpergitur; ſic omne bonũ ſine humilitate, inanis glorię vento rapitur.vnde non immeritò idem,hanc malorum omnium fontem,& virtutum interitũ vocat. *Quinto*: Spoliat meritò boni operis.ſi Phariſæi opera,ieiuniaque ſua, ſine hoc vitio perfeciſſent,meruiſſent vtique:nunc vero *receperunt mercedem ſuam*,ſed quantulam! *Sexto*:Apud Caſſianum docet Abbas Neſtor,nõ poſſe ad veram ſapientiam eos peruenire, qui ex hac, gloriam quærunt. Velle ſcire,ait Bernardus,vt honoreris,vanitas eſt.ideoq; vera Dei notitia ſpoliat. *Septimo*: Amatores ſui ſcurris aſſimilat:nam vt hi ora pro populi plauſu torquent,ſic illi veſtium;inceſſus, ſaltus formas à populi incerto arbitrio mutuantur. *Octauo*: Quia amatores eius

De inſtit. virg c.3.

Vana gloria cur vana?

1.

2.

Hier. 22. 22.

3.

Doctrina 2.

4.

*Eſth.*7.10. 2.*Reg.*17. 23.

Ser. de donis Spirit. S.cap.2.

De domo interiori c.41.

5.

*Colla.*14. *c* 9.

6.

*Serm.*36. *in Cant.*

7.

8.

eius magis volunt honorabiles videri, quã eſſe. adeoq; nihil ſolidi, & veri habẽt. *Nono*: Quia nec ipſam quam quærũt gloriam, cõſequuntur: illa enim vt vmbra, ait Chryſoſt. fugit ſequentem. hinc qui vt videantur ſe comunt ſæpe, vel non videntur, vel ridẽtur. *Decimo*: Quia eius amatores à Scriptura, & Patribus cõparantur vanis, & inſtabilib⁹, vt arundini, bullæ, cothurno, quia ad omnẽ venti popularis flatum circumaguntur. Monet autẽ Ambroſius, gloriã hanc vanã quidem eſſe, nõ tamen omnino leuẽ: quia etſi hominem ſtatuat à bono vacuum, relinquit tamẽ peccato grauatum. Neq; ſola incedit; ſed, vt Gregorius docet, ſeptẽ ſtipata filiabus, quæ oẽs eundem ſuperbiæ ſcopum ſpectant. *Prima* eſt, iactantia; cum plus debito noſtra prædicamus. hanc Moabitis Deus obiecit, ipſaq; Nabuchodonoſorem in feram conuertit. *Secunda*: Præſumptio nouitatũ, puta in veſte, vel moribns, quam in filiabus Sion Iſaias taxat. *Tertia*: Hypocriſis, ſeu ficta boni ſpecies; quã in Phariſęis Dominus perſtringit. *Quarta*: Pertinacia, ſeu defenſio obſtinata proprij iudicij; qua hæretici laborant: & hæc conſiſtit in intellectu. *Quinta*: Diſcordia, quæ eſt in voluntate, idemq; eſt quod diſſidium animorum; & reperitur in litigantibus. *Sexta*: Cõtentio quæ fit verbis, de qua Apoſtolus, *noli cõtendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Septima* inobedientia; quę eſt in actibus externis, cum Superiori non paremus, vt ipſi videamur magni. Ex hoc itaq; vitio, mala omnia: hęreſes, bella, ſeditiones, &c. Aduerſus illud, antidotum legimus in vitis PP. vt qui ab eo impugnatur, diſpiciat, an legẽ vniuerſam impleuerit, an inimicos ſincere diligat, eorũ malis nõ gaudeat, proſperis doleat, an ſui ipſius vilitatem agnoſcat? hæc qui non habet, nec vnde glorietur habet, cum omnia ei deſint. Vis amari à Deo? ſperne te ipſum. gloria rerũ caducarũ, ſtulta eſt, quia de mutuo datis eſt, non de proprijs: *quid enim habes, quod non accepiſti?* Suadet Bernardus, vt nõ mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos locum eligamus (nam & hoc Chriſtus docuit) ſed vt nouiſſimo recumbamus loco, vt ſolus videlicet omniũ nouiſſimus ſedeas, teq; nemini nõ dico pręponas, ſed ne comparare quidem pręſumas. qui peria-

9. *Hom.* 33. *ad pop. Antioc.*

10. *In exhort. ad virgin. Libr.* 31. *Mor. c.* 31. Filię 7. vanę gloriæ. *Hier.* 48. *Dauid.* 4. 27. *Iſai.* 3. 24.

2. *Ti.* 2. 14.

Parte 2. *li. de virtu. patien. & hum.*

1. *Cor.* 4. 7. *Ser.* 37. *in Cant. in fin.* *Luc.* 14. 10

nuam dimissam ingreditur, non potest se nimium inclinare: & hic dum viuimus, humilitas nulla nimia est. Proximi itaq; bona videamus, non mala, quæ iudicabit Deus; nostra vero mala videamus, non bona, quæ dedit Deus.

XII. Miracula sua cur Christus Patri tribuat?

Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis; quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Solet Christus miracula sua Patri tribuere. *Primo*, vt significet se ab eo habere diuinitatē. *Secundo*: vt se cum Patre ostenderet vnum: nam alibi eadem miracula à se facta dicit. *Si opera nō fecissem eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent*, & *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* *Ioan.* 15 24 *Ioan.* 5. 36. *Tertio*, vt ostēdat quam grauiter peccent, qui miracula Christi dæmoni tribuunt: cum ipse ea tribuat Patri, & propter ea dicat, *Pater meus glorificat me.* Nēpe, vult me per miracula glorificari. Non vult hic Christus se Patre minorem, vt cōtra Arianos, recte monet Augustinus. nam alibi dixit *se glorificare Patrem*: neque propterea Pater ipso minor est. *Tract.* 43. *in Ioan.* *Ioan.* 14. 13

Nota *Primo*: Nō esse veram gloriā, nisi à Deo detur. *Neque* enim *qui se ipsum cōmendat, ille probatus est; sed quem Deus cōmendat.* Nam *gratiā, & gloriam dabit Dominus.* Quisquis sine Diuino testimonio se laudat, stultus est. ideoque reijciēdi hæreticorum ministri, qui se recipiendos eommendant, quia Scripturā explanant: dico, implanant, contra Ecclesiæ totius sensum. Apostolus *non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum: contulit doctrinam suam cum alijs*, & manuum impositione missus est, etsi miraculis se à Deo missum probare potuisset. Imo Christus Dei Filius, tantorū miraculorū munit⁹ testimonio, testimonium tamen B. Ioannis voluit, & citauit. 2. *Cor.* 10. 18. *Psal.* 83. 18 *Galat.* 1. 1. *Act* 13. 3. *Ioan.* 5. 38.

Honorat pios Deus

Nota *Secūdo*. Honorari à Deo pios, & qui ipsum honorāt, sui contemtores. Concedit enim his *Primo*: vt nō à plebe solum, sed & à Principibus honorētur. Petrum adorauit Cornelius Centurio, Antonium Constantinus literis salutauit, eiusque preces expetijt. Ambrosio se Theodosius humillime submisit. B. Martino vxor Imperatoris Maximi ad mensam ministrauit. Tāta est humilitatis species, vt Monarchas quoque in sui admirationem rapiat. *Secundo*: Concedit vitæ imitatores, & quasi filios, Antoni⁹, & Hilarion, multa pepererūt Eremitarum millia. B. Frāciscus superstes adhuc numerauit. *Act* 10. 25 *Sulpit. in dialog.*

Miracula quot modis fiant.

Aſſiſij in Capitulo generali Ordinis, præſentes quinq; mille, præter eos qui in ſingulis collegijs remãſerãt. *Tertio*: Cõcedit virtutẽ miraculorũ, quæ fiunt quatuor modis. *Primo*: Precibus. ſic Elias, *a* Eliſæus, *b* Petrus, *c* mortuos ſuſcitarũt. *Secundo*: Authoritate. ſic Petr⁹ *d* ſanauit claudũ, & occidit *e* Ananiã, & Sapphirã. Elias *f* duos Pentacõtarchos cũ ſuis 50. interfecit. *Qui enim filij Dei ex poteſtate ſunt, quid mirum*, ait Gregor. *ſi ſigna quoq; ex Diuinæ virtutis potentia faciant*. *Tertio*. Inſcij. ſic vmbra Petri, *g* & Pauli *h* ſemicinctia, ſanarũt infirmos, & hodie nõ ſolum membra Sanctorum, ſed & inſtrumenta quibus torti Martyres, miracula faciunt. Cum eleuationi BB. Agricolę, & Vitalis, B. Ambroſius Bononiæ interfuiſſet, rediens Mediolanum clauum cõtulit, quo fuerãt crucifixi, eumq; *munus ſalutis vocat, præſtãtiſſimo mundi theſauro præſtantius*. Imo per ea, quæ reliquias cõtigerunt miracula fieri, Auguſtin. exẽplis docet. Cũ Proiectus Epiſcopus reliquias B. Stephani deferret, mulier cœca faſciculũ florũ ex reliquijs accepit, eoq; oculis admoto, vidit. De brãdeo ad Cõſtantiam miſſo, à B. Gregorio Papa, alibi dictũ. De Martiale ciue Hipponẽſi narrat Auguſtinus, q; à religione Catholica valde alienus, morbũ incidẽrit, cumq, à genero frequenter moneretur, fidem amplecti, ſed fruſtra; tandẽ gener ex altari S. Stephani acceptos flores dormientis ceruicali ſupponit, qui poſt excitatus, ſtatim Epiſcopũ vocat, vt Chriſtianus fiat, eoq; abſente à Presbyteris baptizatus eſt. ac dein illud ſemper pronunciabat; *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum*; neſciens id à B. Stephano dictum.

1 3. Reg. 17
2 4. Reg. 4.
Act. 9.
3 Act. 3. 6.
4 Act. 5.
Reg. 1.
Dial. c.
5 Act. 5. 15.
6 Act. 19. 12.
Exhort. ad Virgin.
Li. 22. ciu. cap. 8.
Li. 3. ep. 30. Indict. 12.
Domin. 2. Quadr. §. 4. libr. 22. de Ciuit. Dei c. 8.
Act. c. 7. 59

Nota *Tertio*: Quod Chriſtus Iudęorũ Deum vocet *Patrẽ ſuum*. *Primo*: Vt ſe oſtẽdat naturalẽ huius Filium. quaſi dicat, illius ego Filius, cuius vos ſerui. *Secundo*: Vt cõtra futuros poſt Manichæos, vnum doceat Teſtamenti vtriuſq; Deum. Addit autem Chriſtus. *Vos dicitis, quia Deus veſter eſt*: vt multos ſignificet labijs Deum profiteri, opere negare. Deum habet qui timet, qui vero eius offenſam voluptati falſæ poſtponit, nõ illum, ſed hanc, Deum habet. Vide itaq; num aliquid ſit, præ quo Deum malis relinquere. nam quicquid id eſt, Deus tuus eſt, ſed idolum.

Nota *Quarto*: Exprobratam Iudæis veri Dei ignorãtiam à Chriſto

Christo, cum ait, *nõ cognouisti eũ*. quod intelligi potest. *Primo*, de notitia approbationis, qua Deꝰ nouit electos, nescit reꝓbos, quibus dicet; *nunquã noui vos*. & de qua Ioannes; *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*. etsi enim cõfiteatur *se nosse Deum, factis tamẽ negat*. Medicinam ignorat, qui vim nescit: sic Deum ignorat, qui cõditiones eius nescit, summo amore dignas. *Secũdo*: De notitia intellectꝰ, seu fidei, quæ nõ in delectu proprio consistit, sed in reuelatorum omniũ assensu. adeoq; qui in Deum credit, in Filiũ quoque eius credere debet. Notitia hac hæretici omnes carent, ideoq; & *hæretici*, seu *electores* dicuntur, credũt enim quod eligũt, ideoque statim inter se dissentiunt. vnde patet hæreticos fideles nõ esse, vt Augustinus *a* monet: neq; Christianos, vt Epiphanius, *b* Leo, *c* alijque PP. docẽt. Christo enim non per omnia credit, qui Ecclesiæ non credit. æquiuoce ergo Christiani dicuntur, sicuti homo pictus, vel mortuus, homo dicitur.

Matt.7.23

1.Ioan.2.4

1.Tit.16.

a *Li.13. de Trin.c.2.*
b *hæresi 29*
c *epist.75. ad Imp.*

Ego autem noui eũ? & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Nouit Patrem Christus, *Primo*: Vt Deus Deum. atq; hæc notitia comprehensiua est. *Secundo*: Vt homo beatus. fuit enim priuilegiũ ei, vt simul videret Deum, & hic viueret, cũ de alijs dictum sit: *non videbit me homo, & viuet*. Nam quod de Paulo, & Moyse aliqui putant, illi tamen non nisi per transitum Deum vidissent. Porro hæc notitia nõ est cõprehensiua, est tamen perfectior multo, quã in vllo alio intellectu. *Tertio*: Ex operibus, quomodo Deũ nouimus etiam nos, præsertim pij, non ꝙ Christus fidem habuerit, vt nos: sed quod haberet gustum. Quia vero ab initio cõceptionis triplicem hanc notitiam Christus habuit perfectam, notanter dixit: *noui*. Nota Constantẽ huius notitię professionẽ in Christo, ita vt se *mẽdacẽ* dicat, si oppositum diceret, quo & nos fidem cõstanter ꝓfiteamur, indignati si quis nos putet nõ esse fideles. Libentius mali, q̃ infideles audire debemus. *Primo*: Quia alia peccata infirmitatis esse possunt: hæresis nõ nisi malitiæ. *Secundo*: Quia peccata alia, spẽ nõ tollunt, nec fidem: hæresis omnia. Cum ergo Apostolus, *corde*, dicit, *credi ad iustitiam, & ore fieri confessionem ad salutem*, docet ex præcepto Dei, fidem & ore cõfitendam, & opere. quemadmodũ & Christus, cũ ait: *Qui*

XIII. Christus Patrem nouit. *Exod.33. 20.*

Hæresis malitia.

Rom.10.10

Luc. 6. 26. Fides negatur.

me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua, & Patres, & Sanctorum Angelorum. Vbi duo insinuãtur præcepta. *Negatiuum* vnũ, quo vetamur negare fidem. quod fit. *Primo:* Cum negamus nos Catholicos, vel certum fidei articulum credere. *Secundo*: Cũ vtimur nota hæresis. vt si quis veste Turcis, aut Iudæis data, vt à Christianis discernantur, vtatur illic, vbi hæc discretio viget. sic Christum negant, qui de cœna hæreticorum participant, qui infantes eorum in baptismo tenent, baptizante hęretico ministro. qui apud hæreticos ministros matrimoniali cõtractu intersunt, tãquam propinqui. qui funera hæreticorum à ministris sepelienda sequũtur, &c. Alterũ præceptum *affirmatiuum est*, quo iubemur fidẽ profiteri: sed hæc nõ obligat pro semper, sicut nec præcepta alia affirmatiua: vt præceptũ de honorãdis parentibus, quos etsi inhonorare nũquam possimus, tamẽ nec tenemur semper honorare; cũ sępe absint, nec occasio id exigat. Possumus itaq; exemplo B. Sebastiani inter Ethnicos, vel hęreticos tacere fidem. imo olim prohibuerunt Episcopi ne quis temere se Christianum profiteretur. sic necessum non est, vt fidelem te proclames; scandalum tamen dare non debes. qui cõcionem hæreticam audit ignotus, peccat quidem, ob lapsus periculum, non tamen contra fidei professionem: secus, si notus sit, alioſque scandalizet.

1. 2.

Iudæi Christo *mendaces* dicti.

Nota *Tertio*: Vocare Christũ Iudęos *mẽdaces*: *Primo*, Ex zelo Diuinæ potẽtię, cuius opera illi blaspheme tribuebãt diabolo. *Secũdo*: Vt se ostẽdat cognitorẽ cordis eorũ, quos videbat reluctãte conscientia, cũ, quẽ sciebant esse Messiam, appellare *Samaritanũ* mẽdaciter. Sunt aũt tria mẽdacij genera. *Primũ* est materiale; cũ nescij falsum dicimus, quod tunc solũ peccatũ est, quãdo rẽ vt est scire tenebamur. *Secundũ*, est formale; cum verũ dicimus, putãtes illud esse falsum, atque hoc semper peccatũ est, quia intendit alterius deceptionẽ. *Tertiũ* est perfectum: cum falsum dicimus, scientes id esse falsum, & hoc similiter semper peccatũ est; maius tamẽ, vel minus, pro grauitate materiæ. Huius *octo* species numerat Augustin. quę tamen ad *tres* reuocari possent. Est ergo *Primo*, Mendacium *Officiosum*; quod fit ad alterius, vel propriũ bonũ, sine damno ter-

Genera mẽdacij.

Species mẽdacij. *Li. de Mẽdacio ad Consentiũ c. 14.*

1.

tertij.& cõprehendi tria genera, quæ diſtinguit Auguſt. *Primo*:cũ mentimur pro cõſeruandis bonis fortunę.*Secundo*:pro vitæ ꝓpriæ,vel alienæ cõſeruatione:vt fecere obſtetrices Ægyptię.*Tertio*: ad impediendũ grauius peccatũ. vt ſi mẽtiatur virgo,ne patiatur ſtuprũ. *Secundũ* eſt,*Iocoſum*; quod nec vtile eſt alicui,nec inutile:huius ponit Auguſt.duas ſpecies.*Primo*, ſi quaſi ex cõſuetudine fiat.*Secundo*, ſi animo recreandi alios. *Tertiũ*,eſt,*Pernitioſum*;cuius apud Aug. tria genera. *Primo*: In rebus fidei.ſic mendaces ſunt hæreticorũ miniſtri.atque hoc omnium peſſimũ eſt,quia maxime noxiũ. ſimiliter mẽdaces erãt Phariſæi,dũ homines à Chriſto,reluctante conſcientia, auertebãt.*Secundo*: In rebus tẽporalibus. ita vt in his aliquos lædat,neminẽ iuuet. Quod faciũt detractores, feceruntque olim accuſatores Suſannæ.*Tertio*:quando quibuſdam noces, & alijs prodes.vt qui mendacijs promouent litẽ. & olim Siba.Hodie mendacij tam leuis æſtimatio eſt, vt paucos ab eo puros inuenias:& tamen tanta eſt eius malitia,vt omniũ,etiã vitæ,iacturã potius, quam mendaciũ admittere deberemus. Quod Dauid *hominem omnẽ* dixit *mendacẽ*; non ſignificat mẽdacia declinari nõ poſſe,ne faciamus legẽ Dei impoſſibilem: ſed ita dictũ.*Primo*:quia facile mentimur.*Secundo*: quia facile à bono propoſito deficimus, Apoſtolos imitati, qui in cœna propoſuerant ſe ad mortẽ Chriſto inhæſuros, & tamẽ paulo poſt omnes dormierũt & eo relicto fugerunt.fit autem hoc; *tum*,ex naturæ,tũ,ex propoſiti imbecillitate.ſi confitendũ ſit emendationẽ proponimus:ſed an ſerio, deprehenderemus ex accurato cõſcientię examine.eandẽ Cõfeſſario querelam ſemper canimus.*Tertio*:Ob naturę inſtabilitatẽ:prę ſumimus magna de annis,& viribus, ſed ſuperuenit inopina mors; vt in eo patet, quẽ horrea deijcientẽ mors deiecit. ſpecies noſtra vt flos marceſcit,opes facile pereũt, vires cito frangũtur. *Quarto*:Mũdus mendax.ſpondet enim ꝙ præſtare nequit: in proſperis magna meditamur,ſed ſtatim affligimur. Cũ ergo & ille,& homo omnis mendax,illi inhære qui ſolus verax.

*Exod.*1.19.

2.

*2.Pet.*2.1.

*Dan.*13.

*2.Reg.*18. 29.

*Pſal.*115.11

*Matth.*26

*Luc.*12.19.

*Rom.*3.4.

XIV. *Sed ſcio eum,& ſermonem eius ſeruo.* Repetit Chriſtus ſe noſſe Patrem.vt diſcamus notitiam hanc ei eſſe perpetuã: eumque in hoc imitemur,Deũ habentes cogitationũ,operũque omnium

nium testem. *Secundo*: Vt nobis notitiã Dei altius inculcaret.
Act.17.21. Homo omnis *naturaliter scire desiderat*. Multi cum Athenien-
Gen 3. 5. sibus *solum vacant audire, vel dicere aliquid noui*. Eua scientiam bo-
3.Reg.4.33 ni, & mali; Salomon sapientiam, & rerum naturalium notitiam desiderauit, ita vt disputarit *à cedro Libani vsque ad hyssopũ, quæ egreditur de pariete*; id est, à re maxima, vsque ad minimam. sed quid hæc? iucunda forte: non tamen tam vtilia, quam sit
Cap.10. cognitio Dei. imo ille sic lapsus, vt an surrexerit omnino dubiũ. Hinc B. Francisci regula vna est; *vt fratres nescientes literas, non studeant eas discere: sed attendant quod super omnia habere debent*
Sapi.15.3. *Spiritum Domini, & Sanctam eius operationem*. Mauult ille studiũ Dei cognoscendi, quam rerum aliarum, *nosse* enim *TE*, inquit ille, *consummata est iustitia*. Iustum autem dicimus, quod debitæ regulæ cõuenit, vt in mensuris & ponderibus patet. *Tertio*: Vt viam doceat ad notitiam Dei, multi in templis sedent, & cõtemplantur: atq; hoc tãtum. sed nesciunt illi, quid sit quærere, quid frui. nã qui opibus vti vult, non tantũ quæsitis vtitur, sed & denuo vtendas querit. sic qui Deum nosse vult, nõ debet tantum in templo desidere, sed & adniti quantum potest, vt Dei legem impleat, quo nouam notitiã acquirat. hinc
Lib. de viduis. rectè Ambrosius, *neminẽ* dicit *habere notitiam Dei maiorẽ, quam qui ad constantẽ peruenerit humilitatem*. Atq; hoc est quod dicit Christus; *scio eum, & seruo sermonẽ eius*, nam *Et* ibi causſam notat, estque idem quod *quia*. Nota *primo*: si ex mandatorũ Dei obseruatione nascitur Dei notitia, eũ perfectius Deũ nosse, qui Dei voluntatem integrius seruat. Est autẽ iuxta Apos-
Rom.12.2. tolum *primo* voluntas Dei *bona*, quam implet quisquis à mortalibus abstinet. *Secundo*, *beneplacens* quã implet quisquis cõsilia
a Lib de virg. tenet. Multa .n. sunt, ait cũ Basilio, *a* Ambrosius, *b* quæ consulit Deus magis, quã præcipit. vt paupertatem voluntariam,
b Libr. de viduis. castitatẽ &c. *Tertio* est *perfecta*. quam implet, *primo*, quisquis à venialib. abstinet. quod hic solus Christus fecit, & B. Virgo. *Item*: qui Deũ perpetuo cõtemplatur, quod hic solius Christi fuit priuilegium. qui etiam sermonem Patris se custodire dixit, non mandata: ille enim plura multo complectitur quam hæc. Porro in cœlis voluntatem hanc implent beati omnes.

Nota *Secundo*: Dixisse Christum: *Ego sermonem eius seruo*: nõ

sermo-

sermones: quia vnus est Dei sermo, qui omnia continet, ait Greg. nempe lex charitatis: quam qui seruat, legem impleuit Deiq; gustum habet. Seruauit autem perfectissimè Christus, & post eum B. Virgo, alijq; dein consequenter. Aliam adhuc rationem adfert B. Augustinus. *Sermonem Patris tanquam Filius loquebatur, quia ipse erat Verbum Patris, quod hominib. loquebatur.* habens naturam humanam in qua *complacuit inhabitare plenitudinē Diuinitatis corporaliter*. Sermonem itaq; Patris agnoscit, quia Diuinitatē in se habet, vt & nos Deum cognoscamus, cum eum in nobis suscipimus. nā cum intellectus passionib. animi nubiletur, Eucharistia dum has sedat, illum illuminat.

Ho. 17. in Euang.

Tract. 43. in Ioan.

Coloss. 2. 9.

Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Respondet hic Christus quæstioni illi; *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?* Nam desiderauit diem Christi Abraham, & quidem vt ab eo auxilium acciperet, hoc autem qui dat, maior est, quam qui expectat. XV.

Nota *Primo*: Nō tacuisse Christum, hæc etsi Iudæos eis sciret abusuros; quia nobis erāt vtilia. vt discant superiores, etiā corripere subditos inuitos; nā & alijs id expedit; & forte ipsi postea fructum, cum gaudio sentient; nō capiebant increpationem Christi duo illi dum irent in Emaus, postea tamē, & hāc, & Christū cognouerunt. Sæpe Manassen impietatis arguebāt Prophetæ, & frustra: donec in captiuitatem ductus, resipuit. prosperitas mentem eripit, aduersitas reddit. vt filij prodigi exemplo patet, qui dum fameret, in se reuersus est.

Luc 24. 25
4. Reg. 21.
2. Para. 33.
Luc. 15. 17.

Nota *Secundo*. Quādo diem Christi viderit Abrahā. *Prima* sententia id factum putat, quia Abraham à parentibus fidem vēturi Christi accepit, multaq; de eo speciali reuelatione didicit: *Primo* quod nasciturus esset ex semine suo; hoc enim est quod ei toties spondebat Deus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Secundo*: tempus quoque, seu *diem* aduentus. *Tertio*: Modū redēptionis, in immolatione Isaac. sicuti enim hic ligna tulit quibus cremare eum volebat; ipse vero ignē, & gladiū: sic exiuit Christus baiulans sibi crucem, in qua immolandus erat: Pater vero ignem habebat, & gladium: ignē dico amoris nostri, gladiū vero iustitiæ suæ, vt nec misericordia impediret iustitiā, nec iustitia excluderet misericordiam. Deinde

Abraham quādo viderit diē Christi?

1. Senten.
Gen. 22. 18

sicut ligatus à patre Isaac; sic & Christus funibus vinctus in horto, & clauis fixus in ligno. demum sicut nō Isaac, sed aries fuit immolatus; ita in Christo nō passa diuinitas; sed humanitas, quæ ex prib. spinei diadematis hæsit. Hæc cum videret Abrahā gauisus est, nō propter Christi torméta, sed ob liberationé humani generis. Alij hunc putāt sensum; Abrahā diē natiuitatis meæ desiderauit, viditque eū in limbo, & gauisus est; sibi, alijsq; libertatē sperās. ideoq; nō vt vos erratis, mortuus est; sed viuit, & me, meaq; videt, partim Angelorum instructione, partim piorū hinc quotidie decedētiū narratione. De iustis. n. recte sapiés; *Visi sunt oculis insipiētiū mori, illi autē sunt in pace.* Nota *Secundo*: In singulis verbis emphasin. *Abrahā* ille quē mihi toties obijcitis quasi me dignioré, infra me lōge est: cū sim Deus. *Pater vester* quē paulo ante sic nominastis, & à cuius pietate multū deficitis; cū ille Messiā sperarit, & amarit, quē vos nūc reijcitis. nō est *Pater meus*, quia Patrem habeo infinito dignioré. *Exultauit*, tanto gaudio, vt etiam ad corpus, membraq; externa illud deriuarit. *primo*: quia sperabat se maximo malo liberādum. Solent. n. qui mala sentiunt, liberādo gaudere. sicuti & Simeō, cū exclamaret: *Nūc dimittis seruū tuū Domine.* Nos aūt nō gaudemus, quia mali grauitatē nescimus. nā sicut aqua nō premit submersos; grauat tamen extra locū naturalē, in situla; sic peccato immersi nihil sentiunt. *secundo*: quia sperabat magnā gloriā. Filiū scil. ex semine suo, cū quo Rege regnaturus esset in perpetuū, & ob quem prædicādus erat ab omnibus; nō cōmuni cū omnib. elogio, sed speciali; tanquā *Pater Domini*. Nā si beatū se dixit Tobias, si fuerint *reliquiæ seminis eius ad videndā claritatē Ierusalē*, quanto beatioré se putauit Abrahā, filium sperās huius Ierusalē Regē? ita vt hac spe patriā reliquerit, & amicos, paratus etiā filium immolare, vt Deo placeret. quē imitātur qui renuntiātes seculo, omnia propter Christū relinquunt. Gaudent sæculares spe lucri, aut voluptate, cōtra, instāte ieiunio, vel cōfessionis tēpore tristātur. tu vero modum hic disce, quo aliquid à Deo impetres: cum gaudio pete, & insta; quod. n. repellimur, sæpe tristis desidiæ est. *Diem meū*. Duo Christi dies: vnus tristitię plenus, quo per passionē orbi toti innotuit, atq;

2. Sent.

Sapie. 3 2.

Luc. 2. 29.

Tob. 13. 20

à Patre

à Patre exaltatus est, vt *in nomine eius omne genu flectatur*. Quo etiã nos salutare illud lumen recipimus, quod *ad gentiũ reuelationẽ*, fore prædixit Simeõ, Lumen dico gratiæ, & veræ doctrinæ, quã verbo, & exemplo Christus exhibuit; docens inediã, humilitatem, paupertatem seculi opibus, & luxu præstare: ad quod recurrere debemus, quoties laboramus, (sicut ad solẽ eunt ex tenebris, qui legere non possunt) vt à Christo illuminemur. Erat hic dies passionis Christi, & actionis Iudęorum, quibus propterea etiam dictum *in hac die tua*: erat tamen dies iste breuis, imo *horam* scriptura vocat. Ad hunc anhelant oĉs pij, & ex eo gaudij plus capiunt, quam ex omni alia voluptate. ita vt multi alijs omnibus, mundoque spreto, hunc diem quærant, solatiũ in aduersis, subsidium in laboribus, remedium in malis. *Alter dies* est *gloriæ, & iudicij*, qui sæpe *dies Domini* dicitur: in illa *factorẽ* se Dominus exhibebit, vt loquitur Malachias *a* nos autem patiemur. Anhelabat huc B. Paulus, *b cupiẽs dissolui*, & B. Martinus, cum agonisans diceret astãtibus, *Sinite, sinite me fratres cœlum potius respicere, quam terrã: vt suo iam itinere, iturus ad Dominũ Spiritus dirigatur*. Beati qui diem hunc ita desiderant, vt cum Virginibus prudentib. sponso parati occurrant. Abraham etsi mortem nõ timuerit non tamen eã, vt noui Testamenti Patres, desiderauit. Primũ Christi diem magis optabat, vt à miserijs liberaretur: *Multi Prophetæ*, ait Christus, *voluerunt videre diem istum, quem nos iam videmus*. Quo si pie viximus, statim cum Christo esse possumus. *vt videret*. Legis veteris solatium erat, vel per transennã videre Christum, & vt Paulus loquitur, à *longe aspicere eum, ac salutare*, nos autem & videre, & suscipere quotidie possumus. si ad notitiam Christi tanta erat Patrum præparatio, quanta fuisset ad susceptionẽ ipsam? Hæc cogita & vide, quanto desiderio, quantaque pietate eum susipere debeas, qui se tibi concessit, præ Patrib. tanto feruore eum expectantibus. *Vidit*. qui à Deo, vt debet, petit, impetrabit: *spes* enim *non confundit*. sed Abrahamũ imitemur, qui omnia Dei iussu libens reliquit, parat⁹ etiã filiũ offerre, & *cõtra spẽ in spẽ credidit*, dict⁹ *Pater omniũ credentiũ*. Bona quoq; saluti vtilia petijt, & cũ exultatione. *Gauis⁹ est*. de omni Dei dono gaudẽt boni, charitatis n.

Phil. 2. 10. *Luc* 2. 32.

Luc. 19. 42 *Luc.* 22. 53

Sopho. 1. 7. *Mala.* 4. 5. 1. *Cor.* 5. 5. *Phil.* 1. 6.

a *Mal.* 3. 17

b *Phil.* 1. 23

Sulpi. in eius vita.

To. 6. *Sur.* 11. *Nouẽb.*

Matt. 25.

Luc. 10. 24

Heb. 11. 13.

Rom. 4. 18. *Ibi. v.* 11.

Diui-

Amb.1.off. ca.41. Leoſer.81. Diuinæ indicium eſt.præcipuè vero recreat Dei notitia,quæ Martyres roborauit in tormentis, & Sanctos beatificat in cœlis. Et ſi tortorem riſit in craticula Laurentius, quanto exultabit gaudio beatus? Huc ergo anhela,& ſic viue vt poſt obitum,ibi ſtatim gaudeas.

XVI. *Dixerunt ergo Iudæi: quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidiſti?* Iudæorũ ſarcaſmus in Chriſtum, quaſi qui rem dixerit omnino paradoxã, cũ ille necdũ annos haberet 34. Abrahã vero ante plus minus 2000.ann. obijſſet. Cõmunis opinio, ex Ignatio, tribuit Chriſto annos 33. mẽſes 3. Irenæus 40. ſed facile hic ex Euãgeliſtis refutatur. Chryſoſt. 40. hic legit, ſed cõtra omnia, quæ nunc extãt, exẽplaria. Cur vero 50. Iudæi expreſſerint, opiniones ſunt variæ. *Primo*: quia numerus hic erat Iudæis celebrior, ob Iubilæum. *Secundo*: quia hac Chriſtũ euidentius cõuincunt. ſenſus enim videtur, etſi quinquagenarius eſſes, & ſenior multo, quã ſis, Abraham tamen videre non potuiſſes, q ante ſecula aliquot obijt. *Tertio*: quia ob prudentiã Chriſti, & corporis maturitatẽ, quod vigiliæ & ieiunia cõfecerant, ſuſpicari poterãt Iudæi, Dominũ ferè quinquagenarium; ideò ergo certũ ponunt pro incerto, ne reprehenſioni pateãt. Porro vitiãt Iudæi verba Chriſti; neq; enim dixerat ille, ſe vidiſſe Abrahã, ſed *Abraham vidit diem meũ*. quæ duo Iudæi cõfundunt, cum tamen viſa multa nõ videãt, præſertim ſi ſpiritualiter videantur. Abrahã in extaſi vidit diem Chriſti; nec tamen viſus eſt ab eo, qui tunc necdũ erat. Diſce

Epiſt.1. ad Trallian. Iren.l.2. c. c.39.& 40 Chryſ. ho. 54. in Ioa.

1.Co.2.14. *primo*. Inſipientiam ſeculi: *animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus*. Nihil niſi corporeum ſapit, & terrenum, atque hinc vide male exercitatos in Scripturis Iudæos; dicunt enim illæ Chriſtum ante omnia & ante *Luciferum* fuiſſe, *à diebus æternitatis*. Diſce *Secundo*: Inuidos, eorum quos oderunt, verba ſemper detorquere in malum. Dixerat Chriſtus de corpore ſuo. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reſuſcitabo illud*. Iudæi obijciunt illi, quaſi dixiſſet da templo Ieroſolymitano: *Sic dixit, ego diſſoluam templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud nõ manufactum ædificabo*. Dixerat quoque, *reddẽda Cæſari quæ Cæſaris ſunt*: illi vero calumniãtur eum, quaſi prohibuerit dari tributa. Nõ formidant mali, etiã mendacijs iuſtos opprimere,

Pſ.109.3. Mich.5.2. Ioan.2.19. Mar.14.58 Mat.22.21 Luc.23.2.

eoſque

eoſq; hæretici imitantur, qui vt Eccleſiã populo dent ridendã, eius doctrinã falſo proponunt. Dicimus nos, nõ omnia in Scripturis poſita; ſed, vt Apoſtol. ex Ieremia ait, legem Dei eſſe *in corde* Eccleſiæ: illi nos mentiuntur Scripturã accuſare, quaſi imperfectam: fatemur traditiones amplectendas; illi nos dicunt, humana præponere diuinis. Veneramur B. Petri, & ſucceſſorum eius authoritatem; illi nos dicunt Papã adorare pro Deo, qui pro arbitrio fidẽ ſtatuat, & deſtituat. Sanctorum cum Chriſto regnantium preces expoſcimus, ſicut Paulus preces petebat viuorum: illi nos calumniantur quaſi Chriſto iniurios, vtpote qui alios præter eum inducamus mediatores: nec vident, quod eadem ratione Paulus mediatores alios introduxiſſet. Magnum diſcrimen eſt, inter SS. & Chriſtũ hic enim ſolus eſt, qui redẽptionis pretium dedit. Nos Chriſto & SS. ſtatuas erigimus, atque in his illos honoramus, ſicut olim honorati in ſtatuis ſuis Imperatores: illi vero nos clamant idololatras. Miſſam quotidie offerimus, vt paſſionis fructum nobis applicemus; illi nos clamant Chriſti paſſionem ſepelire. Merita noſtra agnoſcimus, & ſatisfactiones; illi nos merita Chriſti dicunt minuere, nec vident plus meruiſſe Chriſtum, ſi meruerit hoc ipſum, vt nos mereri poſſemus. Hæc illi nobis, reluctante conſcientia, ſicut Phariſæi Chriſto imponunt, putauiq; facturum me pretium operæ, ſi ea quæ in populo communia ſunt, obiter percenſerem, vt hæreticorum pateat impudentia, qui Eccleſiæ etiam non cogitata obijciunt. Caue etiam ne aliter rem narres, quam ſit, ſæpe verbi vnius additio, vel detractio, omnia mutat: ſed antequam narres, tacitus rem ipſam, modumque, & circumſtantias cogita, ne alios decipias, & te lædas.

Hebr. 8. 10. *Ier.* 32. 36.

Matt. 16.

1. *Tim.* 2. 1.

Dixit eis Ieſus: Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Vt & Iudæos, & nos, Chriſtus de dignitate ſua inſtrueret, verba hæc attexuit; quæ Iudæi ſciebant idem eſſe, quod *ego ſum Deus*, præmittit autem geminum *Amen*. *Primo*: vt ſignificet rem eſſe grauem. *Secundo*: vt oſtendat neceſſarium omnibus, credere duas in Chriſto naturas, idq; quia ipſe ita dixit; ſicut alios fidei articulos, propter Dei dicentis authoritatem credimus. Noluit autẽ Chriſtus in terminis dicere; XVII.

Ego

Ioan.1.1. *Ego sum Deus.* vel *ego sum ab æterno*: aut sicut dixit Ioānes, *in principio erat verbum. Primo*: quia sufficiebat quòd fuisset ante Abraham. *Secundo*: quia expressa Diuinitatis assertio multos, forte etiam discipulos, scandalizasset. debuit mysterium hoc paulatim inuulgari, ne passio acceleraretur, vel etiam impediretur. post passionem verò, mysterium hoc omnibus annuntiatum est. & qui alicuius erant iudicij facile ex verbis præsentibus, mentem Christi aduertebant. eadem enim simul cum illis, quibus olim Diuinitatem suam Moysi Deus aperuit, cuius etiam quatuor conditiones per ea insinuātur.

Dei quatuor cōditiones.

Primo, Dei perfectio, ita vt nihil sit in rebus, quod non sit in Deo perfectius. *Secundo*, Dei simplicitas. De reliquis cum limitatione dicimus; est homo, est Angelus, &c. de Deo autem simpliciter, EST. quia eius natura est esse. *Tertio*: æternitas. *erat* præteritum notat, *erit* futurum, *est continuum* præsens.

Exo.3.14.

Tract. Ego sum qui sum. To.6.

Quarto, immutabilitas: quæ teste Augustino, semper eadem est sine variatione. ideoque cum dixisset *antequam Abraham fieret*, non subdidit, *ego fui*: sed *sum*. vt inuariationem significaret, quam etiam Deus ipse apud Prophetam exprimit: *Ego Dominus, & non mutor*. quia *apud ipsum non est transmutatio*. *Ego* Personam Christi significat, cui, per hypostaticam vnionem, vtriusque naturæ attributa conueniunt. homo enim dicitur creator, & æternus; Deus quoque passus, & mortuus. *Fieret*. De Abrahamo dictum, creaturæ, & creatoris differentiam notat. hic principij expers est, & finem, caussamque nescit. illa verò factorem, & principium durationis habet, à quo dependet, tanquam à sole splendor, qui ad nubium interpositionem statim extinguitur. expressit hoc Dauid dicens: *aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*: *auertente autem te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur*.

Mala.3.6. Iacob.1.17.

Ps.103.29.

Disce *Primo*: ad Deum anhelare, omnis boni fontem. *Secundo*: Dei offensam cauere, ne seipsum tibi subtrahat. *Tertio*: Deo conformari, vt ab eo magis illustreris: sicut plus à sole luminis recipiunt, corpora pellucida. *Quarto*: Infernum timere; vbi Deus ideo est, vt eos puniat, qui ipsum hic caduceis postposuerunt.

Tule-

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Inuidi & mali quo tractantur benignius, eo agunt nequius. *seductores*, ait ille, *proficiunt in peius*. Iudęi primo calumnias Christo, nunc lapides intentant, quasi blasphemo, lex enim blasphemos lapidibus obruit: ipsi interim blasphemi, dum verba Dei, diabolo adscribunt; Christumque, ne conuertantur, reijciunt. *& tantæ duritiei homines, quo alio currerent*, ait Augustinus, *nisi ad sui similes*, id est, ad lapides? *vt quem intelligere detrectabant*, ait Gregorius, *lapidibus obruerent*. Solenne incredulis omnibus semper fuit, vt quos verbis non poterant, vi expugnarent. sic olim Imperatores tyranni, & hodie hæretici mortem inferunt; & verbis conuicti minas reponunt. *Iesus autem abscondens se, exiuit de templo*. Græcus addit διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν. Neque enim in angulum secessit, sed per medium abijt *inuisibilis*: hoc enim sonat Græcum Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη. In Nazareth abijt per medium *visibilis*, compescens eorum violentiam: sicut & quando Pharisæorum ministros cohibuit, ne eum caperent, non potentiam solum cohibuit, sed & voluntatem mutauit. Alias metum populi iniecit, vt significaret se tunc captum, quando voluit. hoc enim est, quod captiuitatis tempore dixit: *Quotidie eram docens in templo, & nemo me comprehendit*. Quasi dicat, quod nunc capior, non vestræ potestatis est: sed meæ voluntatis. Gratias itaque ei age, qui non coactus, sed *quia voluit oblatus est*.

XVIII.
2. *Tim.* 3. 13
Leu. 24. 16
Tra. 43. *in Ioan. in fi.*
Hom 18 *in Euāg. in fi.*
Luc. 4. 29.
Ioan. 7. 46
Matth. 21.
Marc. 11.
Luc. 12.
Luc. 23. 23.
Isa. 53. 7.

Disce *Primo*: Sapientiam abscondi à contemptoribus sui. *eam*, inquit Gregorius, *quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem*. Caue ergo ne inspirationes, aliaue consilia reijcias. si facis, auertetur Deus ad eum, qui acceptabit.

Hom. 18. *in Euāg. in fi.*

Disce *Secundo*: Ex Gregorio, non semper aduersario resistere, sed aliquando cedere, maximè irato. Aquam turbatā noua commotio non purgat: nec hominem iratum noua exasperatio sedat. iram Esau declinauit Iacob *a* voluntario exilio. Moses, *b* Pharaonem: Dauid, *c* Saulem: Elias, *d* fugit Iezabelem: & adfuit omnibus Deus. Non est turpe irato cedere, ne ex passione effutiat, quæ postea doleat. qui canem lacessit, prouocat: & qui irato se opponit, insipiens. si talis habe-

Ibid.
Rom. 12. 19
a *Gen.* 28.
b *Exod.* 2.
c 1. *Re.* 27.
d 3 *Re.* 19.

haberi times, qualem te calumniatur ille, quiesce dum fel deferbuerit, ac tum coram testibus, quid de te sentiat, quæce: si pœnitens veniam petit, ignosce; si perstat, non peccas, si coram Magistratu sine cupiditate vindictæ, honoris integritatem; & restitutionem petis. Mundus infamem putat, qui iniuriam armis non vindicat. Tu vero Sapientem audi.
Prou.20.3 *Honor est homini separanti se à contentionibus: stultus vero miscetur contumelijs.* Imo Deum. *Mihi vindictam; & ego retribuam.* Nouit
Rom.12.19 ille pro peccati grauitate, pœnam temperare. *Deusq; vltionum*
Deu.32.35 vocatur.
Eccl.28.1.
Heb.10.30 Disce *Tertio*: Duabus de caussis Deum recedere ab homi-
Ps.93.1. nibus. *Primo*: Ne præsentia noceat: dum homo ea abutitur. sic multis valetudo aufertur, & opes; quia abusuri erant. imo
Ps.54.16. vt Dauid testatur; *dimidiantur dies. Secundo*: Vt absentia corri-
Nu.12.10. gat. Cum Mariam Deus deseruisset, illaque canderet lepra, statim resipuit. sic tu ab interiori solatio destitutus, aut mente vagus, ad Deum redi; vide quo peccato ista demerueris, &
Can.3.2. cum sponsa, quære *quem diligit anima* tua.

Disce *Quarto*: Malos nulla loci sanctitate à peccato detineri, instar Pharisæorum, qui Christum in templo calumniantur, & lapidibus volunt obruere. Interdum diabolus in templo plus tentat, quam alibi: vt illic homines de alijs detrahant, impudicos oculos circumferant, venerea cogitent, ab oratione, aut concione auertantur, imo ex templo ambulacrum faciant, negotiandi caussa. Idque *primo*: in Dei, cuius templum est, iniuriam. *Secundo*: ad peccati grauitatem. plus peccat, qui in aula coram Rege delinquit, quam qui in loco priuato. in templo autem Christus coram est, Sanctiq; omnes, quorum illic reliquiæ. Noluit Christus domum Pa-
Mat.21.12 tris sui fieri *officinam negotiatorum*. imo *nec sinebat*, ait Euange-
Mar.11.16 lista vt *quisquam vas aliquod per templum transferret.* Quanto magis hæc nos dedecent? quorum templa tanto præstant templo Iudæorum, quanto vmbra corpori. CHRISTVM itaque ora; ne discedat à te, sed gratia semper, & vbique iuuet.

ORA-

ORATIO.

O Benignissime Domine Iesu Christe, Deus, & homo, ipsiusq; Dei viui Fili, qui secundum diuinitatem tuam Patri es consimilis, ac coæternus, omnipotẽs, simplex, vniformis essentia, totius perfectionis cõtinens plenitudinem, à qua cætera oẽs creaturæ suum hauriunt esse, ac perfici: secundum humanæ naturæ constitutionem sanctissimæ tuæ genitrici es consimilis, omnis cõtagionis expers, omnino integræ vitæ & sceleris: tu in hoc mortali æuo vitam degens à Iudæis, opprobrijs, conuitijs, blasphemijs, alijsq; horrendis iniurijs es impetitus, quæ tamen omnia ad maiorem Dei promerendam gratiam & ad efficacius patientiæ exemplum nobis præbendum, pacatissime sustinuisti: rogamus te, vt à peccati reatu nos conserues, emundesq;: inclina aures nostras vt diuina verba fideliter hauriamus, emolli corda, vt eadem firmiter retineamus, inflecte singula mẽbra vt ea impleamus: illumina infideles vt probe illa intelligant, neque propria commenta pro vero Dei verbo effutiant. fac nos veros Abrahæ filios, qui sinceram eius fidẽ, firmam spẽ, feruentẽ charitatẽ, profundam humilitatẽ, hilarẽ, celerẽ, perseuerantemq; obedientiam, ac reliquas præstantissimarum virtutum quibus egregie exornatus fuit, actiones amplectamur. Præbe insuper gratiam, vt consequẽtes hosce duarum hebdomadarum dies, non nisi in feruẽti sacratissimæ passionis tuæ, cæterorumq; multiplicium cruciatuum tuorum, meditatione, ac salutari compunctione expendamus: excita nos ad contẽplandum, admirãdumq; infinitam inexhaustæ bonitatis tuæ magnitudinẽ, incita cor nostrum ad proximorum commiserationẽ, veramq; peccatorum consolationẽ, vt spe firma consolidetur, ardentiq; charitatis flamma incendatur. Largire feruẽs desiderium imitandi te, ac pro nomine tuo patiendi, nosq; gratos effice, pro omnib. & singulis, quæ in nos contulisti beneficijs, maxime vero acerbissimæ passionis. Da nobis veram peccatorum agnitionẽ, cum firmo contritionis, emendationisq; proposito: auxiliare nobis, vt peccata humiliter, perfecte, & distincte apud Sacerdotem sacratissimo hoc tempore, in Confessionis Sacramento deponamus, ac sufficientem pro ijs pœnitentiam agamus. Vt instanti hac paschali solẽnitate, sacratissimum tuum corpus in nobis, quasi in condigno sepulchro sepeliamus: ambulantes de cætero in nouitate vitæ, ac tecum quasi modo geniti infantes resurgẽtes. Quæ quidem omnia vt benignè nobis largiaris. humiliter obsecramus te, dulcissime Domine Iesu, qui cum Patre, ac Spiritu S. viuis, & regnas in secula seculorum. Amen.

DOMINICA PALMARVM.

Euangelium Matth. 21.



IN illo tempore: cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem oliueti, tunc misit duos discipulos, dicens. Ite in Castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem; dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit eis Iesus, & adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via; alij autē cædebant ramos de arboribus, & sternebāt in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: O sanna, filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini, O sanna, in excelsis.

Breuis

Breuis Euangelij Exegesis.

POst suscitatum à Christo Lazarum quatriduanum, & iam fœtentem, magnus inter Iudæos motus exoritur: Principes enim Sacerdotum, & Pharisæi coeũtes, in Christi mortem conspirant. & quia Dominus in solitudinem cum suis abierat, legem promulgant, vt quisquis locum sciret quo abijsset, eum ꝓderet. Plebs contrà audiens magnũ illud excitati Lazari miraculũ; & ipsius, & Lazari videndi desiderio flagrabat: sperans ab ipso, tanquam Messia, liberandos Romanorum dominio, & in antiquam dignitatẽ restituendos. Cũ ergo audissent Christum sex dieb. ante Pascha, nempe feria 6. vt quidã, vel vt alij volunt sabbatho; venisse Bethaniam, & instructum illic conuiuiũ, multi eo Ierosolymis vtriusq; videndi caussa, conuenerunt. Postridie Christus ad Ierosolymitanũ iter, nihil obstante Sacerdotum ꝓhibitionẽ, se parat, quod cũ intellexissent ei, qui Ierosolymis illuc venerant, vt alijs aduentum Domini significarent, in vrbem prẽcurrunt. Dominico igitur die Christus Bethania discedit, & veniens ad montem Oliueti (ab oliuis sic dictum) in pagum Bethphage (vnde Sacerdotes dicuntur Paschales hostias soliti accipere) duos ex Apostolis (Petrũ & Philippũ putat Hilari⁹) mittit in pagũ, qui erat è regione, dicens. *ite*, & inuenietis alligatam illic asinam, cum pullo cui nemo insedit: soluite, & adducite eos huc; quod si vero quis se ꝓponat, dicite Dominus

his opus habet, & dimittet vos. Fecit hoc Christus, vt se Messiam demonstraret, à Prophetis prænuntiatum. Scripsit. n. Isaias: *Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit,* & Zacharias, *Exulta filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator. ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Fecerunt mandata Apostoli, inueneruntq; asinum in biuio ligatum, quem cũ soluerent, quidam ex eis causſam querit, illi vt iusserat Christus; Domin⁹, aiũt, his opus habet. atq; eo dicto abeuntes ad Dominum adducunt asinam, vestesq; insternunt, ac Dominum imponunt. Sunt qui Dominum dicunt, vtriq; animali succesſiue insediſſe; vt se Iudæorum simul, & Gentium Saluatorem ostenderet. Iudęi. n. asinę instar, legis onus portabãt; Gentes vero, instar pulli adhuc erant indomiti. Asinæ non diu insedit, quia exiguo tempore Iudæis, à quibus reiectus est, adfuit: nobiscum vero est *vsq; ad consummationem seculi.* Cum igitur pullo insideret, multi de aduentu eius iã præmoniti occurrunt, palmas lætitiæ, & victoriæ signa portantes, gaudebant enim quod Messiam viderent, nihil de ipsius victoria dubij, qui etiam mortem excitato Lazaro vicisſet. Alij tam qui Ieroſolymis, quam qui Bethania venerant, vestes in via sternebant, alij ramos de arboribus cædebant, obedientiam, ac subiectionem hoc signo profeſſi. ac promptos se vt & bona, & vitam ipsius causſa profundant. In montis descensu, inceperunt Discipuli omnes cum gaudio hymnũ triumphalem, miracula quæ viderant commemorantes, populus vero, quæ præibat, & qui sequebatur, omnis ætatis, ac sexus, clamabat: *Osanna filio Dauid*

Isa. 62. 11. Zach. 9. 9.

uid. quod significat, *Saua nos, Fili Dauid. Benedictus qui venit* Rex *in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid pax in cœlo & gloria in excelsis, O Sanna.*

Documenta huius VI. Concionis.

CVm appropinquasset Iesus Hierosolymis. Sæpe Dominus Hierosolymam ingressus est; sed eques nunquam, & cum pompa. Nunc ergo vltimum peregre in vrbem venit, etsi enim hoc die, & sequentibus discesserit Ierosolymis Bethaniam, vel in montem Oliueti, tamen non abijt longe ab vrbe. Aberat enim Bethania Ierosolymis tantum 15. stadijs, id est, medietate nostri miliaris. Admisit autem hanc pompã Dominus, ob nouem causas. *Primo*, Vt veteris Testamenti figuram impleret. debebat enim agnus Paschalis decima die primi mensis, in vrbem induci, & ad decimum quartum seruari, eratque huius inductionis magna solennitas, vt lætitiam ostenderet populus ob liberationem seruitutis Ægyptiacæ conceptam. Dominica hæc decimus primi mensis dies fuit, cum ingressus est CHRISTVS, & decima quarta die occisus. *Secundo*, Quia instabat, ait Chrysostomus, passionis tempus, quam cum authoritate inchoare voluit, ad apertam innocentiæ suæ virtutumque declarationem. *Tertio*, Vt mortem prouocaret, ait Imperfectus. Sciebat hoc suo triumpho offendendos Sacerdotes, ac mortem acceleraturos, quam ille magno desiderio desiderabat. non quod eorum peccato delectaretur, sed vt præstitutum sibi a Patre tempus impleret, & peccato illorum ad mundi salutem vteretur. *Quarto*: Vt passionem suam non ignominiæ, sed gloriæ ostenderet plenam, inchoatam à gloria. sicuti enim alicui statui initiatus cum honore, & gaudio aliorum deducitur; vt in sponso & sponsa, ac Sacerdote primitias celebrante patet. sic ibat CHRISTVS Ierosolymam, Sacrificium primum celebraturus in cœna, ac dein in cruce, idem cruẽtè

I.

Nouem causæ huius triumphi.

1. *Exod.* 12. 3.

2. *Hom.* 67. *in Mat.*

3. *Hom* 37.

4.

oblaturus; & spõsæ suæ Ecclesiæ iungẽdus, accepturusq; cœli
Mat.28.18 & terræ potestatẽ (de qua dixit postea; *Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra*) q̃ morte sua meruit. *Quinto*: Ob victoriæ
5. ab hostib. certitudinem. Non triumphant homines ante victoriam; quia huius adhuc incerti sunt, CHRISTVS vero eam sciuit certam: tum, ob fortitudinem suam: tum, quod cum hostibus tam Iudæis, quam diabolis, ignoto stratagemate esset pugnaturus. Norant illi prælia, sed corporis tantum: qualia homines tractant. CHRISTVS vero patientia præliaturus aduenit. Cum primo inuentus esset tormentarij pulueris vsus, certa erat vtentibus victoria, contra aduersarios eius vsu destitutos. Nesciebant noua Christi bella eius hostes, ideoque dum eum impugnant, adiuuant. Quærunt Iudæi famæ, ac honoris eius oppressionem; diabolus peccatum impatientiæ; sed falsi sunt ambo. Suscipit ergo triumphum hunc CHRISTVS ante mortem ab hominibus, quia post mortem susceperit maiorem ab Angelis, & Patribus; qui eum in cœlos deduxerunt. Discimus etiam, nobis possibilem hic de diabolo triumphum. post-
Apoc.20. quam enim mors Christi eum *vinxit*, amplius nihil in nos potest, quam ipsi volumus: instar vincti canis, qui non nisi
Matt 5.2. sponte accedentes potest lædere. Ideo & in hac vita à Christo *beati* dicimur, quia certa est, modo velimus, nostra beatitudo: Deus enim non deerit. Interim perfectior erit futuri sæculi triumphus; quando diabolus ne quidem nos fallere
6. poterit. *Sexto*: Vt doceret, ait Beda, regnum suum non esse
Lib.3.in de hoc mundo, nec temporale. ideo non imitatur Principum huius sæculi triumphales pompas, currus, equos, milites: sed asino sedet, deducente eum plebe mox defectura; Ierosolymis enim nemo eum recepit, sed redijt eodem illo
7. die Bethaniam. *Septimo*: Vt discamus non semper reijciendum honorem externum; sed cum vtilitas proximi, vel honor Dei requirit, admittendum quoque. Sic Ecclesiasticus pariter, & ciuilis Magistratus famulos habet ad obsequium, ac singuli pro conditione sua, etiam vestibus splendent, ne vilitate sui abeant in contemptum. plus enim pompam exteriorem plebs suspicit, quam datam à Deo authoritatem.

Nemi-

Nemini tamen cultus hic tantum placere debet, quin Dei causſa eundem libens deponat; Dauidis exemplo, qui ante arcam Domini luſit, & ſaltauit, vxore ſua etiam ridente. *Octauo*: Vt vanitatem oſtenderet ſæcularis gloriæ, ait Bernard. inconſtans illa eſt, & hominum horum inſtar, ſtatim fugit. Nulli vnquam Principi ſubſtratæ veſtes, nulli acclamatum, *O ſanna! ſalua nos! in excelſis!* & tamen poſt ſex dies, eundem Dominum vrbe cum ignominia eijciunt, clamantes: *Crucifige, crucifige eum*; & latroni poſtponentes. Idem tibi, ſi mundum ſectaris, eueniet. *Nono*: Vt amarior eſſet, ait Bernardus, futura paſſio. Magis enim lædit ignominia, quæ honorem ſequitur, ab honorantibus præſertim illata. Ijdem hi qui tam fauſta Chriſto acclamant, eadem ſeptimana grauiſſimos ipſi cruciatus, & infamiam imprecantur. Vt proin Chriſto hic triumphus non tam gaudium, quam triſtitiam attulerit, excuſſeritque lachrymas: cum vrbem vidit, tanto ſcelere paulò poſt maculandam, quo & ſui ruinam, & Iudæorum diſperſionem, & tam diutinam meritam erat ſeruitutem.

2. *Reg.* 6. 8.

Serm. 1. *in feſt. Palm.*

9.

Ser. 2. *ibid.*

Cur autem Ieroſolymis Chriſtus pati voluerit, poſſunt præter alias aſſignari hæ decem rationes. *Primo*: Quia erat illic templum, in quo cruenta quotidie ſacrificia immolabantur, figuræ veri crucis Sacrificij. *Secundo*, Quia iracundiam Dei illic Dauid placauit, poſt ſeptuaginta hominum millia peſte ſublata, ac templum ædificauit; quo ſignificabatur placandam illic à Chriſto Patris iram. *Tertio*, Quia occiſi illic pene omnes Prophetæ, ſecundum illud CHRISTI: *Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.* Chriſtus Prophetarum caput erat, imo & ſcopus, in quem omnes intenderant. oportebat ergo vt eodem loco, quo illi, tanquam eius prænuntij, moreretur. *Quarto*: Quia illic ſolum immolabatur, & comedebatur Paſcha. CHRISTVS ergo verum Paſcha, voluit eodem loco, eodemque tempore, & incruente in Euchariſtia, & cruente in cruce immolari. *Quinto*: Quia Ieroſolyma erat Sacerdotalis ſimul, ac Regia vrbs, quam Sacerdotes, & Reges habitabant, Chriſto autem vtraque dignitas hic obtigit, declaratus enim fuit in crucis titulo,

Decem cauſſæ cur Chriſtus paſſus Ieroſolymis.

1.

2. 1. *Par.* 21. & 22.

3. *Luc.* 13. 33.

4.

5. *Ioan* 19. 21.

Rex Iudæorum, & sacerdotium æternum exercuit *secundum ordinem Melchisedech. Sexto*: Quia vt ex Hieronymo, docet Augustinus, in monte Caluariæ Abraham parauit immolationem Isaac, quæ perfecta immolationis CHRISTI figura fuit, vt dictum est concione præcedente. *Septimo*: Quia in eodem monte, sepultus est primus omnium parens Adam; vt ex Hebræorum traditione, docent Tertullianus, *a* Origenes, *b* Cyprianus, *c* Athanasius, *d* Basilius, *e* Epiphanius, *f* Chrysostomus, *g* Ambrosius, *h* & Augustinus, *i* imo etiam Hieronymus: *k* etsi alibi *l* eum dicat in Hebron sepultum. Quia ergo omnes illic in Adam quasi eramus mortui, voluit Christus, qui venerat mortem superare, ibidem mori: vt nos sua morte viuificaret spiritu, ac corpori immortalem resurrectionem mereretur. *Octauo*: Vt maior esset mortis ignominia, in celeberrima vrbe Iudææ, ac spectantibus tot centenis hominum millibus, qui ascenderant ad festum. Nasci voluit in loco ignobili, & educari; ne parentum, vel loci nobilitate nos gloriemur. occidi vero cum ignominia, in loco celeberrimo; vt à nobis in hora mortis ignominiam omnem, coram Patre suo, & Angelis amoueret. *Nono*: Quia Ierosolyma Ecclesiæ typus est, in qua sanguinis sui pretium, & meritum nobis concedit. *Decimo*: Vt doceret, Ierosolymam non CHRISTI, sed proprio demerito euersam, ipse quantum in se, eam morte, & sanguine suo sanctificauit, vt eandem meritis suis custodiret: sicuti martyres custodiunt vrbes, in quibus interfecti sunt, & eorum reliquiæ honorantur. Sed quia tanta fuit Iudæorum peruicacia, vt Christum plane reijcerent, ille quoque eosdem, cum loco eorum, Gentibus tradidit, vt non nitamur locorum sanctitate; loca enim illa nos custodient, quæ virtute nostra sanctificantur.

Ps 109. 4. 6.
Ser 71 *de tempor.* 7.
a Li 2. *cõt. Marcion.*
b Tract. 35. *in Mat*
c de operibus Card.
d de Passio. & Cruc.
e in cap 5. *Leuit.*
f Hæres. 46
g Ho. 34. *Ioan.*
h Lib. 5. *epist.* 9.
i q. 61. *in Gen.*
k Epist. 17.
l in ca. 27. *Mat.*
8. 9. 10
2. Mach. 5. 19.

11. *Et venisset Bethphage, ad montem Oliueti.* Lucas Bethaniam & Bethphage nominat; quia CHRISTVS Bethania, vbi noctu quieuerat, egressus, venit Bethphage, ad pedem montis Oliueti. Non caret mysterio, quod hic tria loca nominentur. *Primo*: *Bethania*, id est, *domus obedientiæ*, vel *cruciatuũ*. Pagus erat Christo familiaris, ob Magdalenæ, & Marthę domum;

Triũ locorũ mysterium
1.

domum, vbi & Lazarum excitauit, & à Simone Leproso inuitatus cum eo recubuit, quãdo Magdalena adferens *alabastrum nardi pistici*, illud *supra caput & pedes eius effudit*, & capillis suis tersit. Egreditur hinc hodie Christus ad passionẽ, vt quę eum causſæ ad passionem mouerint, significet: *Prima* est miseriæ nostræ, qua ante eius aduentum plenus erat mundus, compassio. *Secunda*: Obediẽtia, de qua dixit Apostolus. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. *Tertia*: Paratum nos in omnibus iuuandi studium, nempe, *Primo*, Viuificandi nos peccato mortuos, sicut viuificarat Lazarũ. *Secundo*: Mundandi nos ab omnibus erroribus, quos significabat Simonis lepra. *Tertio*, Perficiendi nos omni virtute, ꝙ per Mariam & Martham significatur. hæc enim typus est actiuæ, illa contemplatiuæ vitę. Hęc Christũ & Apostolos pauit, illa Christi pedes, (quibus iuxta Augustinum pauperes significantur, tãquam ima Ecclesiæ membra, quæ tamen totum onus portant, & abiectissima faciũt) lauit. *Secundus* locus, est *Betphage*; quod significat *domum maxillæ*. eratque vicus, quem Christus transibat. *Tertius* est *mons Oliueti*, oliuis consitus, in quo Christus frequens in oratione pernoctabat, ac cum Discipulis de aduentu suo, & iudicio extremo differebat. Significant hæc duo loca, viam per quam Christus ad passionem peruenit, doctrinam scilicet, & opera misericordiæ. Betphage enim, quæ domus maxillæ est, doctrinam significat, quæ ore, seu maxillis profertur, de quibus sponsa, *Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs: labia eius distillantia myrrham primã*. Duo enim docebat Christus. *Primo*: virtutes, ac materias Diuinas: Sacramenta & salutis, perfectionisque media, propter quæ comparatur *areolis aromatum*, quorum est odorem spargere, & calefacere: similiter doctrina Christi amoris accẽdebat calorem, iuxta illud: *Ignem veni mittere in terrã, & quid volo nisi vt ardeat. Secundo*, Ardua, & carni molesta, ieiuniũ, vigilias pœnitentiam, benignitatem, humilitatem, patientiam. propter quæ *myrrhæ* cõparatur, erant enim illa carni sic dura, vt tamen essent vtilia. Vicus hic Sacerdotum erat, quia illis incumbit, populum per grauia, & leuia ad salutem perducere. *Mons Oliueti*, opera misericordiæ significat, quibus Christus

Mar.14. Ioan.12.

Caussæ passionis Christi.

Phil.2.8.

Tract.50. in Ioan.

2. Locus & 3.

Hier. in c. 21. Matth. & de locis Hebraicis lit. B.

Luc.22.39

Matt.24.3

Via passionis Christi.

Cant.5.13.

Duplex materia doctrinæ Christi.

Luc.12.49

abundauit, ſpiritualibus ſimul, & corporalibus, conuertens peccatores, excitãs mortuos, ſanans omnes infirmos. Vtraq; hæc Phariſæos offenderunt, & in Chriſti necem incitarunt.

III. *Tunc miſit duos de diſcipulis ſuis.* Incertum qui fuerint. Origenes, Petrum & Paulum nominat, non quaſi Paulus tunc fuerit conuerſus, ſed quia hic duo ſignificabãtur, ſicuti per Aſinam, & pullum, duo ſignificati ſunt populi, Iudæorum, & Gentium. Petrus etſi totius Eccleſiæ caput, tamẽ Chriſti exemplo præcipuã habuit Iudæorum curam: Paulus vero Gẽtium. Alij Petrum putãt, & Ioannem, quia hos Chriſtus alias miſit ſimul, & ſe mutuo tam ſpiritualiter, quam corporaliter iuuabant, vt cum non poſſet Petrus, ob piſcium multitudinem, rete adducere, & cum optaret in cœna, proditorem Chriſti noſſe, iuuit eum Ioãnes; aç viciſſim poſt reſurrectionem, rogat Chriſtum Petrus, pro Ioãne, *Hic autem quid?* ſperans, ait Chryſoſtomus, id Ioãni placere. Optime hi duo cõiunguntur, ꝙ alteri Chriſtus Sponſam, alteri matrem ſuam commendarit, & Petrus, iuxta Auguſtinum, ſignificarit vitã actiuam, Ioannes contemplatiuam, quæ duæ mutuum ſibi debent auxilium, ſicuti Organicen, & qui folles mouet. Pro in vtiliter prouidit Deus, vt Eccleſia quoſdam habeat contemplationi, & orationi vacantes, quales ſunt Carthuſiani, Eremitæ, ac ſimiles, Religioſæ præſertim fœminæ, quæ aliud auxilium Eccleſiæ non præſtant. Quoſdam vero, qui in vita actiua, corporali labore proximos iuuant, ſiue ſpiritualiter concionibus, audiendis cõfeſſionibus, ſcribendo, docendo, ſiue corporaliter, infirmorum viſitatione, & miniſterio, captiuorum redemptione, mortuorũ ſepultura, oppugnatione infidelium, &c. Debent hi vno animo ſine alterius cõtemtu, Deo, ac proximis ſeruire, ac contemplatiui Deum orent, vt laboribus aliorum benedicat, & det eis ſinceram charitatem. Actiui vero diſponant ſe, vt ſint digna Deo organa, ac per aliorum orationes, à Spiritu Sancto conuenienter agantur.

Tract.14. in Matth.

Gal.2.7.

Luc.5.7.

Ioan.13.24

Ioan.21.21

Ho.87.in.

Tract.124 Ioã & ſer. 149.de tẽp.

Qui poſſint iuuare alios.

Nota, *Primo:* Qui ſint iuuandis alijs apti, nempe *Petrus*, id eſt conſtans in bono, & *Ioannes*, ab omni macula purus, raro enim ꝓficit, cuius vita à doctrina deficit. *Secunda*: Qui veni-

unt

unt Bethania exercitatæ obedientiæ viri, qui à Superioribus ducuntur, Adest enim & cooperatur obedientię eorum Deus, qui Superiores mouet. Proinde non debent Religiosi cum proximis, alia via agere, quam quę Superiorum, & Religionis intentioni respondet. Solent olim Episcopi, & Pastores, ex Religionibus assumi, quod etiam hodie Græci obseruant, quia nemo regendo populo est aptior, quã qui obedientiam didicit. *Tertio*, Qui venerunt Betphagen, id est, vt exponit Origenes, patiẽtes: iuxta illud Christi, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Nam qui promouere vult apud proximum, labores eum, & calumniæ Apostolorum exemplo manent. *Quarto*, Amantes. Diligebat Petrus Christum plus, quam alij. Ioannes etiam se ipsum vocat, *Discipulum, quem diligebat Iesus.* Vbi charitas est, nullus labor grauat. *Tract.14. in Matth.* *Matt.5.39* *Ioan.21.20*

Nota *Secundo*: Mitti duos. *Primo* vt alter alterius sit inspector, & testis, ne aliorum calumniæ pateat, ad quas illi sunt propensissimi. Consulto itaque faciunt Religiosi, quod non incedant nisi bini, & Sacerdotes sæculares, quod soli nõ cohabitent fœminis, nisi à iure canonico permissis, id est, matri, vel sorori. neque eas inuisunt, alloquuntur, vel audiunt confitentes, nisi in publico, vel saltem coram viro spectatæ integritatis. Consulto etiam faciunt virgines, & viduæ, quod cum viris solæ non loquantur, sed habeant præsentem omnium operum inspectricem, integritatis custodem, & obicem impuritatis, quę à persona disparis sexus proponi posset. Cur duo missi. 1.

Secundo; vt ex mutua reuerẽtia, integrius ac diligẽtius operentur. Qui solus est, facit quantum, & quomodo libet. Qui vero alijs adest, negligentiæ notam fugit, citatior est equus, si cum alijs ambulet, quam solus. Hinc cœnobia commẽdantur, quia mutuo illic verbo, & exemplo proficiunt. 2.

Tertio: Vt sibi mutuo opitulentur. *Plus vident oculi, quam oculus*; & plus gratiæ habent iusti, quam iustus, ideoque defectum vnius alter supplet. *Væ soli*, ait Sapiens, *quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Nemo sibi soli sufficit, superat nos impugnantis Diaboli astutia, & robur, 3. *Eccl.4.10.*

præ-

præsertim ꝑprijs viribus nixos. Nota *Tertio* Apostolos *Prin-*
Ps.44.17. *cipes super omnem terram* constituendos, primum exerceri à Christo in humilitate. Agasonum instar, in pagũ eos mittit, vt asinam ducãt. Acquiritur humilitas exercitio sui, vt & aliæ virtutes, estque fundamẽtum aliarum, amabilis simul & vtilis, natura. n. amamus humiles, ac superbos odimus & confluit ad eam gratia, tãquam ad valles aqua. *Deus*, ait Iacobus,
Iacob.4.6. *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnes humiles haberi volumus, sed superba operamur. Qui nullam literã bene scripsit, scriptor bonus nõ habetur, noli errare, humile est cœli ostium, humile esse debet, quod ingreditur, nõ discitur sine exercitio humilitas, nec ostium illud transitur. Narrat
In vita eius. Dorrotheus, vidisse aliquando S. Antonium mundum laqueis plenum, ac roganti, quis se expediet? responsum, sola humilitas, ideo cum olim nobiles, vel docti, renuntiantes seculo religioni se darẽt, in omni humilitate à superioribus exercebãtur. De Ioanne Damasceno nobili æque & docto, refert Ioannes Ierotolymitanus: ꝙ cum sæculo renuntiasset,
Cap. 20. vita eius tom. 3. Sur 6. Maij. datus sit cuidam Seniori instruendus, qui pro tyrocinio ei mandat, ne versus, vel aliud quicquam eruditum componat,
1. Cor. 8.1. cogitans illud Apostoli: *Scientia inflat.* Contigit Religiosum non longe istinc agentem, mori, ex cuius obitu, frater eius multum tristabatur, cumque eum Damascenus solaretur, respondit ille: Si vere solamen meum quęris aliquot mihi versus cõpone, quos tristitiæ leuandæ caussa legam, vel canam. Ioanne autem ꝓhibitionem sui Magistri prætexente, ait alter: si medicus esses corporalis, & ego corporali morbo decumberẽ, charitas à te auxiliũ mei extorqueret, quãto magis nunc, cum spiritualiter infirmor? Ioannes hoc dicto expugnatus, ei versus aliquot componit. Intelligit hæc Magister, eumq; acriter obiurgatum, cella eijcit. Ioannes tristis, aliorũ interces sionem quęrit, vt recipiarur: illi magistrum accedentes, cum exorare vix possent, tandem respõsum accipiunt, vt si Ioannes redire velit, omnes omnium cellarum sordes, & latrinas, manibus purget. quo dicto perculsi, id Ioãni aperire vix audent. Sed ille eos reuertentes videns, accurrit, in terrã proruit, rogat, ecquid responsi habeant? reque omni intelle-

cta, impositam sibi pœnitentiam lætus absoluit, vt perfectam humilitatem disceret. Cogita, quisquis humilitatem quæris. Verbo te nõnunquam vituperas, sed ab alio vituperatus indignaris. nempe; vera humilitas deest, superbia, & ambitio, exteriori humilitatis pallio honorem quærunt.

Dicens. Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Secundum literam hæc clara sunt, & docent, Christum etiam absentia cognoscere. Noli putare quia in cœlis est, ꝙ tua non videat. videt etiam cogitationes, *omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius*, vt loquitur Apostolus, & Isaias: *Quare dicis, abscondita est via mea, à Domino, & à Deo meo iudicium meum transibit?* neq; tantum videt Deus opera, verba, ac cogitationes nostras, sed obseruat quoque, in dié iudicij ea remuneraturus. Athanasius, alijque post eũ, allegorice per *castellum*, intelligunt mundum, qui vere castellum duntaxat, castelloque vilior est. Vis magnitudinem? totus terræ ambitus, si cœlo, quod speramus, comparetur, proportionem habet aciculæ ad terram vniuersam. Vis formã? proportio ad cœlũ, nulla est: quia terra deformis est, & lutea, nihil nõ terrenum habet aurũ argentum, gemmę, terra sunt, & suppellex rustica, ad decorẽ & pretium cœli. Inquilini hic pauperes, & miseri, in cęlo Reges, beati. Huius castelli sex cõditiones exprimũtur. *Prima: Quod contra vos est*, significat, mũdum eiusque amatores, Apostolis, eorumque successoribus contrarios, & ꝙ suos Christus non ad amicos, sed ad hostes, conuertendos mittat. *Ecce*, ait: *ego mitto nos, sicut oues in medio luporum.* Et, *In mundo pressuram habebitis.* Item, *Si mundus vos odit scitote, quia me priorẽ vobis odio habuit.* Ex quo discas, *Primo*: Notam esse sanctitatis, odium mundi, nisi illud aliquo scelere demerueris: quanto enim piorum sanctitas est illustrior, tãto & cõtemptior. *Existimo*, ait Apostolus, *quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus, tanquam purgamenta huius mundi, omnium peripsema vsque adhuc.* Tales enim à mundo habebantur, vnde & primos Christianos Ethnici vocabant βιαθανάτους, quasi *violentæ morti destinatos. Secundo.* Non intermittendũ bonũ etiã in resistentes. tuũ .n. est, eos qui à Deo remo-

IV.

Hebr. 4.13.

Isai. 40.27

Quæst. 40. *ad Antioc. & serm de hoc Euãg.*

Cõditiones castelli sex. 1.

Mat. 10.16
Ioan. 16.33
Ioan. 15.18

1. *Cor.* 4.9.

remotiores sunt, plus iuuare: medici instar, cuius maior est diligentia, erga periculosius laborantes, non quod his semper blandiri debeas, nam phrenetici vinciuntur quoque, & ceduntur virgis, sed vt omni modo eorum salutem queras, & mala quæ tentant impedias, exemplo Apostoli, qui excæcauit Elymam magum, ne Sergium Proconsulem à fide impediret. *Tertio*, Examina te ipsum, an aliquod odiū foueas cōtra bonos, siue seculares, siue Ecclesiasticos, Si .n. odij causſa ex monitione tui, vel reprehensione est, (quomodo Achab oderat Micheam) vel ob sanctitatem vitę, qua alios ad virtutem alliciunt, & à te eos seducente auellunt, superbia, auaritia, vel inuidia laboras, & licet seculo renuntiaris, sæcularis es. *Secunda*: cōditio est, *statim*. Quæ significat, nō requiri magnum laborem, vt homines inuenias quibus benefacias. nā *Primo*: Plenus horum est mundus, vt etiam sponte occurrant, spirituale, vel corporale auxilium implorantes. *Secundo*: Subordinat Deus multos, quibus firmato semel iuuandi proposito succurras. nam templo egressus, habes illic sedentes præ foribus. *Messis multa*, ait Christus, *operarij pauci*. Non est, quod oportunitatem meriti queraris tibi deesse, vt mercatores aliquando faciunt, dum societatem quærunt. nunquam spirituali lucro materia deest. nec est quod eam tibi subtractam queraris, vt mercatores, si enim præueneris in vno, alium tibi prouidebit Deus, modo dignus sis. *Tertia est, inuenietis asinam cum pullo*. Quæ Iudęos, & Gentes, iuxta communem Patrum expositionem significat. Nam, *primo*: Iudæi antiquiores erāt Gentilibus, descendentes ab Adam & Noë, retinentesque eandem cum illis fidē. Gentes vero eosdem quidem parentes habuere, sed spreta eorum fide, secuti sunt idola, iuniores itaque erāt religione, adeoque per pullum figurabantur. *Secundo* Iudæi oneri legis, asinæ instar, adsueuerant. Gentes vero instar pulli, onus illud nunquam admiserant.

Act. 13. 11. — 3. Reg 22. — 2. cōditio. — Matt. 9. 37 — 3. cōditio: Asina & pullus quid? — 1. Iudæi & Gentes.

Nota. Omnes homines duabus his bestijs figurari, de omnibus enim verum est, quod dixit Dauid; *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Ante peccatum homo sibi, & bestiis omnibus dominabatur, post peccatum vero ab eisdem vexatur, & consumi-

2. Omnes homines. — Psal. 84. 21

sumitur ille, pulices nutrimus, cũ canibus, muscis vexamur, vt equi, lupi, leones, & alia carniuora animalia, homini non non parcunt, rapimur passionibus, & tantum eis inquietamur, vt etiam Apostolus exclamarit. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Est tamen hic magna malorum à bonis differentia. Mali enim asinorum vitia habent. *Primo*, Nihil intelligunt, queritur .n. de eis Dauid: *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, sine vllo timore, ad inferos descendunt nihil diuinum cogitant, passionum æstu rapiuntur, vt bruta. *Secundo*: Pigri sunt, ad opus bonum, *Vsque quo piger dormies?* ait Sapiens, *quando consurges à somno tuo?* *Tertio*: Animam habent deformem, vt corpora Asini. *Quarto*, terrã aspiciunt, quia terrena tantum quærunt, & cogitant. *Quinto*, Crasso & rudi cibo pascuntur, quicquid enim terrenum est, crassum, imo vanum est, quid enim sunt honores, & opes, nisi fœnũ, & stramen, quibus anima nõ satiatur. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu* ait Sapiens. *Sexto*: Crucem semper portant; sed asini, non Christi. nemo secularibus maiorem patitur difficultatem, de quibus dixit Apostolus, *tribulationem carnis habebunt huiusmodi*. Semper de victu solliciti, & soluendo debito, ac quomodo hominibus placeant, semper queruli. *Septimo*, Aures habent prolixas, vt audiant detractiones, & sicuti asinus in omnem se partem vertit, cum sonum audit, sic & illi vndecunque noua curiose inquirunt.

Rom.7.24

Mali vitia asinorum habent.

1. *Psal.31.9.*

2. *Prou.6.9.*

3.

4.

5. *Eccl.1.8.*

6. *1 Cor.7.28*

7.

Boni vero asinorum cõditiones habent in bonum. *primo*, intellectum non habent ad mala, in bonum doc iles sunt, & ductiles, *captiuant*, vt Apostolus loquitur, intellectum, & cõplectuntur. *Secundo*, Tardi sunt ad imprudentiam, quia mature deliberant. *Astutus omnia agit cum consilio*, ait Salomon. *Tertio* neglecto corporis cultu animæ exornandæ student, quia *omnis decor filiæ Regis ab intus*. *Quarto*, Præ humilitate cum Publicano in terram despiciunt, & ob peccatorum multitudinem, *non audent oculos in cælum attollere.* Humiliantur præterea hic, vt postea audire mereantur à CHRISTO; *Leuate capita vestra*. *Quinto*, Non quærunt delitias, *nec agunt carnis curam in concupiscentijs*; Apo-

Boni quo modo habeant cõditiones asinorũ.

1. *2.Cor.10.5*

2. *Prou.13.16.*

3. *Ps.44.14.*

4. *Luc.18.* *Luc.21.28*

5. *1.Tim.6.*

Apostolum imitati, & quod B. Virgo olim Religiosum monuit per visionem. *Age quod agis, & vt tibi singulare aliquid præcipiam: stude vilibus esci, amplectere abiectas vestes, operi manuum deuotus insiste. Sexto*, Semper crucem Domini portant in pectore; hanc sibi & in Baptismo, & in Confirmatione, scientes chrismate impressam. Portant quoque cum hoc asino Christum; nec ex eo onus sentiunt: instar B. Virginis, quæ nouem mensibus CHRISTO grauida, nunquam fuit grauata. *Septimo*: Aures habent, de quibus dixit Christus; *qui habet aures audiendi audiat*: audire malunt, & discere; quam loqui, & docere.

Lib. 2. mira. c. 29. 6.

Matt. 11. 15. 7.

4. conditio. Duo vinculo hominis. *Ps. 118. 61. Prou. 5. 22.*

Quarta conditio est: *alligatam*. Multæ enim sunt, ait Hieronymus, peccatoris ligaturæ: nempe; peccata, & animi perturbationes; de quibus Dauid *funes*, ait, *peccatorum circumplexi sunt me*. & Salomon: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*.

Eorū cōuenientia. 1. 2. 3. 4.

Conueniunt hæc duo vinculorum genera. *Primo*: Quia libertatem hominis minuunt, vt non possit quod vult. *Secundo* Quia hominem iunctis armis constringunt; pro grauitate enim peccati, crescit passio, & hæc quanto grauior, tāto grauius causat peccatum. *Tertio*: Quia, vinciunt omnia hominū membra. *Primo*: Oculos claudunt, ne peccator sui status periculum videat. *Secundo*, Aures claudunt, ne boni aliquid audiatur, à sono enim passionis auditus impeditur, & à peccato tollitur. *Tertio*, Motum membrorum impediunt à bono. Accedunt porro ad hæc, *vincula sæculi*; nempe, sæculi mores, quibus tanquam legibus adstringi se audiunt. quales sunt, vindicatio iniuriæ, forma vestium, instructio supellectilis, & similes insaniæ, ad quarum præuaricationem difficiliores sumus, quam ad transgressionem Legis Diuinæ. Atq; hæc sunt peccatorum vincula, quibus liberum arbitrium non tollitur, sed à bono impeditur: non vt homo quasi in malo inuitus maneat, sed quia eo delectatur, nec boni suauitatem gustat. Plenus horum vinculorum est mundus, & hominū rari sunt ab omnibus expediti: nemo enim ita passionibus dominatur, vt non aliquo sequatur, vnus, superbiam; alter, iracundiā; tertius, vanitatem, fabulas, perditionem temporis, &c. *Quinta*.

conditio est. *Ante ianuam foris*, vt ait Marcus. Vt discamus, dicit Ambrosius, non esse in Christo, quisquis foris est. Domus Ecclesia est. de qua Timotheum docet Apostolus, quomodo in ea *conuersari* debeat. Domus stabulum est quo Samaritanus vulneratum intulit. stabulum enim iumentis cõuenit. In domo hac mansiones multæ sunt, præcipuæ tamen tres. *prima*, Aula est, Filijs, nempe cœlum, vbi cum Deo Beati exultant. *Secunda*: Stabulum, nobis, animalibus adhuc brutis, & miseris, qui cum Dauide merito dixerimus: *vt iumẽtum factus sum apud te*. Mundus hic stabulum est, in quo Christus nasci voluit, vt nos ad aulam suam transferret. Sunt in hoc stabulo, Christiani pij, extra aëris iniuriã sub tecto, protegit enim eos Deus à diaboli insidijs, vt impugnationes eius, & minas nihil metuant, *scuto circumdat eos Dei veritas*; & vt Salomõ ait, *mille clypeis*; nempe, omni virtutũ armatura: ac *sexaginta fortes* omnem diaboli impetum abarcent. Felices hi, quia etsi in stabulo sunt, optimè tamen habentur. *Tertia*: Sterquilinium quod intra muros est, in quo sunt Catholici peccatores, qui in Ecclesia quidem agunt, non tamen sub tecto. Multis vexantur impugnationibus, eisque crebro peccantes succumbunt, custoditi interim Ecclesiæ meritis, ac precibus, frequẽter resipiscunt. Extra domum, & muros, sunt omnes infideles, Ethnici, Iudæi, Turcæ, & Hæretici, ac excommunicati. Quorum magna est infelicitas, quia nec tectum habent, nec pabulum, & luporum violentiæ patent, multis periculis obnoxij. Vide intra Ecclesiæ domum maneas, in statu gratiæ, ne infortunio aliquo obruaris. In hac si es, custodiet te Deus & vt Dauid ait: *immittet Angelus Dõmini in circuitu timentium eũ*: vt te sicut olim Eliseum, ab inimicis omnibus defendat. *Sexta* conditio, *in biuio*. Quæ significat; eorum, qui extra Ecclesiam sunt, conditiones. *Primo*: Non habent viam salutis quę Christus est, & extra Ecclesiam non reperitur. Errant ergo, qui extra Ecclesiam salutem sperant, non minus quam illi, qui vitam sibi extra arcam Noe promittebant. *Non habebit*, ait Cyprianus, *Deum patrem, qui Ecclesiam non habuerit matrem*. Impossibile est eum qui Ethnicus, Iudæus, vel hæreticus moritur, saluari. Imo nec excommunicati, licet

5. conditio Mar. 11. 4. *Lib. 9. in Luc.* 1. *Tim.* 3. 15 *Luc.* 10.

Tres mãsiones Ecclesiæ.

1.

2. *Psal.* 72. 22

Psa. 90. 5. *Cant.* 4. 4. *Ibid. c.* 3. 7.

3.

Extra domum qui?

Psal. 33. 8. 4. *Reg.* 6. 17

6. conditio. *Mar.* 11. 4.

Conditio. 1. scorum qui extra Ecclesiam

1. *Gen.* 7. *De vnitate Ecclesiæ.*

in ſtatu gratiæ obierint, ſtatim ad cælum admittũtur. Narrat Gregorius de duobus Religioſis nimium loquacibus, qui etiam moniti non reſipuerunt, quibus S. Benedictus dixit, niſi emendemini, excommunico vos, cumque ſine emendatione obijſſent, in Eccleſia ſepulti ſunt: vbi pro eorum animabus, nutrix eorum quotidie ſacrificio intererat. Vidit illa quotidie eos de monumento, & templo egredientes, quoties Diaconus diceret; *Qui non communicat det locum.* quę verba olim ante præfationẽ pronuntiari ſolent. Illa memor verborũ S. Benedicto, viſionem aperit, qui eos ab excommunicatione abſoluit, & pro eorum animabus ſacrificium obtulit, & tũc demum in ſepulchris mãſerunt, reſtituti Eccleſiaſticæ communioni. *Secundo*: Viã ſalutis ignorant, vt aperte in Ethnicis
2. Philoſophis patet, & hæreticis, qui pro ſuo arbitrio ſentẽtias
mutant. *Tertio*: Simul veritatem noſſe, & falſitatem ſequi vo-
3. lunt, eorum inſtar, de quibus dicit Apoſtolus: *quod cum Deum*
Rom. 1.21. *cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt*, qui veritatem intellectu cognoſcebant, populi tamen cauſſa, idolis ſeruiebant, ſequuntur hos hæreticorum cõcionatorum illi, qui Patres excuſſerunt, in quibus aperte ſe erroris damnari vident, & tamen nõ reſipiſcunt. *Quarto*: In multos labuntur errores; mẽtientis inſtar qui vt mendacium primum ſtabiliat, plura cõ-
5. tinuat. *Quinto*, In multa labuntur peccata. *Sexto*, Vt Iſraelitis
3. Reg. 18.21 olim exprobrauit Elias; *claudicant in vtramq; partem*: id eſt,
7. nihil bene agunt, quia nec ipſi Deo, vt debent, ſeruiunt, nec
Eccl. 2.14. ad hoc proximos promouent. *Septimo*: Alios ſimulant, quam
7. cõditio principi. ſint. *Væ peccatori*, ait Sapiens, *ingredienti terram duabus vijs.* qui
Luc. 19.33. externa ſolum quærit, ſæpe ſimulare debet. Caue ab his infi-
Peccator quibus ſubſit. delium notis, ne & à Deo cum infidelibus partem accipias. *Septima* conditio *dixerunt Domini*, vnde colligitur, plures huius Aſinę Dominos fuiſſe. Peccator enim multos patitur Dominos. *Primo*: diabolum, de quo dicit Apoſtolus, quod *peccatores captiuos teneat ad voluntatem.* totq; hic ſunt Domini, quot
1. Tim. 2. 26. peccata committimus. In vno olim homine legio diabolo-
Luc. 8. 30. rum fuit: nec pauciores in ſæcularibus hominibus sũt effuſis
2 3. Reg 21. 35. ad omne peccatum. Qualis erat Achab *a*, & quidam Iudæo-
b 1. Mach. 1. 16. rum, *b* de quibus dicit Scriptura, quod ſint *venditi*, vel vt in

He-

Hebræo est: *quod se vendiderint ad faciendum malum.* Sponte enim se diabolo ad omne peccatum offerunt. Possunt hi operario comparari conducto in certa familia, hic enim quicquid illic est operis, expedit, habetque tot Dominos, quot domesticos. Similiter peccatores illi tot habent Dominos, quot vicinos in aëre dæmones. Hinc effusum illud idololatriæ in Gentilibus studium, de quo S. Leo Romam notans: *cum* ait, *omnibus dominaretur Gentibus omnium gentium seruiebat erroribus: vt magnam sibi videretur assumpsisse religionem, si nullam respueret falsitatem.* *Serm 1. de Petro & Paulo.*

Secundo: Mundum habent Dominum, ex cuius nutu pendent. Atque hic tot itidem Domini, quot sunt quibus placere studes. Ambitiosi, eis parent à quibus sperant promotionem, operarij, diuites honorant qui ipsorum operâ vtuntur; mercatores, venerantur socios; auari, eos à quibus sibi pecuniam promittunt. 2.

Tertio: carnem, quæ diaboli, & mundi instrumentum est, vt ipsis obsequamur: sicut Euâ vsus est serpens, ad perdendum ADAM. & Philistæi Dalila aduersus Samsonem. 3. *Gen. 5. Iudic. 16.*

Quarto: ipsa quæ sectamur, nempe, honores Dominantur ambitiosis, venter gulosis. *Horum* enim, vt Apostolus ait: *Deus est.* Pecunia auaris, auaritiam enim idem, *idolorum seruitutem* vocat. Fœminæ demum luxuriosis, vt pulchre describit Zorobabel. Patitur hoc Dominos peccator, quia quanto eis impensius seruit, tanto plus habet difficultatum, & minus præmij. Præmium diaboli, ignis inferni est, mundi, ignominia, & detractio; carnis, morbi, & mors: cæterorum, vanitas, sollicitudo, inquietatio conscientiæ, tristitia, & angor auulsionis. Vnum tibi Dominum quære, de quo Apostolus ait: *Nullus est Deus, nisi vnus, qui creauit nos, & Christus, qui sanguine suo nos redemit.* 4. *Phil. 3. 19. Ephes. 5. 5. 3. Esd. 4. 17. 1. Cor. 8. 6. Ephes. 1. 7.*

Soluite, & adducite mihi. Animalia hæc etsi foris starent, Dominos tamen habebant. Et probabile est, illa ex stabulo istuc adducta, & foris ligata: vt significaretur potestas, quam Christus Apostolis dedit, in peccatores. Docet nos ait Chrysostomus, Apostolos vtrumque populum à diaboli vinculis V. *Hom. 67 in Matth.*

liberaturos, Christoque adducturos, cuius rei datam eis potestatem, docet Origenes, post resurrectionem, quando Dominus insufflans dixit: *Accipite Spiritum S. quorū remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt.* quibus verbis potestatem eis dat supernaturalem, ad quam gratia S. Spiritus necessaria est, insufflans ergo, dicens, *Accipite Spiritū S.* vere eum illis dedit, nempe, singulare aliquod eis donum, ad effectum singularem, neque erat hoc donum concionādi quod acceperunt in Pentecoste, cum acceperunt Spiritū S. in specie linguarum; sed donum remittendi peccata, non solum infidelibus, per Baptismum, sed & fidelibus, sicuti enim nos anhelitu candelam extinguimus, & ventus attollit puluerem, sic Apostoli & eorum successores verbis suis peccata delent, iuxta illud Isaiæ: *Deleui vt nubem peccata tua, & quasi nebulam iniquitatē tuam*, ideoq; addit Christus *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Errant ergo hæretici, cum Apostolos eorumque successores, aliam negant accepisse potestatē, quā concionandi, ita vt qui Euangelio vere crederet, peccati remissionē consequeretur: nam talis potestas remittendi peccata, non tam in Apostolis est, quā in Euangelio, quod auditorem mouet, estque eadem virtus siue ab Apostolo, siue à laico, fœmina & psittaco, illud pronūtietur, imo possumus nobisipsis vel lectione, vel meditatione, sic peccata remittere. Melius potestatē Apostolorum explicat Chrysostomus: *Sacerdotium quidem in terra peragitur, sed in rerum cælestium classem, referendum est. Atq; id per quam meritò, quippe non mortalis quisquam non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinē huiusce modi disposuit: qui mortalibus hominibus etiānum in carne manentibus author fuit, vt Angelorum ministerium animo conciperēt. Habent quidē & terrestres Principes vinculi potestatē, verum corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiā animam contingit, vsq; adeo vt quæcunq; Sacerdotes inferne confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Pater etenim omnifariam Filio potestatem contulit. Quænam obsecro potestas hac vna maior esse queat? Cæterum video eandem ipsam omnifariam potestatem à Deo Filio Sacerdotibus traditam: nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam*

Tra. 14. in Matth.

Ioa. 20. 23.

Actor. 2.

Isa. 44. 22.

Li. 3. de Sacerdot. fere circa princ

manam naturam positi, atq; nostris ab effectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Hactenus Chrysostomus. Eodem fere modo Nazianzenus *a* Hilarius, *b* Augustinus, *c* Leo *d* Gregorius Magnus *e*, Patianus *f*, Ambrosius *g*, alijque Patres.

a Orat. 17.
b Cap. 17. in Matth.
c Lib. 9. de ciuit. c. 9.
d Epist. 91.
e hom. 26. in Euang.
f Epis. 1. ad Sophron.
g lib. 2. de pœnit. c. 2.

Nota, *Primo* Apostolos soluere homines quinque modis *Primo*: Annuntiatione Euãgelij, passionis Christi, præmij, vel pœnæ, sic enim peccati solutio incipit, non tamen perficitur, nam vt recte Augustinus, proficit quidem Catechumenus baptismum desiderans, adhuc tamen peccati sarcinam portat, donec Sacramentum suscipiat. Idem Sacramento Pœnitentiæ applicari potest: hoc enim hac in re, cum Baptismo conuenire, idem docet. *Secundo*: Per Baptismum in quo fit tã plena peccati remissio, vt qui statim post Baptismũ moritur, nullum habeat gloriæ impedimentum. *Tertio*: Per absolutionem, quæ quidem remittit culpam, sed imponit satisfactionem, qua iam olim Tertullianus dixit culpæ remissionem *e-mi*. *Quarto*: Per consilia & monita, etsi enim Sacramenta soluant vinculum peccati, manet tamen vinculum male inclinationis, quo paulatim per opera bona, iuuantibus piorum exemplis, & monitis, explicamur. *Quinto*: Per merita, & pœnalia opera, quibus iusti nobis à Deo pœnitentiam impetrãt & cordis emollitionem ac pœnæ, post culpam remissam adhuc debitæ, condonationem. Sic de se testatur Apostolus: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Non quod passio Christi imperfecta sit, sed quia frequenter Deus gratiam homini non dat, nisi cooperanti, & compatienti. Vnde Ambrosius, *Tu quoq;*, ait, *talis sis, vt possis vinctos dissoluere.* Sapiens esto, vt proximum pie moneas, & sanctus, vt eidem impetres peccati cognitionem, confessionem, & remissionem.

Soluunt Apostoli 5 modis.
1. *Tract.* 15. *in Ioan.*
Li 1. *de ad. ulte. coniug c.* 26.
2.
3. *Lib. de pœn*
4.
5. *Coll.* 1. 24.
Li. 9. *in Luc.*

Nota *Secundo*: Apostolos ita hæc animalia soluisse, vt tamen ab omni vinculo libera non fuerint, nam capistro ea ad CHRISTI obsequium duxerunt, quo insinuatur; etiam pios ligari debere, alijs tamen quam diaboli vinculis. Hic namq; animã vincit, carnẽ dimittit: illi cõtra, carni frænum imponunt, animam omnino relinquunt liberam. Pro quo

notandum; animam esse præcipuam, ac nobilissimam hominis partem: ita vt dicere liceat, hominem non esse aliud, quã animam carnis adopertam velamine, inquit Basilius: quę caro animæ est receptaculum, ac operationis instrumentum: Itaque cum anima nullis vincta est compedibus, tunc integer homo quieta fruitur libertate, etsi corpus interim sit adstrictum: imo quo corpus adstringitur arctius, eo maiori libertate exultat animus. Quemadmodum equus qui freno, antilena, ac postilena probe constringitur, solidum in dorso gestans ephippium, & stapedes hinc inde dependent, commodius potest ab equite regi, maximè si aculeata habeat calcaria, quod si quis manibus pedibusq; vinctus, calcitroso strenacique imponatur equo, cui nec frænum sit inditum, nec ephippium instratum, is ingenti periculo exponeretur.

Hom. 3. super Attende tibi ipsi in princip.

Duplicia vincula.

Sunt autem duplicia corporis vincula. *Prima*: præcepta, nempè, Primo: *Decalogus*: de quo Christus, *si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Deinde: *Præcepta Ecclesiæ*, de quibus idem: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Cõcilia autem œcumènica, auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ nobis repræsentant, prout ex primo Apostolorum Concilio, Hierosolymis celebrato liquet, in quo quid facere oporteat, Christianam plebem edocent. *Tertio*: Ecclesiasticorum superiorum præcepta. De quibus Paulus: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis*. Et Christus ipse: *Qui vos audit, me audit. Quarto*, Politici magistratus edicta, maximè ea quæ ipsorum concernunt iurisdictionem. Quemadmodum Paulus hortabatur Titum, vt admoneret subditos, *Principibus, ac potestatibus dicto esse obedientes*: non solum *propter iram*, sed etiam *propter conscientiam*. Nam cum per inobedientiam peccat anima, occiditur. *Quinto*. Traditiones Seniorum, quas & Deus ipse obseruari præcipit, & magnopere Paulus obseruandas cõmendat. *Sexto*: Iussa Dominorum ac dominarum, quorum voluntati obsequendum monet Paulus, & Petrus, etiamsi *dyscoli* forte, ac morosi sint. Ad illorum namque obsequium sese annuæ mercedis stipendio obligarunt: vnde ni faciant

1. *Mat. 19. 17* *Mat. 18. 17* *Act. 15.* *Heb. 13. 17.* *Luc. 10. 16.* *Tit. 3. 1.* *Rom. 13. 5.* *Matt 15. 2.* *Exod. 20.* *Eph. 6. 6.* *Col. 3. 22.* *8. Pet. 2. 18.*

duplicis

duplicis peccati sunt rei; inobedientiæ scil. & iniustitiæ.

Alterum vinculum est, votum; quo homo seipsum Deo omnipotenti obstrinxit. Hoc vinciuntur illi, qui vel priuatim castitatem promisere, vel votis monasticis publice sunt obligati. De quibus Paulus ait, quod *damnationem* sibi accersunt illi, qui *primam promissionis fuæ fidem irritam fecerunt*. Cui quidem promissioni, mortalium neminem Deus adstringit, sed homo semetipsum. Quippe cum Deus, Chrysostomo adstipulante, ad tantæ sublimitatis virtutem neminem soleat obligare, sed vnicuique propriæ libertatis relinquere arbitrium vt sibi ipse conueniens aliquod vitæ institutum deligat; quod vbi semel matura deliberatione susceperit, nefas est resilire. Et quidem omnia hæc vincula adeo dulcia, leuiaque, vt *charitatis vincula* nuncupentur. Omnia namque ac singula tam diuinæ legis, quam S. Matris Ecclesiæ præcepta, eo tendunt, atque in eum finem nobis præscribuntur, vt ad pleniorem rerum cœlestium charitatem inflammemur: ipsaque religionis vota ideo eduntur, vt liberiori animo diuinæ nos seruituti adstringamus. Quin & ipse Paulus de coniugali vinculo, quo vir & mulier sese mutuo deuinciunt, affatim disserit: quod vinculum non tam ab Ecclesia inijcitur, quàm quod coniuges inter se indiuiduam vitæ consuetudinem vtrimq; stipulentur. Interim ad propagandam humani generis sobolem, omnemque euitandam incontinentiam, Deus hãc copulam statuit; quam & Ecclesia conciliat, & oblatio confirmat, & obsignatam Angeli renunciant. Vnde vinculum humanum, aut *funiculus Adami*, non inconcinnè dici forsan quiuerit, eodem adstipulante propheta: cũ & Adam⁹ omniũ fuerit primus, qui se hoc funiculo vxori suæ coustrinxit; & humanum sit, liberorum procreationi operam dare. Interim verò vota, quibus nos Deo firmiter deuincimus, charitatis sunt vincula: quam Apostolus *perfectionis vinculum* non immerito appellat, quod per eam summo nos bono adstringam⁹, vt ad perfectionis apicem prouehamur. De voluntarijs hisce vinculis, morti iam proximus pulchrè disserebat Iacobus Patriarcha, in illa, quam Iudæ impartitus est benedictione: prædicens ex semine eius Messiam proditurum,

2. genus vinculi.

1. *Tim.* 5. 12

L. de virg.

Ose. 11. 4.

1. *Cor.* 7.

Matt. 19. 6

Osee. vbi sup.

Colos. 3. 24

Gen. 49. 11 *qui alligaret ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam.* Non est quidem vsitatum nobis, ad tam fragilis ligni, quam est vitis truncum deligare iumenta, sed potius ad rigidiores stipites. Veruntamen Christus huic suos alligat asinos: significans voluntariam Christianorum promptitudinem, qui in adimplendis diuinis mandatis, Ecclesiæque præceptis, nihil omnino difficultatis faciunt, immo hilari, alacrique mente votorum suorum obseruationi insistunt. Per *vineam* namq; Ecclesia, per *vitem* vero designatur Christus, prout ipsemet alibi contestatur; vocans se quidem, *vitem*, Apostolos autem Ioan. 15. 5. *palmites.* Cui quidem viti quotquot probi sunt Christiani, libenter admodum ob eximiam vuarum dulcedinem, alli-
Psa. 103. 15 gantur. Ibi est namque suauissimum illud vinum, quod & Eccl. 40. 20 *cor hominis lætificat, & virgines germinat.* Illa etenim *requies opu-*
Zach. 9. 17 *lenta*, ac dulcis consolatio, quam in voluntaria humilitate, obedientiaque, & votis reperiunt, talis ac tanta est, vt omnes rerum mundanarum voluptates longe exsuperet, ipsosque tam suaui vinculo adstrictos tenet, vt nullatenus solui desiderent.

Nota *tertio*, iumenta hæc nullam aliam ob caussam soluta, quam vt Christo Domino adducerentur. Ille namque dixe-
Iumenta hæc cur soluta. rat, *soluite, & adducite.* Quicquid etenim proximorum impendimus iuuamini, ad nullam aliam dirigere intentionem debemus, quam vt Christo queat esse coniunctissimus; vicinissimusque. Vnde peccatores, excitandi sunt, ad instituendam confessionem, ad sacram frequentandam synaxin ad erogádum pauperibus, ad insistendum denique misericordiæ operibus. Quos vero ad perfectionis statum idoneos fore censemus, illos ad religionis asylum, vel saltem ad virginitatis a-
Act. 2. 45. morem promouemus. Quemadmodum soliti olim Apostoli, qui fetuentioribus illis neochristianis, Hierosolymę degé-
Hieron. de scriptorib. Ecclesiasticis in Marco & Philone. tib⁹, religiosæ vitæ institutũ (quemadmodũ & Marc⁹ Alexãdriæ) inculcabant, cõmendantes, virginitatis studium: quippe quæ tantæ esset dignitatis, ac prærogatiuæ, vt per illi⁹ professionem, Christi dilectissimæ efficerentur spõsæ, donandę
Apoc. 14. 4 insuper in cœlis splendida ista aureola, vt *Agnum secuturæ sint, quocunque ierit*: sicuti coniugatis, fas est ad ea se conferre loca

in

in quibus degere norunt maritos. Ita namque consueuerant SS. Patres olim Christianos edocere, vt & Monasteria religiosis, & mundum ipsum deuotis replerent virginibus: licet sæculo deditis hominibus non parum id displiceret, qui pijs talium conatibus, futili garrulitate obstrepebant: vt non solum Hieronymus, *a* sed & Ambrosius, *b* & Chrysostomus, *c* grauiter cõqueritur, etsi susque deque id tulerint: cum diuino honori magis, quã propriæ vtilitati incumberent. Cuius quidẽ honor tunc magis sumit incrementum, quando plures ex vitiorum cœno extractos, mundisque vanitatibus exceptos, ad perfectiorẽ virtutis semitã nostris admonitionibus excitamus. Ea propter grauiter *in primis* delinquunt, qui religiosos importunis blanditijs minisque, ex Monasteriorum claustris eliciunt, extrahuntque: vti post Iouiuianum nostri faciunt hæretici. *Deinde* qui sine causa legitima Monasteriorum ingressum dissuadent, aut professionẽ eorum, qui feruenti zelo ad illã anhelant, impediunt. Tales namq; à sancta Generali Tridentina Synodo excommunicationis sententia percelluntur. *Tertio*, qui Religiosorum familias conuitijs, ac sædorijs insectantur, vt deuotos aliorum animos immutent, ne ijs sese adiungant. *Præterea*, qui Cõcionatoribus, Cõfessarijs alijsque obganniunt, quod alijs cõsilio sint, vt perfectionis, aut castitatis semitam consectentur: maximè cum & B. Paulus *c* & omnes alij sanctissimi Ecclesiæ Patres, *d* studiose id semper suaserint. *Postremo*, qui talium laudabiles conatus, pro viribus nequaquã promouent, sed potius humanæ prudentię consilio innitentes, rem differendam suadent, dicentes, dilata desideria crescere, & verum Dei spiritum, haud facile immutatum iri; quasi verò certi sint, de diuturniori eorum vita, aut nõ cito queant in suo proposito mutari. Sicuti enim qui calidus, frigore torpescit, & puella quę castitatis est amans, in locis viuens inhonestis, potest virginitatis facile naufragium facere; ita & qui diu inter sæculares cõuersatur potest leui momẽto, à pristini feruoris proposito desciscere, ac mutata velificatione aliorsum tendere. Quin immò, accidit Louanij ante annos plus minus sexaginta, vt quidam optimæ spei adolescens, Franciscanæ ibidem familiæ nomẽ dare

a *Epist. 2. ad Demet. & alibi.*
b *Lib 3. de Virg. aduersus vituper. vitæ monastica.*
Sess. 25. c. 18 de Regula.
c *1. Cor. 7. 25.*
d *Videatur Augustiniana Cõfessio. lib. 4. c. 6. art. 8. Item Ambrosiana l. 4. c. 6. ar. 6 Nec nõ & Hieronymiana. Gregoriana. Leonina. Bernardina. lib. 4. c. 6. de cœlibatu.*

dare vellet, qui rem priuatim cum Confessario pertractaret, homine nimirum & docto, & prudente. Ille vero rem accuratius perpendens (erat autem Presbyter secularis) cõsilium dedit, vt negotium differret, atq; interim secum cunctatius deliberaret. Hæc aũt cunctatio in tã longum tẽpus fuit protracta, vt iuuenis dissolutã admodum institueret vitã, adeo vt mirum in modum cõtristarentur parentes. Qui rẽ ad Cõfessarium cum gemitu deferẽtes, rogauere, vt filium sui moneret officij. Quod & fecit, hortãdo, vt ptistini memor seruoris, præteritas Dei inspirationes, ad animum reuocaret. Ad quẽ adolescens: *fateor quidem*, inquit, *ita omnino, vti mones, verũ tu meæ immutationis torporisve autor existis. Si etenim mihi permisisses pristinæ pietatis studio insistere, ac laudabilẽ animi conceptũ ad effectum perducere, iam haud dubio essem religiosus: sed, proh dolor, euanuit ille religionis spiritus, idq; nõ nisi te authore, ac suasore.* Cõfessarius hæc audiens, animo grauiter perculsus (erat etenim doctus simul ac pius) arbitrabatur se Deo ad restitutionem obligari. Vnde neminẽ inueniens cõmodiorem, se ipsum loco adolescentis, monasterio obtulit. Et quidẽ optimè: cum non minor restitutio Deo facienda sit, quam hominibus.

VI. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* Nota hic *in primis*, nihil ferè esse à reprehensione immune, quicquid ad diuini pertinet honoris obsequium. Rex Dauid ante arcam Dei saltitans vxoris suæ oblocutioni irrisioniq; patuit. Magdalena iterata vice Domini vngendo pedes, non à Simone solum, qui eum inuitauerat, verum etiam à Iuda proditore reprehensa est. Cæco isti secus viam sedenti, atque elatiori voce clamanti: IESV, *fili Dauid, miserere mei*, mox ab alijs indictum est silentium. Et quo res, quã ad Dei facere honorem intendimus, est maior laudabiliorque, eò plures atque infestiores habet oblocutores, calumniatoresque. Si namque, vt Deo obsequium præstes, eumque magis tibi deuincias, ieiunare conaris, & exiguum aliquod pœnitentiæ suscipere exercitium, indiscretus audies. Si abdicatis mundanarum rerum facultatibus, religioni te cupis addicere, furiosus habeberis. Si filiam insigni cum dote monasterio offerre intendis, statim quasi in cæterorum

2. *Reg.* 6. 20

Luc. 7. 39. *Ioan.* 12. 5.

Luc. 12. 38.

rorum præiudicium faceres, accusaberis. B. Paulo verbum Dei prædicanti, non solùm Iudæi, sed & Gentiles, prauiq́ue Christiani illico aduersabantur. Immò totus terrarum orbis 300. integros annos, varijs persecutionum generibus, Euangelicę se opposuit prædicationi. Tu vero considera, præsens hoc bonum à nemine alio impediri, quam ab hisce horum iumentorum Magistris, hoc est, à diabolo, eiusq́ue ministris. Vnde cogita, quod diaboli sis mancipium, cum vel virtutum operibus te opponis, vel aliquid eorum, quæ diuinæ maiestatis honorem concernunt impedire conaris. *Philip. 1.*

Nota *secundo*, Christum seipsum hic *Dominum* nuncupare: qui tum à discipulis, tum ab alijs, duobus salutari nominibus solet: nempe, *Rabbi*, hoc est Magistri, ac *Domini*. Quemadmodum ipsemet alibi testatur, dum ait: *vos vocatis me magister ac Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Et quidem summo iure *Magistri* gaudet nomine, qui perfectè in omnibus nos instruens, veritatis documenta prædicauit, ac per Discipulos præscripsit: illuminans insuper intellectum nostrum, vt doctrinam eius melius capiamus: & voluntatem inflammans, vel eandem gustemus. Hinc est quod ait: *Ne vocemini magistri: quia magister vnus est Christus.* Porro nomen *Domini*, iure quoque ei competit: quod nulla creatura, pleno in vllum hominem gaudeat dominio, etiamsi fortè eum, vel cõduxerit, vel pretio comparauerit. In animã quippe hominis, nulli mortalium quidquam iurisdictionis competit, vtpote liberę voluntatis arbitrio præditam. Similiter corpus quod attinet, non est fas homini, alium pro arbitratu vita spoliare, aut iniustè neci dedere, iniuriave opprimere. Interim Christ⁹ duobus modis noster nuncupatur Dominus. *Primo* quidé, quia vnus cum Patre, & Spiritu S. Deus: idq; quatuor de causis. Quarum *prima* est, quod nostri ortus ipse sit author: secundum id quod Psalmista monet, *plorandũ*, scilicet, *ante Dominum, qui fecit nos.* Ipse namque est, qui nostri materiam corporis ex nihilo condens, animã illi immortalem infudit. Quod quidem nullo pacto parentes prę̃stant, qui conceptionis solummodo materiam disponentes, duntaxat progenitores, sunt, non Domini. *Deinde*, quod nos cum cæteris omnibus *Ioan. 13. 13.* *Matt. 23. 10* Deus cur Dominus 1. *Psal. 94. 6.* 2. crea-

creaturis sustentet, alat, ac enutriat, necessariaq; vitę suppeditet: secundum quod Regius canit Psaltes: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorũ in tempore oportuno.* Tertio, quod nos, vti Euangelica illa operariorum pandit parabola, conduxerit. De quo & Ecclesiasticus: *omnis, inquit, misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorũ.* Et Paulus ait: *Deum vnicuiq; redditurũ secundũ opera sua.* Itaq; quia prædiuitẽ, liberalẽ, benignum, ac misericordẽ habemus Dominum, plus quam sperare auderemus largientẽ, hinc fit vt nõ frustra operemur. *Quarto*, quod ex diabolicę seruitutis tyrannide clementer nos eripuerit, atque in libertatẽ filiorum Dei asseruerit. Ad quod tota nobis opitulata est sanctissima Trinitas. Patre nimirum suum nobis, per diuini spiritus amorẽ, largiente filium, vti idem Saluator noster alibi ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Porro Christus quatenus homo, etiam hoc *Domini* promeruit nomen, quod pretiosissimo sanguinis sui pretio nostrum persoluerit lytrũ. De quo ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animã suam redemptionẽ pro multis.* Atq; ideo speciali quadã prærogatiua *noster* nuncupatur *Dominus*, Dauide attestante, ac dicente: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomẽ tuum in vniuersa terra.* Et alibi: *Dixit Dominus Domino meo.* Cęterum in Cõstantinopolitano Symbolo, quod sub sacrificio decantatur, etiam hæc Domini nomenclatura singulariter duabus de caussis sancto adscribitur Spiritui. *Primo* quidem, quod Arriani, iuxta, ac Macedoniani, ex professo docerent, Spiritum S. creaturam esse, ac ministrum Patris: non autem vna cum ipso ac Filio, Dominum. *Deinde*, ad eius intelligendã conditionẽ, quæ est, vt nos quot inhabitabat, Dominos, liberosque efficiat: quemadmodum Apostolus ait, *illic libertatẽ esse, vbi Spiritus Domini* viget. Diuini namque numinis Spiritus, omnem nobis timorẽ adimens, suo nos amore à mundanæ simul ac diabolicæ seruitutis metu liberat. Vnde hinc Christum timere discimus, tanquam eximiæ maiestatis Dominum, summa in nos authoritate præditum: qui si quid seruitij præstiterimus, liberaliter admodum nobis refundet.

Psal. 144. 15. 3.
Matt. 20. 1
Eccl. 16. 14
Rom. 2. 6.
1. *Cor.* 3.
4.
Ioan. 3. 16.
Christus vt homo, cur Dominus.
Mat. 20. 28
Psal. 8. 1.
Psal. 109. 1.
Spiritus S. cur Dominus.
1.
2.
2. *Cor* 3. 17

Nota *tertio*, Christo hisce affinis *in primis* ideo fuisse opus, vt ad-

vt adimpleretur scriptura, de qua paulo post dicemus. *Secundo*, vt nobis demonstraret, se verum esse hominem, nostri causa sese humiliantem, ac naturali quiete indigentem: quemadmodum vt alibi *fessus* super fontem residebat, & in nauicula *ceruicali* incumbebat. *Tertio*, vt nos doceret omnem in stando, ac eundo fastum deuitare: Vix plateam vnam pedibus pertransimus, sed nobili insidentes carpento, vel generoso vecti asturcone, phaleris strepisque aureis insigniter exornato, ac holosericis stragulis fastuose instrato. Cum Christus pedes semper incesserit, hoc solummodo itinere excepto, quando nimirum solemni triumphantium more, vrbem adire voluit, adscitis sibi, in confusionem nostram, vilissimis clitellarijs iumentis. *Quarto*, vt eximiam suam nobis demonstraret charitatē. Christus etenim existens Deus, horum subsidio haudquaquam habebat opus, attestante idipsum Dauide, ac dicente; *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Sed potius nobis ipsis, qui iumenta eramus, ad propriam nostram vtilitatem habebat.

Christo quomodo his asinis fuerit opus?

1.

2.

Ioan. 4. 6.

Mar. 4. 38.

3.

4.

Psal. 15. 2.

Nota *quarto*, ex Chrysostomo, nō sine euidenti miraculo horum asinorum Magistros, ad simplicem Apostolorum responsionē, eos missos feciſſe. Christus namque hisce verbis (*Dominus his opus habet*) singularem quandam indiderat virtutem, qua illorum voluntas, quam citissime ad consentiendum inflecteretur. Vnde per hoc notabiliter demonstrabat, se rerum omnium esse Dominum, cuius verbis preceptisque creaturæ omnes morē gererent. Diabolus namque, qui per hosce designatur Magistros, magnopere Christi verba pertimescit, quorum efficaciam sentit, *cū primis*, in ipsis Ecclesiæ Sacramentis, vbi diuinorum verborū vim experitur, & per ea profligatur. *Deinde*: in concionibus, quādo efficaciter hominis animum penetrant. *Tertio*: in precibus, quarum virtute mirum in modum effœminatur debilitaturve: prout olim Diuus Antonius suos docere solitus erat discipulos. Quapropter vtilissimum est, secundum Christi Apostolique consilium, *sine intermissione orare*: atque vti Psalmographus ait; diuinas *laudes semper* deprędicare, atq; *in ore* suo habere, vbicunque etiam locorum, & in quocunque negotio occupatissimus.

Vis diuini verbi.

Athan. in eius vita.

Luc. 18. 1.

1. Thes. 5. 17

Psal. 33. 1.

simus. Horum etenim virtute verborum dęmon non minus à te profligatur, quam muscæ ventilabro.

VII. *Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinum, & pullum filium subiugalis.* Matthęus duorum hoc loco citat vaticinia Prophetarum: quorum priorē partem Isaias sibi vendicat, nempe, *dicite filiæ Sion, ecce Saluator tuus venit.* Posterior apud Zachariam hisce verbis inuenitur: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super Asinum, & super pullum filium asinæ.* Ioannes Euangelista recitat hoc Zachariæ vaticinium in hunc modum. *Noli timere filia Sion: ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ*: adiungens insuper. *Hæc non cognouerunt Discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt: quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.* Nam Apostoli cum hæc iumenta Christo Saluatori adducerent, haudquaquā asinæ ac pulli mysterium assequebantur, in scripturarum lectione necdum sufficienter versati. Verum postquam Dominus obita morte, ac resuscitato corpore, in cœlum glorioſus conscenderet, per S. Spiritus missionē earum mox redditi sunt capaces: intelligentes Iudęos ita singula quæque peregisse, prout vaticinijs Prophetarum olim fuerat prædictum. Cæterum, duo hi Euangelistæ, non verba, sed potius mentem prophetarum citant: vt vel hinc doceamur, quod tanquam spirituales Ecclesiæ superiores, vna cum suis successoribus, authoritatem habeant, diuinarum literarum sensum, prout Spiritus S. ijs suggerit, interpretandi. Cum idem ille Spiritus, qui olim instituit Prophetas, etiam penes ipsos indubitanter sit. Quapropter quando aliqua de genuino scripturarum intellectu agitatur quęstio, non debet quisque suo eas interpretari arbitratu: prout etenim homo est affectus, ita & scripturas exponit: adeo vt hinc sæpè crassissimè hallucinetur, dū peruersè eas interpretatur. Quemadmodum de sui temporis hæreticis nō immeritò D. conqueritur Petrus, quod *cum sint indocti & instabiles, deprauarint B. Pauli epistolas, & cæteras scripturas*, ad propriam perditionem. Recurrendum potius, ad successores Apost. qui-

Isa. 62. 11.

Zach. 9. 9.

Ioan. 12. 15.

2. Pet. 3. 16.

quibus Christus post resurrectionem suam *aperuit sensum* intelligendi scripturas, mittens illis ad hoc Spiritum sanctum. *Luc.24.45*

Nota hic *in primis*, Euangelistas solitos Testamenti veteris testimonia in medium proferre ad confirmationē eorū, quę Christo acciderunt. Vt nimirum *primo* significarent, illū esse verū Messiam, toties à Prophetis promissum. *Deinde*, vt nos doceant etiam semper oculos conijcere in res illas Ecclesiæ, quæ nos aliquando præcesserunt, inhærendo Propheticę isti admonitioni: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæsit via bona, & ambulate in ea.* Quemadmodum enim magnopere fidem corroborat, quod videmus dogmata noui testamenti, ad amussim legi respondere: ita nullatenus quoq; ambigere debemus, de modernis Ecclesiæ pręceptis: quæ eadē sunt, & in omnibus cum antiquis cōueniunt. Hinc est; quod recte inquit Lirinensis Vincentius: *Adnuntiare aliquid Christianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquā licuit, nusquam licet nunquā licebit: & anathematizare eos, qui adnuncient aliquid, præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nusquam non oportebit. Quæ cum ita sint, estnè aliquis, vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Ecclesiam annūciatum est, adnunciet, vel tantæ leuitatis, qui præter id quod ab Ecclesia accepit, accipiat?* Quando ergo de negotio fidei quæstio exoritur, diligenter circumspiciendum, quid orthodoxi priscæ ætatis Patres de ea senserint, non quidem vno tantummodo in loco, qui facilè à veritatis norma queat detorqueri (nonnullæ etenim Prouincię hæretica sunt prauitate corruptę, & ab Ecclesiæ gremio auulsę) sed per totum terrarum orbē. Ad quod idē Vincentius, auream nobis reuera præscribit regulam: nempe in Ecclesia curandum esse, vt teneamus id quod *Vbiq;*, quod *semper*, quod *ab omnibus* est creditum: sequendo nimirum in primis *Vniuersitatē*, sicuti vbiq; docetur: *Antiquitatem*, ne à Patrum vestigijs deflectamus: *Consensionē*, ne aliter credamus, quā vnanimi veterum consensu creditū est: à quo si particularem prouinciam descisceere conspexeris, adhære corpori: & si fortè maior pars perfidia fuerit corrupta, sicuti Arrianismi tempore sub Arrianorū Imperatoribus, tunc firmiter tenebis illud, quod Patres olim vnanimiter docuere.

Cur Euāgelistæ citarint vetus Testamentum. 1. 2. *Hier.6.16.*

Cap. 14. Commonitorij.

Ibid c.3.

Anti-

Hom. 4. in 2. ad Thess. Antiqua namq; orthodoxæ Ecclesiæ traditio, firmum est religionis nostræ firmamentum, de quo nimirum Chrysostomus: *Est traditio, ne quæras amplius*, ac si diceret, Ecclesia ab initio per totum terrarum orbem ita docuit, ergo, quin ita credendum, obseruandumq; sit, ambigere noli. Simili quoque modo D. Paulus suam, de velandis in Ecclesia mulieribus,

1. Cor. 11. 16 disputationē concludit, dicens: *Si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* hoc est, si quis meis nolit contentus esse rationibus, quibus probaui, mulieres orationis tempore, dum in Ecclesia precantur, velari oportere; sciat, ita ex diutino Ecclesiæ vsu fieri consuetuisse: adeo vt hæc plurimorum annorum consuetudo, quasi Apostolica quædam traditio, rationes omnes exsuperet.

Figura montis Sion.

Nota *secundo* in hisce verbis, *Dicite filiæ Sion*: tria considerāda occurrere. *Primo* quidem, montem Sion cæteris montibus multò fuisse excelsiorē, in modum theatri, forma semicirculi vrbem toto Australi tractu ambientem: in quo & Dauid munitissimam arcem, & Salomon regale suum palatium

2. Reg. 5. 3. Reg. 7. Epist. 27. c. 3. in fine. Ioel 2. 3. construxerat. Hic mons nominabatur *Sion*, hoc est arx, seu specula, inquit Hieronymus: quia inferiorem vrbis partem, in qua templum erat, obtegebat. Quin & à Prophetis *mons sanctus* appellatur: ob res eximiæ dignitatis, sanctimonięque, quas Christum illic aliquando operaturum, spiritu prophetico pręuidebant. In hoc namque monte vltimā peregit cœnam, in qua venerabile altaris Sacramentum instituit. *Deinde*,

Mysteria quæ in monte Sion gesta.

1. *Matth. 26*

ipsa resurrectionis suę die, Sole iam ad occasum vergente, illic discipulis, foribus clausis, videndum se prębuit, largiendo

2. *Ioan. 20. Luc. 24.* illis Spiritum sanctum, ad remittendum peccata, scripturasque intelligendum. *Tertio*, octiduo post ad eundem reuersus

3. locum Thomæ vulnerum suorum cicatrices palpādas exhibuit. *Quarto*, Post Christi in cęlos ascensum, Matthias illic in

4. *Act. 1.* Apostolum est electus, in locum videlicet, *de quo prævaricatus* erat Iudas. *Quinto*, illic in Pentecoste Spiritus sanctus super

5. *Act 2.* Apostolos, aliosq; Christianos primus descendit. *Sexto*, eodem in loco Iacobus minor primus Hierosolymorum ab Apostolis creatus est Episcopus. *Septimo*, primum Apostolorum Concilium illic est habitum, & Christianæ fidei Sym-

6.

7.

bolum,

bolum, Canoneſque Apoſtolorum, aliaq; vtiliſſima decreta illic, compoſita promulgataque: quæ quidem omnia. Nicephoro teſte, hic pro maiori parte inſtituta creduntur. *Octauo*, in hac eadem domo congregati erant Chriſtiani, cum *ſine intermißione*, pro liberatione Petri, Herodiano cõcluſi carcere, Deum deprecarentur, vbi & prima Chriſtianorum fuit Eccleſia, quam Cyrillus Hieroſolymitan. Antiſtes, *Apoſtolicam* fuiſſe cognominatam adſerit. Quem locum Helena Imperatrix poſtmodum Auguſto, ac famoſiſſimi nominis templo, vti teſtis eſt Nicephorus, condecorauit. Quo in templo, ætate Hieronymi oſtendebatur marmorea illa columna, Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam ligatus fuit Saluator, ac flagellis cæſus. Ideoque per hanc vrbem meritò ſancta deſignatur Eccleſia: quæ *inprimis* firmiſſimæ innexa petræ, Petri fide nititur, quæ etiamnum in eius ſucceſſoribus inuiolata perſeuerans, nullo æuo obliteranda eſt, adulterandaue. *Secundò*, eſt ciuitas *ſuper montem* poſita, quæ abſcondi non queat, quòd omnium oculis ſit expoſita. *Tertio*, magis ſurſum vergit ad cœli conuexa, quàm Iudæorum templum, inferiorem vrbis locum occupans. Omnia namque S. Eccleſiæ myſteria promiſſaque, cœleſtia ſunt: & ad cœlum perducentia.

Lib. 2. hiſt. c. 3. 8.

Actor. 12. Catechef. 6

Lib. 8. c. 30 *Hier. ep. 27 c. 4 in prin.* Sion Eccleſiæ typus. 1. *Matth. 16.* 2. *Matt. 4. 14* 3.

Secundum eſt, quod iuxta literalem ſenſum per *filiam Sion*, habitatores Hieroſolymitanæ vrbis intelligere oporteat, qui de Chriſti aduentu prẽmoniti erant, ab his nimirum, qui Bethania venerant, quique ipſum Aſinis inſidentem conſpexerant, ac præcurrendo ciuibus, vt quàm honeſtiſſimè Dominum exciperent, nunciauerant. Ad ſecundum veriorem myſticum ſenſum: Chriſtiani, qui in Saluatorem crediderant, deſignantur, vt cum eximia cordis lætitia eum exciperent. Quinimò, nos ipſi quoque hic denotamur, qui huius aduẽtus per deuotam animi contemplationem, ſæpe memores exiſtere debemus.

Filia Sion ad literã. Miſtice.

Tertium eſt, quibuſnam mandatum hoc annuncietur: nẽpè, *inprimis* Eccleſiaſticis, Prælatis, ac Doctoribus: quorum officio incumbit, Chriſti aduentum populo proponere, atq; adeo etiam exponere: *Deinde*, Chriſtianis paſſim omnibus,

Qui debeant id facere?

quorum quilibet proximũ ſuum ad Chriſtum deberet pertrahere, quemadmodum in ſua Apocalypſi Ioan. conteſta-
Apoc.22.17 tur, dum inquit: *Et Spiritus, & ſponſa dicunt: Veni. & qui audit, dicat veni*: hoc eſt, S. Eccleſia nos per ſuperiores ſuos ad Chriſtum pertrahit, & qui hunc illorum perſenſerint, debent etiam ipſi alios conſimiliter trahere.

Ecce, quid ſignet? Nota *Tertio*, aduerbium *Ecce*: rem aliquam admiratione dignam continere. Nouum namque *in primis* eſt, Regem aliquem vrbem ingredi, clitellario iumento, cum alij Reges ac Principes generoſis vehantur caballis. Itaque nec ante, neque poſt Chriſtum quiſquam Regum tali equitatu Hieroſolymam eſt ingreſſus. Vnde hinc meritò Iudæi agnoſcere deberent Chriſtum Ieſum verum eſſe Meſſiam, qui ſolus hæc Prophetarum vaticinia adimpleuit: quemadmodum nos pro tali eum habemus, ac veneramur.

Deinde, eximium quid eſt, moneri nos Prophetica voce ad
Zach.9.9. Ioan.12.15. lętitiam, idq́; hiſce nimirum verbis: *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem*, vel vti Ioannes habet, *noli timere*. Cum Rex aliquis valida armatorum manu rebellantem ſibi ſubiugauit vrbem, de vitæ, rerumq́; omnium temporalium iactura magnopere periclitantur incolę, adeo, vt ferè omnes trepident. Mundus autem totus Deo repugnabat, qui iam eius Principem profligatum venit, hoſteſq́ue ſuos omnes debellatum: adeo vt peccatores omnes vehementer ſibi potuerint iure meritò metuere. At vero Propheta, hunc illis metum adimit, immò & ad gaudium iubilumq́ue, hoc eſt, ad exterioris lætitiæ indicia, excitat: quod ſcilicet hic primus ingreſſus non ſit contra mundi huius incolas, ſed aduerſus principem tenebrarum harum, mundo huic imperantem. Itaque iam venit, vt totum humanum genus à diabolicæ ſeruitutis iugo eripiens, ad ſe illud benignè pertrahat, etiamſi varijs ſit peccatorum nævis contaminatum. At vero in altero ſuo aduentu, non ſolum diabolo, verum etiam omnibus ipſius complicibus, ac confœderatis vltor occurret. Quapropter, primus Chriſti aduentus, ſumis deſideriorum votis erat expe-
Luc.10.24 1.Pet.1.12. tendus: ad quem tantopere anhelabant Prophetę, quemadmodum tam Saluator noſter, quàm Diuus Petrus teſtantur,

vt aui-

vt auidè exclamarent: *Mitte quem missurus es! Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes! Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustũ: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Alter verò aduentus, admodum profectò terribilis erit: de quo cum gemitu scribunt Prophetæ: *Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris,* &c. Tunc namque horrendum illud tonitru in omnes atrociter desæuiet: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Exod. 4.13
Esa 64.1.
Item 45.8.
Mala. 3.2.
Sopho.1.15.
Mat. 25.41

Nota *Quarto*, quod dicitur *Rex*: siue vt Propheta ait: *Saluator*: quò disceremus, neminem perfectius dignitatis adimplesse munus, quàm Christum Saluatorem nostrum. Reges namq; ac principes ideo à Deo donantur, vt populum suum ab hostibus protegant: licet plurimi reperiantur, qui existiment sibi comptere, vt magnam præ se ferant pompam, omniaque pro arbitratu administrent.

Esa. 62.11.

Quemadmodũ Nabuchodonosor, publica pręconis voce suã adorari statuam iussit: & Darius: regio cauerat edicto, ne quis aliquam petitionem à quocunque Deo, aut homine triginta dierum spatio, præterquam ab se flagitaret. Prętereà plus à suis custodiuntur subditis, quàm ipsi eos defendãt: quia sine diligenti armatorum hominum, quibus stipantur, custodia, interimerẽtur ab hostibus: sicuti Isboseth *a* Rex in strato suo meridians, à Rechab *b* & Baana miserè est trucidatus: & Sennacherib ab Adramalech ac Sarasar, proprijs nimirum filijs, vita est spoliatus: idque in templo Dei sui Nesroch. Verum Christus multò nos plenius, perfectiusque de manibus inimicorum nostrorum liberauit, saluauitq;. *In primis* namque, toto vitę suæ decursu, nihil quicquam operatus est aliud, nisi quod ad salutem nostram pertinet. Docuit quippe in iuuenili ætate sanctissimam suam genetricem, vt illa post suum ad cœlos ascẽsum, Apostolos cęteroscq; Christianos de ijsdem instrueret. Vacabat laboribus, macerabat se ieiunijs, vitam ducebat rigidissimam, dies integros insumens prædicationibus, noctes verò orationibus: idq; totũ

Dan. 3.5.
Dan. 6.7.
a 2. Reg 4.6
b 4. Reg. 19 37.

Quomodo Christus liberauit nos? 1.

Luc. 21.37.

2. nostræ salutis ergo. *Secundo*, ipse solus sine vlla validioris auxilij manu nos protegit, quemadmodum per Prophetam
Isa. 63.3. contestatur: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret.* Ambrosius verò ait, Diuam Virginem sub cruce cõsistentem, præstolatam fuisse occasionem aliquam, qua &
De inst. virg. c. 7. ipsa etiam pro nostra salute quidquam sua potuisset morte efficere: verum Christi passionem abunde per se valuisse ad redemptionem nostram, sine alicuius alterius iuuamine auxilioque.

Nota *Quinto*, Rex TVVS. Quod reuera ingenti nobis esse potest solatio: Christum nimirum vocari Regem nostrum.
Mat. 28.18 Cui etsi *data sit omnis potestas in cœlo & in terra*: adeo vt sit Rex
Christus Rex hominum. Angelorum, ac Dominus Cherubinorum, Seraphinorumque: præcipue tamen hominum est Rex, ac Dominus. Idque ideo *in primis*: quod solus humanum genus pretiosi sanguinis
1. 2. sui cruore in prælio liberauit. *Deinde*, quod ex ditione nostra progenitus, peculiari nos fauore prosequatur. Vnde quēadmodum si quis Pōtificum Imperatorumve, tua esset regione stirpeve in ortum productus, illum hac de causa TVVM vendicares, nominaresque: licet alioqui omnium in genere esset Pontifex, aut Imperator: ita Christus præcipue Rex noster est, Summusque Pontifex, cum sit frater ac patriota noster,
Hebr. 2.16. vt peculiarem iam in cœlis nostri curam agat. *Nusquam enim Angelos apprehendit*, inquit Paulus, *sed semen Abrahæ apprehendit.* Itaque ipsi, dum viuis, confidito, atque ad illum iam in cœlis degentem adspirato. Sicuti namque qui in remotis ac longè dissitis agit regionibus, magnoperè exhilaratur, si quem illic suæ prosapiæ patriæque inueniat: ita & tu, in ista remotiori cœlestis regni regione gaudere magnoperè debes, cōspiciendo ibidem germanum tuum, ac creaturarum omnium Regem: à quo maiori cum hilaritate excipieris, quàm olim fra-
Gen. 47. tres suos, aut etiam parentem in Ægypto Ioseph excepit.

Nota *Sexto*, *Venit tibi*. Nō solum Christus Rex tuus est, verum etiam *Tibi*, hoc est, tui causa venit. Multa quidem sunt nostra, sed nō omnia pro nobis faciunt: quippe quorum pleraque plus officiunt, quā prosunt. Absalon insigni flauentis
2. Reg. 18. 9 capilli

capilli decoratus fuit cæsarie, verum in proprium exitium. Deus ad Adamum, eiusque consortem post lapsum venit: & ad Cain, parricidij scelere cruentatū, sed maledictionis sententiam ingeminauit, & in generali iudicio reprobis veniet, sed ad eorum damnationem. At vero Christus iam nunc ad nos venit, vt opem nobis ferat. & licet plurimi sint, qui eius præstolentur auxilium, singuli tamen tantum ab illo consequentur, quantum necessarium fuerit, cum sit infinitarum opum. Nam qui ad mare aquatum veniunt, tantum singuli inde hauriunt, quātum volunt, cum tantę sit capacitatis, vt exhauriri nequeat. Christus ad nos veniens, sumpsit nonnihil de nostro, nempe humanam naturā, ex illibato sanctissimæ Virginis corpusculo, non ad necessitatem suam (quippe, qui Dauide attestante, *bonorum nostrorum non eget*) sed vtilitatem nostram: vt sic assumpto suo corpore, melius pro nobis posset mereri, illudq; hinc in cęlum, ascendens nobis in pignus amoris relinqueret. Vnde præclarè admodum & aureè S. Thomas: *Vnigenitus*, inquit, *Dei filius, suæ nos volens Diuinitatis esse participes, naturam nostram assumpsit, vt homines Deos faceret, factus homo. Et hoc insuper quod de nostro adsumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namq; suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, & sanguinem suum fudit in pretium simul & lauacrum. Et, nihilominus corpus suum in cibum, & sanguinē suum in potum, sub specie panis & vini, sumendum fidelibus dereliquit.* Hinc est, quod huius rei admiratione attonitus Chrysostomus exclamet: *ô miraculum, ô Dei benignitatē: qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo sacerdotum manibus pertractatur. Carne sua ascendit in cœlum, & eandē hic nobis reliquit.* Vnde sicuti Christus in vita sua hominum operatus est salutem, ita & iam ad homines iuuandos venire paratus est, si sincera eum intentione suscipiant. Nec formides mensam Domini, quotiescunque poteris accedere ex qua non venenum, sed panem viuum percipies, *ægrotantium* nimirum *animarum*, vti recte, inquit, Ambrosius, *medicinam.*

Gen. 3. *Gen. 4.* *Psal. 15. 1.* *Serm. de S. Eucharist.* *Lib. 3. de sacerdo. & Hom. 2. ad pop. Antiochenum* *Lib. 5. de Sacra. c. 4.*

Nota *Septimo*, salutem illam quam Rex ac Saluator noster nobis adfert: non esse corporalem aut temporalem: vti perperā opinabantur Iudæi: sed Spiritalem, in æuum durantem:

Salus à Christo quæ.

nempe peccatorum condonationem, internam conſcientię tranquillitatẽ, Patris reconciliationem, adeòque ęternam in cęlis habitationem. Quicquid enim temporaneum eſt, gaudium non meretur: vnde Apoſtolus monet: *vt qui habent vxores, ſint tanquam non habentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Idque ideo *in primis*, quod mundi huius figura, ac inanis lætitia citiſſimè præterat. *Deinde*, quod terrena lætitia cõmuniter plus mali, quam boni ſecum vehat: vti in Salomone, atque Abſalone liquet. Nihilominus Chriſti merita tam ſunt infiniti valoris: vt per ea, omnia quæcunque excogitare poſſimus bona, nobis conciliauerit. Ideoque Eccleſia *per Chriſtum Dominum noſtrum*, etiam felicem temporalium rerum ſucceſſum precatur. Vt hinc doceamur, omnia nos in Chriſto, ac per Chriſtum poſſidere: nempe, ſpiritalia, ac temporalia: cœleſtia, ac terrena, interna, & externa, momentanea denique, ac ſempiterna.

1. Cor. 7. 29 Temporanea non merentur gaudium.

1. 2.

Zach. 9. 9. Chriſtus mãſuetus.

Nota *Octauo*, Regis noſtri conditionem, nempe, *Mauſuetus*, quod Propheta exprimens, *iuſtus*, inquit, *& pauper*. Regibus namque ſincerum exercentibus iudicium, competit inſigni animi manſuetudine prędito eſſe: vt ſemota omni priuata paſſione, aliaq; ſenſuali affectione, nil niſi quod ęquum iuſtumque eſt, decernant. Hinc eſt quod Hieremias de diuina loquens ira, vocat eam *columbinam*, ſeu *gladium columbæ*, quòd ſine praua animi paſſione, mala vindicet, inſtar colũbarum felle carentium. Eſt etenim Chriſtus præcipuus ęquitatis amator; qui Patrem ſuum ob hominum ſcelera graui commotum ira conſpiciens, alia potuiſſet, eum plaçandi inuenire remedia; prout in horto inſinuaſſe videtur, dicens: *Abba, Pater, omnia tibi poſsibilia ſunt: transfer calicem hunc à me*, id eſt, alia tibi ad manum redemptionis ſunt adminicula, quia omnipotens es.

Hier. 15. 38 *Ibid. 50. 16* *Mar. 14. 36*

Verum enimuerò, quandoquidem nullum fuit conuenientius conſeruandæ iuſtitiæ remedium, quàm morte pœnas luere, idcirco libens, volenſque hanc oppetens, operæ pretium putauit, vt ſanguinis ſui effuſione diuinæ iuſtitię faceret ſatis. Simile quid fere de Zeleuco legimus, qui ſaluberrimis vtiliſſimiſque legibus Locrenſum vrbẽ inſtituit: cuius

Val. Max. lib. 6. c. 5.

cum

cum filius adulterij crimine damnatus, ſecundum ius à patre conſtitutum, vtroque orbandus eſſet oculo, ac tota ciuitas in honorem parentis, neceſſitatem pœnæ adoleſcentulo remittendã cenſeret, aliquamdiu repugnauit. Ad vltimum verò, populi precibus euictus, ſuo prius, deinde filij oculo eruto, alterum vtrique reliquit. Ita debitum ſupplicij modum legi reddidit, æquitatis admirablili temperamento, ſe inter miſericordem patrem, & iuſtum legislatorẽ partitus. Quod heroicum facinus, gentilium literis magnopere, ob admirandam æquitatis rationem, concelebratur. Sed quantò digniori laudum præconio Chriſti extollemus iuſtitiam, indicibili ſociatam charitate, qui omnem ſatisfactionis in ſe rationem ſuſcepit, eripiens ſectatores ſuos ex totius pœnæ reatu: Quotquot etenim ſcelerum flagitijs coopertus ſit homo, tamen per ſalutaris vndæ lauacrum ab omnibus expiatur.

Nota *Nono*, ſignum noſtri Regis eſſe inſidere *aſinæ ac pullo*. Certè mundi huius principes hiſce haudquaquã agnoſcuntur indicijs: ſolus Chriſtus (*cuius regnum non eſt de hoc mundo*) huiuſcemodi humilitatis ſignis conſpicuus redditur: nempe, per præſepe, lignum crucis, alapas & ſputa, bouẽ & aſinum. Is etenim quemadmodum hic aſini vſus eſt adiumento, ſic & natiuitatis tempore præſepio impoſitus, tepido aſini flatu calefactus eſt: quando ſecundum Abacuc, *in medio duorum animalium cognitus fuit*: *&* a *bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, vt paſſim exponunt Patres maximè Gregorius Nyſſenus, *b* Ambroſius, *c* Hieronymus, *d* Gaudentius, *e* &cæt. Eſt enim humilitas euidens Chriſti iudicium: quam & nos ſectari voluit *f*. Vnde quẽadmodum mechanicus ex artis ſuæ inſtrumentis dignoſcitur: atque ex armis miles: ita Chriſtiani inſigne, humilitas eſt. Nam hæc, vt ait Hieronymus, prima Chriſtianorum eſt virtus, ac præcipuum armorũ genus, quod diabolus pertimeſcit. Vigilare, ieiunare, laborare, aduerſa omnia tolerare, & Deum orare, etiam dæmon, vti ex Euangelio cõſtat, poteſt: at nullatenus ſeſe humiliare. Hinc quodam tempore Macharium adiens: qui fit, inquit, quod ſemper mihi aduerſeris Machari? cum ego multò ſtrictius

Inſigne Chriſti.

Ioan. 18.36

Abac. 3. *ſecundũ expoſition.* 79

a *Iſa.* 1. 3.
b *Orat. de Natiuit.*
c *Lib.* 2. *in Lucam.*
d *In Epita. Paulæ. c.* 4.
e *Tract.* 8. *in Exod.*
f *Mat.* 11. 29

In Epitaph. Paulæ. c. 7. *Matth.* 8. *Par.* 2. *vit. Patrum.*

ctus ieiunem, quàm tu: quippe, qui nihil vnquam cibi potionisque sumo, & longe alacrius vigilem, qui noctes omnes insomnes transigo: nisi quod sola humilitate, cuius nihil habeo me superas? & cum S. Martino obijceret, quod insignes ad monasterium suum admitteret peccatores: Ille, imo, inquit, ea de causa id facio, vt per humiles pœnitentiæ exercitationes, peccatorum remissionem consequantur. Et ibi promitto si cum vera contritione, & humilitate, Deum pro facinorum tuorum condonatione preceris, eam te obtenturum ac salutem adepturum.

Sulpit. in eius vita.

Quamobrem diligenter te in virtutis huius studio exerce, quæ, Cypriano a *totius* est *sanctitatis fundamentum:* & Chrysostomo b *virtutum omnium fons & origo*: Bernardo c *spiritalis vitæ fulcrum*: Augustino d *conseruans virtutem charitatis:* Gregorio e *vitiorum expultrix:* & *virtutũ omnium* Hieronym. f *conseruatrix:* Sicuti namque frequenti lectione scientia acquiritur, inquit Bernardus, g & per patientiæ exercitationem, animi tranquillitas: ita per humiliationem, humilitas.

a *Serm. de Nat. Dom.*
b *Hom. 15. in Matth.*
c *Epist. 87.*
d *In cap 2. ad Galat.*
e *Li. 7 Mor. c. 23 & lib. 8. cap 36.*
f *Epist 14. ad Celant.*
g *Epist. 87.*

VIII.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus: & adduxerunt asinam, & pullum. B. Lucas, inquit horum iumentorum Dominos, Apostolis dixisse, *quid soluitis pullum?* Illos autem respondisse: *quia Dominus eum necessarium habet.* Vnde nota hic *in primis*, animalia hæc non vnius fuisse Domini, sed multorum: adeo vt secundum Bedam, cõmunia illis ex æquo fuerint. *Communia* autem veteri in lege immunda censebantur. At vero pij Christiani non nisi vnum habent Dominum, nempe Christum Iesum, ad cuius honorem omnes actiones cogitationesq; dirigunt. Peccatores contra tot habent Dominos, quot passiones, ideoque immundi sunt: ita, vt cælum ingredi non possint, id quod teste Ioanne *nihil intrabit coinquinatum.* Vnde si quis ab hac emundari velit coinquinatione, is se ab Apostolis. eorundemque successoribus solui permittat, atque ad Christum adduci: vt hic aliorum emancipatus seruitio, soli Christo famuletur.

Luc. 19. 33.
Act. 10. 14.
Apoc. 21. 27

Nota *Secundo*, Apostolorum ac iumentorũ obedientiam: quã quemlibet pro sui ratione status imitari fas est. Hic nãque duo hominum designantur genera: de quibus Psalmista:

Homi-

Homines, & iumenta saluabis Domine. Per Apostolos quippe, signantur docti, ac prudentes. Per asinos vero rudes, ac simplices; qui doctioribus prudẽtioribusque sese debent sociare, vt ab ijs erudiantur, instruanturque, inquit Gregor. quemadmodum asinæ B. Iob *iuxta boues pascebantur.* Vtrumque autem hoc genus, hoc est, tã doctorum, quã indoctorum, tam subtilium quam rudium, debet tripliciter in obedientiæ virtute conuenire. *Primo*; vt simpliciter id quod imperatur, perficiant. *Deinde*: vt libentes id faciant; etiamsi si alias adferat nonnihil molestiæ. *Postremò*; vt captiuantes intellectum, nõ curiosè mandati causam percunctentur. Idque exemplo Apostolorum. qui cum nunquam Christum equitantem cõspexissent, atque adeo mirari forsan, cur hæc sibi adduci animalia iusserit, potuissent; nõ tamẽ causam scisciti sunt: quia magnã nouerãt, simplicis obedientiæ laudem, eiusq; fructũ alias quoque experti fuerant. Hinc Saul à parente perditas requirere asinas iussus, regiam inuenit dignitatem; qua per inobedientiam rursum excidit. Petrus ad Christi imperantis vocem rete in mare iaciẽs, ingenti piscium locupletatus captura, animarum piscator, ac generalis Christiani ouilis Pastor effectus. Eiusdem imperio, Apostoli licet rudes mundo prædicãtes, Euangelio totum terrarum orbem illustrarunt. Obediẽtia nãq; nõ exercetur vnquã frustra, quin semper aliquid vel in te, vel in proximo tuo operetur boni. Discrimẽ autem obedientię inter hac duo hominum genera, illud forsitã esse poterit; quod docti, ac prudentes ingenium suum melius applicare queãt, nõ quidem ad examinandum, discutiendumq; id, quod à superioribus iniungitur: sed potius, vt *Inprimis*, cõpetentem aliquã excogitent rationem, quo prõpti ad obsequium disponantur. *Deinde*: quòd conuenientius Superiores omni cum reuerentia queãt admonere, si fortè per ignorantiã quidpiã præciperẽt, quod vel diuinis cõtrariũ esset mãdatis, vel Ecclesiæ præceptis, vel ipsis regulis, aut vitę q; amplexi sunt instituto: neq;.n. omnes Superiores in omnibus sunt exercitati. Simplices verò optimè rebus suis cõsulẽt si se ab alijs duci, regique sinant: agnoscentes se id esse quod sunt: nempè, rudes, ac indoctos subditos, præferendo Superiorum

Psal. 35. 7. Apostoli quos notent & quos asina 2. *Mor.* c. 25

1. *Reg.* 10. & 15.

Luc. 5. 4.

Mar. 16. 15

riorum suorum prudentiã ac discretionem suæ insciteæ: vt illorum voluntate ac iussionem proprio intellectui anteponãt quàm quasi pro regula habent. Nihilominus tamen, si quid ipsis à Prælato iniungeretur, quod notabiliter diuinæ reluctari videretur iussioni, poterunt se cum humili reuerentia excusare, certò scientes, Deo hominẽ posthabẽdum. Docet id nos asina Balaã, quæ stimulis fustibusq; à Domino ad progressum impulsa, renuit; idq; ideo, quod Angelum Domini ferro armatum ante se stare cõspiceret, progredi vlterius vetantem. Cum verò nihil, quod vel Dei, vel Ecclesiæ præceptis repugnat, iniungitur, cùm Dauide dicemus: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*: dum relinquimus nostra, & instar pueri, alienis acquiescimus. De quo Christus in Euangelio: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Hoc autem *cum primis* faciendũ esset in obseruãdis Ecclesiæ præceptis, cui certissimè fidere oportet, quòd nihil contra sponsi sui voluntatem nobis iniũctura sit. *Dein* nec Superioribus obmurmurandum est, cũ Core, Dathan & Abiron: quippe quos Deus pro suo arbitratu regit, suggerens eis plura, quam nos intelligamus. ideoq; non decet negotia Principum, Prælatorumq;, quæ non capis, scrutari; nam & sine emolumento id fit, & cerebrum turbat, vel conscientiam maculat.

Nu. 22. 27.

Psal. 72. 22

Matt. 18. 3.

Num. 16.

In 21. Mat. Solus Matheus asinæ meminit.

Nota *Tertio*: cùm B. Anselmo, inter quatuor Euangelistas, solum Matthæum *asinæ* meminisse; cæteris tribus, *pulli* tantũ mentionem facientibus. Idque ideo, quod illi gentibus scripserint, ille verò Iudæis: vnde probè nouerat, & hos per *asinã* & illas per *pullum* significari. Vnde & Iudæos ad Christi doctrinam instigare voluit: à quo non solum vocati erant, sed & salutaribus monitis, vti Paulus testatur, instructi. Qui cũ despectui eum haberent, desciscentes ab ipsius doctrina, etiam miserè derelicti sunt; vt eorum locum ac gentem Turcis, gentibusque subiecerit. Itaque noli vnquam ipsum deserere, vt potè tui non egentem, & facilè reperientem, qui meritorum tuorum coronam, si eam asperneris, consequatur. Istud tibi in mentem sæpè veniat, quod Scriptura ait: *Deum nõ propter locum gentem, sed propter gentem locum elegisse*. Quisquis Deo seruit,

Rom. 15.

2. Mach. 5. 19.

seruit, is ab ipso cum omnibus quæ possidet, honorabitur; qui verò eum deserit, deseretur.

Nota *Quarto*, Apostolos non asinam solùm, sed & pullum adduxisse: cùm Christus non tantum parentes, sed & eorum liberos expetat: vtpotè, quos Christus nonnunquam tenaci⁹ diligit, quam parentes ipsos; tum, ob feruentem innocentiæ puritatem: tum, ob singularem castitatis munditiē. Nam in parentibus passiones frequenter altas iecerunt radices, sunt-que eximia virginitatis aureola priuati: cùm interim pueri tenerę sunt plantulæ, castissimæque virgines, adeo vt virginitatis palmam Christo queant offerre, illumq; sibi in sponsū adsciscere. Hinc de talibus; *Sinite*, inquit *paruulos, & nolite eos prohibere venire ad me. talium est enim regnum cœlorum*. De parentibus autem scribit Paulus; *quod per filiorum generationem saluabuntur, si permanserint in fide, & dilectione*: hoc est, interprete Hieronymo, si tales genuerint filios, qui virgines permansuri sunt: & q̄ ipsi perdiderunt, acquirant in liberis: damnūq; radicis, & cariem, flore compensent, & pomis. Annosi contraxere plicas inexplicabiles: ita vt suis pertinaciter inhærentes persuasionibus, bonas rerum laudabilium introductiones, quasi inuisas nouitates explodant. Qualia in primis sunt: octauo quoq; de cōfiteri, frequentare Eucharistiam, Virginitatē Deo cōsecrare, &c. Vnde Iudæis similes sunt, qui diuinas Prophetarum prædictiones cachinnis, vti Esaias conqueritur, excipientes seipsos Dei verbo inidoneos efficiebāt adeò vt lōge ab hoc essent aptiores: *ablactati à lacte, auulsi ab vbere*. Itaq; docemur iuuare quidē seniores, verum accuratiorē iuuenum habendā curā, tanquā ad perfectionis apicem, omnemq; pro amore Dei subeundū laborē magis capacium nā & Monasteria decorare, & proximorū saluti possunt incumbere. Sicuti Christus pullo diutius insedit, quam asinæ.

Cur asina cum pullo

Mat. 19. 14

1. *Tim.* 2. 15

Lib. 10. *contr. Iouin c.* 14 *in fine.*

Isai. 28. 10.

Ibid. 9.

Et imposuerunt super eos vestimenta sua, & eū desuper sedere fecerūt. IX.

Apostoli vtriq; animali imposuere vestes, cum scirent Christum vtriq; velle insidere non quod vnum nō sufficeret: sed q̄ rem admiratione dignam, esset facturus. Quippe qui non verbis tantum, sed & signis, operibusq; populū erudire cōsueuerat. Itaq; Asinæ primo insedit, inquit Theoph. Remigius,

D. Thom.

D. Thom. alijque nonnulli. Deinde pullo, quò longiori vsus est tempore: insinuando se primo Iudæos iustitiæ semitam edocuisse, & postmodum gentes, quibus ad finem vsq; mũdi adhæresceret, relicta interim natione Iudaica; quæ tamen vbi *plenitudo gentium introierit*, etiam ipsa subsequetur, sicuti asina pullum, Hierosolymam vsque insecuta est.

Rom.11.25

Tria hominũ genera.

Asiniquos notent.

Nota hic in primis, quod in hac triũphali processione tria personarum genera, sint diuersis exornata virtutibus. *Primo* asini. *Deinde* Apostoli. *Postremò* turba prędecẽs, subsequẽs, atque obuiã occurrens. Ad asinos ꝙ attinet quib⁹ Saluator insidebat, Christum portabant Apostol. vestibus cooperti, calcantes ramos arborũ; & folia, vestimentaq;, quibus vię passim stratæ erant. Hi simplices denotãt homines, inquit Greg. Christo se libentes subijcientes, vt ab ipso in cœlũ prouehãtur. Plurimi autem inueniuntur stolidi & imprudẽtes, quib⁹ sarcina nimis videtur esse grauis, ac onerosa, cũ rarò aliquam rerũ spiritalium sentiant delectationẽ. Quemadmodũ Maria Ægyptiaca, annos decem & septẽ, post conuersionẽ suã, in magna deuotionis sterilitate transegit, vt peccati sui reatũ condigna pœnitẽtiæ exercitatione aboleret. Potiũtur quidẽ nonnunquã quiete aliqua, ac momentanea contemplatione sed quasi per transennam. Sicuti asinus reflectens ceruicem, Christi intuebatur pedes; verũ citissimè hęc euanescit: & tamẽ Christo nemo est propinquior, nemo Apostolicorũ vestimentorũ ornatu instructior. Vt hinc docearis. quò pacto res tuæ sese cũ Deo habeant, quãdo internis destitut⁹ cõsolationibus, varijs te oppressũ tribulationib⁹ inuenis. Cogita Deũ tũc tibi esse propinquiorẽ, vti per Prophetã ait: *cũ ipso sum in tribulatione*. D. Antõ. horrendæ à dæmone cæsus, nullũ diuinæ consolationis sensit auxiliũ, verum post flagra Christum conspiciens, *Domine Iesu*, inquit, *vbi eras hactenus? cur has plagas non ante sustuliſti?* Cui Dominus: *Aderam equidem tui certaminis spectator Antoni, & quia tãta virtute, & inuicta animi constantia pro mei nominis gloria decertasti, ego te vicissim toto orbe celeberrimũ efficiam*. Catharina Senensis impuris rerum venearum exagitata cogitationibus, cũ diu multumq; esset reluctata, tandem Christum conspicata, interrogauit vbinam tanto tempore fuisset

Psal.90.15

Athan. in eius vita.

Raymundus in eius vita.

fuisset: & ille; ego, inquit, in medio cordis tui eram, impediēs ne vllum immundæ suggestioni consensum præberes, sed potius illā execrareris. Huiuscemodi ergo homines plus participant, de Christi meritis, Sanctorumque consolatione, in tribulatione, tentatione, mæstitudine, quam alij in rebus prosperis, ac suauib. Itaque non abijcias animum, etiam si ad tempus derelictus videaris, sed magis pro viribus adnitere, vt Christum in corpore tuo portes. Clemens Alexandrin. notat pullum hunc fuisse iuuenculum, ac nouitium, vel vt Zacharias ait, *filium asinæ*: vt efficiamur paruuli, si Christum in nobis suscipere velimus, atque ab ipso dirigi, regique. *Li. 1. Peda. c. 5.* *Zach. 9. 9.*

Alij erant Apostoli, qui vestimenta sua asinis imponētes, ac Christum desuper collocātes, pedites hinc inde incedebant, propellētes forsitan interdū iumēta. Per quos spiritales Ecclesiæ ministri designantur: quorū officium in trib⁹ Apostolorum operibus hic insinuatur, quæ circa Christum & asinos præstiterunt, vt hinc nimirū discas, omnia Ecclesiasticorum munia, ad honorē Christi, proximorūq; iuuamē referēda esse. Horū *Primum* fuit, vestibus suis asinos exornare, ac Christū ijs imponere. Per *vestes*, Hieron. *Primo* Apostolicā intelligit doctrinā; qua Christianos debēt imbuere, ac eorū ignorantiam tegere. *Secūdo*: Imperfect⁹ hasce vestes adserit, gratiā Dei; qua Christiani debēt esse amicti: Nā, & Ansel. hoc loco ait, Christ⁹ nō voluit nudis insidere iumētis. Vnde nisi splēdida nuptiali veste exornat⁹ fueris, Christum nō suscipies. Hę ergo Apostolicę sunt vestes: quippe, cum per ipsorum ministerium, diuinorum mysteriorum charismata cōsequamur, dum Ecclesiæ Sacramēta nobis impertiuntur. *Tertio*: B. Chrys. facultates intelligit tēporales, quarum erogatione pauperibus subueniendum est. Quod quidē ad Ecclesiasticos pot⁹, quā ad seculares pertinet, tum, q̄ ipsorum bona, nō nisi pauperum sint, sunt. n. piorum Christianorum eleemosynæ, collatæ ad hoc, vt & ipsi, & alij pauperes inde sustentarētur, inquit B. Vrban. Papa: tum, q̄ & anima, & corpore proximorum se auxilio debeāt impēdere; & maximè egenorum, qui sæpe per temporalium rerum adiumenta, ad virtutis studium pertrahuntur. *Quarto*: Greg. per *vestes*, nostra intelligit cor-

Apostoli quos notent.

Officia Apostolorū 1.

Vestes Apostolorū quid? 1.

2. *Hom. 37. Mat 22. 18*

3. *Hom. 67. in Matth.*

Epist. 1. ad omnes fideles.

4.

corpora: quibus Ecclesiastici, præcipuè verò Episcopi, Pastores, alijq; Prælati, nequaquã pro aliorum iuuamine debẽt parcere. Itaq; nõ solum ingentes exantlarunt labores Apostoli ad peccatorum cõuersionẽ, sed & sanguinem fuderũt. Et cõplures Episcopi plurima, pro subditorum suorum salute, sustinuerunt. Vnde cum graue aliquod vel pestis, vel belli, aut alterius calamitatis ingruit periculum, non possunt vllaten⁹ suos deserere: nisi fortè persecutio in ipsosmet desęuiret

Aug ep.180 ad Honor. Nico. Papa 7.q.1. Scisscitatis.

Quemadmodum, B. accidit Athã. quẽ Arriani varijs modis persequebantur. Nam quando Iudæi Christianos Hierosolymis persequebãtur, mãserunt illic Apostoli quo aduſque Herodes mortem ipsis intentaret. Quod quidem ideo permittente Christo factum, vt ipsius Euangelium vniuerso annuntiarent orbi. *Quinto*, licebit per vestes hasce intelligere ornatum illum, quem in honorem Christi, & Sanctorũ Ecclesiæ impendimus: cui hæretici, cum Iuda proditore, sese opponentes obstrepunt: *Vt quid perditio hæc?* Quouis etenim tempore vsitatum fuit Sacram Eucharistiam, & reliquias omni ornamentorum genere decorare: neque enim decet, nos à Iudæis liberalitate superari, in quorum augustissimo templo, non nisi aurum, argentum, ac gemmæ pretiosissimę relucebant. Verum quidem est ipsorum gloriam fuisse externam, interiorem Christi sponsæ ornatum designantem: sed tamen æquum non est, vt nos qui plus beneficiorum consecuti sumus, minorem Christo honorem habeamus. Est quidem internus Christi honor, qui Christo habetur optimus, nunquam tamen legimus Christum externæ reuerentiæ exhibitionem recusasse, nedũ reprobasse, siue id corporali fieret reuerẽtia, quemadmodũ tres fecere Magi, *c* Leprosus, *d* Iairus, *e* Chananæa, *f* Cœcus, *g* Dæmoniacus, *h* alijque complures, qui in terram proruentes eum adorabant: siue opum nostrarum facultate, sicut Maria Magdalena, *i* pretioso alabastri vnguento Domini pedes lauit, & caput perfudit. *k* Indecens prorsus est, vt fœtida nostra corpora, mensasque, ac ædes splendidè exornantes, Deum, à quo omnia nobis bona profluunt, viliori cultu afficiamus. Quod si obijcias eũ pretiosiori ornatu haudquaquam indigere, respondeo te etiam

5.

Mat.26.8.

a Act 8. 1.
b Ac.12.17
c Mat. 2.11
d Mat. 8.2
Luc. 17.16
e Ma.5.22.
f Ma.15.25
g Ioa. 9. 38
h Mar.5.6.
Matt. 8.5.
i Luc. 7.38
Ioan. 12.3.
k Mat 26. 7.

multò

multò ſimplicioribus poſſe contentum eſſe. Et ſacræ quidem literæ ſępè reprehendunt, puniuntque nimium corporis ornatum, verum illum qui diuino impenditur honori; aut Eccleſiæ cultui, nunquam. Quod autem ſplendor Eccleſiæ etiam non imperetur, fit *Inprimis* ideo; quod recta ratio facile ſucdeat, vt Deum tota anima, totiſque viribus, tanquam bonorum omnium munificentiſſimum largitorem, honoremus, veneremurque. *Secundo:* quod veteri Teſtamento ſufficienter id doceamur, in quo Deus omnem ſibi ornatum impendi, in ſumptuoſiſſimo illo Salomonis templo, mandauit. Et quamquam antiquæ legis ritus, Chriſti aduentum præfigurantes, ſunt aboliti: non tamen ſimul cum illis expirarunt ea, quæ ad bonos mores, ſummique Dei honorem faciunt, prout rectè diſſerit B. Leo. *Alterum* Eccleſiaſticorum officiũ eſt, Chriſtum aſinis imponere. vti hic dicitur: *& eum deſuper ſedere fecerunt.* Qui iumento inſidet, longè ſupereminet, & dirigit illud quo vult, nunc tardius, nunc celerius, nunc huc, nunc illuc. Simili modo diaboli cum hominibus agunt, quibus quaſi equites inſident, & prout volunt abutuntur. Chriſtus verò ſuos aſinis per Eccleſiaſticos imponit: quibus incumbit hæc tria populum docere.

Cur exteriorem Eccleſiæ ſplendor non præcipiatur. 1. 2. *Serm.* 14. 2. Officiũ. 2. *Tim.* 2. 28. Eccleſiaſtici tria debẽt docere.

Primo, veram humilitatem, quæ Chriſto ſe totaliter ſubijciens, quidquid agit, ipſi ſoli, vt Dorotheus ait, adſcribit. *Deinde* ſynceram obedientiam, vt in omnibus ipſius ſequantur voluntatem, eamque perficiant. *Poſtremò* plenam, perfectamque ſui ipſius reſignationem, vt ſint ad illa quæ Chriſtus præcipit, ſine vlla exceptione, parati. Quemadmodum, aſinus hic, ad eundum, ſtandum, aut onus portandum fuit paratus. Huic rei conducunt conciones, & Eccleſiæ Sacramenta, præcipuè verò Euchariſtia, quæ ad perfectionem nobis porrigitur.

Doctrina 1. & 2. 3.

Sicuti namque hic pullus, cui nemo inſederat, ſtatim ad Chriſti aſcenſum manſuetus tractabiliſque effectus fuit, inquit, Chryſoſtomus: ita & ferocia hominum pectora, dum Chriſtum in ſe ſuſcipiunt, ſtatim manſueſcunt. Videmus eos qui frequenter communicãt, ex Leonibus effici oues, agnos ex lupis, colũbas ex coruis. ideo Deo dicatæ perſonæ nullate-

Hõ. 67. in Matth.

nus deberent desistere, maxime verò Pastores, Concionatores Confessarij, alijque animarum curatores, populum ad frequentem sanctissimi huius Sacramenti susceptionem cõmouere: in quo Christus ipse ad nos venit, cœlestium donorum benedictione instructissimus, vt nos regat, reficiat, rectaque ad cœlum proueliat.

3. Officiũ. *Tertium*, Officium est, ad latus Christi, & asini incedere, vt viarum omnium remoueant obstacula, loqui cum Christo, eumque audire, audita exequi; propellendo asinum nunc verbis, nunc si opus est verberibus. Quo designatur, quod Ecclesiastici semper debeãt in præsentia Christi versari, nec vnquam se ab illo longè disiungere, sed quouis tempore de illo cogitare, ac meditari: illum reuerendo, orando, ipsius inspirationes obseruando implendoque. *Secundo*, quod proximorum debeant salutiui vigilanter incumbere, vt sine impedimento Christo seruiant, atq; ad cælum contendant. Itaque illorum officium *in primis* requirit: sancire leges, quæ ad hoc promouere subditos possint. *Deinde*: eosdem admonere, arguere, increpare: imò & punire illos, qui in virtutum studio nõ proficiunt vel inerti se otio tradunt. *Tertio*: ab Ecclesia arcere illos, qui verbo, aut exemplo deuotioni officiunt. Quemadmodum Paulus Hymenæum, & Alexãdrum, & incæstuosum illum Corinthium Sathanæ traditos, ab Ecclesia expulit. *Quarto*: habẽt hoc summi Sacerdotes, ac supremi Christi in terris Vicarij, Petrique successores, vt Reges ac Principes, Ecclesiæ subditis nocumẽtum inferentes, sua queãt dignitate priuare, atque in eorundem locum alios substituere. Ita B. Papa Zacharias anno Domini septingentesimo quinquagesimo primo, Pipinum Galliarum Regem, in locũ Hilderici, qui anno sequenti iussu eius monasterium ingredi, cõstituit. Sic Merouęorum familia regno spoliata est. Quin & Leo III. Romanum Imperium à Grẹcis, ad Carolum Magnum, anno Dñi octingentesimo (quod schismata fouerent, hęresesq; passim inuecherent) trãstulit, circa annum Domini millesimum. Gregorius V. idem imperium Germanis obtulit, septem instituens Principes Electores: tres quidem Ecclesiasticos: nempe, Archipręsules, Moguntinum, Colonienſem, ac

Ecclesiasticorum prælatorũ Officium.

1.

2.

3.

1. *Tim.* 1. 20
2. *Cor.* 5. 5.

4.

ac Treuirensem: totidem sæculares, Ducem Saxoniæ, Palatinum Rheni, ac Marchionem Brandenburgensem. Quibus adiunxit Regem Bohemiæ, qui varia votorum suffragia ab ancipiti vindicet. Gregorius I. ante annos mille, probè hanc Romani Pontificis agnouit authoritatem, quando in priuilegio, monasterio Augustodunensi, & S. Medardi, concesso sub pœna exauthorationis, præcipit Regibus, ac Principibus, ne illa aliquatenus impediant, immutentve. Discte Ecclesiasticam reuereri potestatem, quæ Ecclesiæ à Christo *ad bonorum ædificationem, & munitionum destructionem*, vt Paulus loquitur, est collata: hoc est, ad impediendos eos, qui seculari authoritate violenter sese bonis opponunt, piosque eorum conatus impedire moliuntur.

Epist. 10. l. 11. *Epist. 31. l. 12.* *2. Cor. 10. 4.*

Nota *secundo*, Apostolos se vltro vestibus spoliasse, vt Christo præstarent obsequium, quem nemo celeriter insequi potest vestimentorum sarcina pregrauatus. cœcus ille Bartimęus, audiens se à Christo vocari, *proiecto vestimento*, exiliens, ad eum cucurrit. Qui magna opum vi pollent, ijs, quasi compedibus, ita sunt alligati, vt Christo seruituri discedere nequeant. Adolescens ille, qui à Christo salutis petijt consilium, quamquam à teneris, diuina seruasset mandata, essetque à Christo, vti Marcus testatur, *dilectus*; intelligens tamē omnia relinquenda, ac pauperibus distribuenda, vt expediti Christo inhæreret, tristis discessit, vt Christus ad discipulos conuersus, diceret: *difficile esse diuites in regnum cœlorum introire*: quia in laqueum diaboli citissimè incidunt, quo quasi captiui cōstringuntur. Christus cum esset nostri caussa factus egenus, nudusque, in conficiendo itinere celerrimus erat: qui expedite eum cupit sequi, optimè facturus, si & ipse sese omnibus exuat: quod præstantissimi quique Sancti factitarunt, quo CHRISTVM nudum nudi sequerentur. Verum vt eum vestimentorum, aliarumque temporalium rerum amictu melius exornes, asinum ijs contege; hoc est, pauperibus distribue eas, non vero diuitibus, aut fastu turgentibus, qui ad mundi obsequium ijs, vti D. ait Hieronym. abuterentur. Inde nullum Christo emolumentum, sed diabolo, qui tanquam *Rex super omnes filios superbiæ*, in superborum cordibus

Vestes exuendæ. *Mar. 10. 50* *Mat. 19. 21* *Mar. 10. 21* *Mat. 19. 23* *1. Tim. 6. 9* *Epi. 26. ad Pammach.* *Iob 41. 25.*

requiescit. Si vero ea humilibus largiris, ac pauperibus, occasionem illis præbes, vt Christō quietius famulentur; reddisque teipsum participem istius gratissimi Deo seruitij, quem hoc pacto demereris, & quasi deuincis. Quemadmodum hi Apostoli fecere, vt Christus mollius equitaret; qui etiam eos Hierosolyma excludere non poterat, quorum vestimenta sibi habebat substrata.

Quæst. 15. ad Antiochum inter opera B. Athan.

Nota *Tertio*, olim ante annos mille ducentos, in quęstione veniisse, *cur hic asinus aliarū instar reliquiarū in pretio habitus nō sit: sicuti Christi crux, tunica, columna, aliaq; quæ sanctissimi corporis sui contactu sacrauit?* Sed respondere licet, asinum fuisse animal brutum, & irrationale, cui si quid deferretur honoris, putaretur idipsius animalis caussa fieri, quemadmodum Ægyptij olim diuersi generis animantia adorabant. Nihilominus tamen erat æquius illa animalia, quæ Christum portauerāt, ob honorem Christi plus deuitari, quā alia. quia aliquid peculiare ex Christi contactu hauserant, adeò vt sicut Chrysost. ait, citissimè mansuefacta sint. Memorat B. Gregorius Ioannem Pontificem, cum in Græciā ad Iustinum seniorem profecturus esset, accepisse in itinere, à quodam nobili, miræ mansuetudinis equum, cui vxor eius insidere erat solita: verum postquam Pontificem gestasset, noluit fœminam admittere. Vt hinc discamus piorum sanctimoniam, etiam in animalibus aliquatenus honorandam: maximè verò corpus Christi, seu Eucharistiam, quam nihil attingere debeat, nisi sacrum. Itaque membra quibus hanc percipis, nempe linguam, os, guttur, ventrem, ac intestina (sicut & Presbyteri manus suas) ab omni spurcitie conserua. Christus qui per illa ad te ingreditur omni honore dignus, detestatur quidquid indecorum est: Linguam ab inani loquacitate refrena, multo magis à mendacio, iuramēto, scurrilitate, detractione, periurio, &c. Insuper & os ab exquisitioribus cibis, ventrem à superfluitate, cor ab imundis cogitationibus, manus à malis operibus. Memineris non licere homini ingredi per portam illam, per quam Christus Princeps est ingressus, & vbi commorandi sibi domicilium delegit: quanto minus ergo diabolus eam debet ingredi cum *membra nostra templum sint Spiritus sancti*, vt

Lactan. l. 1. c. 30. in fin.

Hom. 1. & 67. in Matth.

Lib. 3 dialog. cap. 2.

Eze. 44. 2.

1. Cor. 6. 19

vt Apostolus ait, non debet in illis fieri *habitatio dæmoniorum, & custodia omnis volucris immundæ*, aut *spelunca latronum.* *Apoc.18.2.*

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Qui paulò ante miraculosam quatriduani Lazari resuscitationem intellexerant, animis commoti, CHRISTO omnem exhibuêre reuerentiam, tanquam verissimo Messiæ. Quin & Spiritus sanctus pectora illorum erga CHRISTVM inflammauerat. De quibus hodierna die in ramorum benedictione, ita psallit Ecclesia: *intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor humanis condolens miserijs, pro totius mundi vita cum mortis Principe esset pugnaturus, ac moriendo triumphaturus.* Non quod plenè cognouerint CHRISTVM pro peccatorum nostrorum abolitione moriturum; sed externis oliuarum indicijs præ se ferebant, quod de humani generis hoste triumphum esset relaturus, quod non nisi morte completum est. Nullus vnquam Princeps, nullusue Rex maiore populi lætitia inauguratus est, neque maiori inaugurati demissione, qui vili insidens asello, non ad risum ora resoluit; sed à longè vrbem conspicatus, fleuit super illam. X. *Luc.19. 41*

Ex hoc triumphali Saluatoris ingressu Ecclesia processionis sumpsit exordium, vti etiamnum in vsu est. Fuit olim huius rei vestigium, ac quasi præfiguratio quædam in veteri Testamento, quando Arca Moysaica septem diebus quotidie à Sacerdotibus circumlata fuit, antequam Ierichuntinæ vrbis muri prostrati, filijs Israel patefecêre ingressum. Quæ etiam insigni cum lætitia, à Dauide in montem Sion ad peculiarem locum, & postmodum à Salomone, ad celeberrimum templum, vniuerso comitante populo, est translata. Quin & in Nouo Testamento, aliquot sanctissimæ habitæ sunt processiones; quando Deipara Virgo filium in vtero baiulans, cum Ioseph in Bethlehem perrexit, & anniuersariæ solemnitatis ritu, cum eodem ascendit Hierosolyma. Cum Christus discipulis comitatus, & hominum turba, de ciuitate in ciuitatem iter egit, crucem ad Caluariæ montem baiulauit, de ligno crucis depositus sepul- Processionum vsus. *Ioſue 6.* *2. Reg.6.* *3 Reg.8.* *Luc.2.41.* *Luc.24.50*

sepulchro inferretur, cum rediuiuus discipulos in Bethaniã, vt spectantibus illis, in cœlum ascenderet, perduceret. Quæ quidem diuersę itiones, varia processionum genera, postmodum in Ecclesiam introducenda, præfigurabant: nulla tamẽ illarum tam liquidè nobis demonstrat, quo pacto in his gerere nos debeamus; quam illa qua hodierna die Hierosolymam solemniter est introductus.

4. diuersa processionũ genera *Primum.*

Nota quatuor diuersa processionum genera, veteri ac laudabili Ecclesiæ traditione, ad nos deuenisse. *Primum*, quando Venerabile altaris Sacramentum solemniter defertur. Quod etsi gentilitatis tempore non tam patenter, celebriterque fieret, vti nunc, propter Ethnicorum persecutionem, quibus tanti mysterij arcana patefacienda non erant: tamen omni cũm reuerentia, aureis argenteisque thecis, seu ciborijs efferebatur. Idque *inprimis* quolibet die Dominico; ad illos nimirum, qui iustis præpediti occupationibus, templum inuisere nequibant, vt testis est Iustinus martyr. *Deindè*: ad ęgrotos, qui etiam olim priuatim viaticum accipiebant, quemadmodum Diuus Hieronymus de Exuperio Tolosanæ vrbis Episcopo commemorat. Qui etiã alio in loco huiuscemodi pannos, ob Dominici corporis contactum, in magno habẽdos honore præcipit. *Tertio*: diebus Dominicis, cũ solemnitate aliqua, efferebatur Venerabile Sacramentum, ex domo Episcopali, ad ædem Sacram; idque in aurea hierotheca, *Dominicã arcã* vocari solita, quæ erat quibusdam in locis tanti ponderis, vt humeris baiulari debuerit. Qua de re stupendum commemorat exemplum Turonensis Gregorius: nempe matrem suam vidisse cuidam Diacono huiusmodi thecam ferenti (erat etenim vitæ haudquaquam continentis) è manibus euanuisse, ac per aëra ad sacrum altare miraculosè, quod pollutis nollet contingi manibus, perlatam fuisse. *Quarto*: Romæ visitatum erat, vt Pontifex cum solemnitate mitteret Eucharistiam ad Catholicos, eò confluentes Episcopos, in signum quod cum Primario Vniuersalis Ecclesiæ capite communicarent; profitentes fidem, quam in Petri Cathedra inuiolatam CHRISTVS conseruat: vti constat

Qualiter olim Venerabile Sacramẽtum efferebatur.

1. *Apol. 2. ad Anto. Piũ.*

2. *Epist. 4. ad Rust. c. vlt. Præfatio libri Paschalis Theoph.*

3. *Con 3. Braca. c. 5. Lib. 1. c. 86. de glor. Martyr.*

4.

constat ex epistola Beatissimi Irænei martyris ad Victorem Pontificem, ab Eusebio Cæsariensi citata, & qui tali esset ab Apostolicæ sedis Præsule insignitus tessera, per totum terrarum orbem pro sincero Catholico habebatur. Hæc autem Venerabilis translatio Sacramenti, etsi olim occultè ob Ethnicorum furorem fieret, tamen omni cum reuerentia peragebatur: vt etiamnum à Catholicis fit in locis hæreticis. Discis hinc Venerabilis Sacramenti processionem, non esse nouum huius temporis commentum, sed priscæ ætatis consuetudinem, atque Apostolicam omnino traditionem; nisi quod nunc apud Catholicos publicitus, ac multò solemnius peragatur, accensis facibus, campana, alijsque musicis instrumentis sonantibus. *Lib. 5. hist. c. 24.*

Secundum processionis genus; quando SS. circumferuntur reliquiæ. De quo memorat Augustinus, sua ætate in Aphrica ad protomartyris Stephani reliquiarum deportationem, insignia aliquot perpetrata miracula. De celeberrima illa Antiochena processione, circa annum Domini trecentesimum sexagesimum secundum, qua reliquiæ S. Babylæ martyris transferebãtur, cui vniuersus intererat populus, viri, fœminę, magni, parui, Deum collaudantes; consule Chrysostomum, & Sozomenum. fiebant autem hæ processiones, præeunte Dominicæ crucis trophæo, ac luminaribus aliquot accensis. Sicuti hac de re duo insignia refert exempla Gregorius Turonensis: quorum primum ipsimet euenit, deferenti S. Martini, & Saturnini, Iulianiq; martyrum reliquias ad quandam, quam solemni ritu dedicaturus erat, Ecclesiam. Cuius cum vestibulum ingrederetur, intro prospiciens, conspexit ibidem ingentis supernaturalis luminis claritatem, totam Ecclesiam collustrantem, adeo vt admirandus proclamaret, ipsum Beatum Martinum illic personaliter præsto esse, quo eius deferrentur reliquiæ. Alterum verò Rhemis accidit, illa tempestate, qua inguinaria lues Galliarum Regnum miserè est depopulata. Tunc etenim Rhemensium populus ad B. Remigij Patroni sui concurrens sepulchrum, cœpit flagitare remedium. Accensis nimirum *Secundum Lib. 22. de ciu. Dei c. 8* *Chrys. lib. cont. gent. Sozom. lib. 5. hist. c. 13. & 12.* *In glori. Conf. c. 20.* *Ibid. c. 69.*

cereis, lychniſque non paucis, cum hymnis, & pſalmis vrbem vicoſque omnes cum reliquijs obeuntes, ne vllum quidem domicilium præterierunt, quod non publica proceſſione inuiſerent. Quid plura? Non multos poſt dies Rhemenſis vrbis confinia fœda hæc lues inuadit. Veruntamen ad eum vſque locum accedens, quo D. Remigij reliquiæ peruenerant, vlterius nō proſerpſit. *Tertium*, quando ſanctorum imagines ad Eccleſiam deferebantur. Hinc cum olim Iulianus Auguſtus, hæreticorum noſtrorum prodromus, circa annum Domini trecentiſſimum ſexageſimum ſecundum, inſignem illam Chriſti Saluatoris ſtatuam, quam mulier illa ſanguine fluens Cæſareæ Philippi, in rei geſtę memoriam erexerat, eſſet demolitus; communi Chriſtiani populi deuotione, ad Eccleſiam eſt delata, vt illic in pretio haberetur. B. Gregorius Anno Domini quingenteſimo nonageſimo, cum eadem inguinaria lues Romanam Vrbem grauiter premeret, ipſumque Pelagium Papam è medio ſuſtuliſſet, in publica proceſſione B. Virginis imaginem à B. Luca delineatam ab Eccleſiæ Mariæ Maioris, ad Baſilicam Beati Petri detulit. Venientibus autem ad pontem S. Angeli, viſus ibidem in mole Hadriani, Angelus Domini, ſanguineum enſem vagina condens, in ſignum placati Dei, auditaque eſt pariter in aere Antiphona. *Regina cœli lætare, Alleluia. Quia quem meruiſti portare, Alleluia; Reſurrexit, ſicut dixit, Alleluia.* Cui Gregorius ſubiunxit: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* Vt teſtis eſt B. Antonius Archiepiſcopus Florentinus. Pręterea cum Perſarum Rex Coſdroas, Edeſſam graui obſidione cingeret, excitato ingenti vallo, detulêre ciues imaginem Saluatoris, Abagaro Toparchæ olim (Damaſceno adſtipulante) tranſmiſſam: ſicque cum magno pietatis ſtudio ad vallum procedentes, illud iniectis flammis in cinerem redegerunt, profligato hoſte; ſicut Euagrius commemorat. Eandem hanc imaginem Heraclius Imperator, *a* in hoſtem moliturus, ſecum ad caſtra deferre erat ſolitus, atque indubitatam victoriæ palmam referre. Et Conſtantinus Magnus ſecum in acie Labarum, ſeu crucis trophæum circumferebat. Nicetas quoque commemorat de Ioanne, & Manuele Com-

Tertium.

Soz. l. 5. ca. 20.

Nicep. l. 10 cap. 30.

De hoc copioſius Dominica 23. poſt Pent. § 6.

Part. 2. hiſt. tit. 12. §. 2.

Li. 4 Orth. fidei c. 17.

Li. 4. hiſt. c. 26.

a Theoph. in Heracl.

Li. 1 Ioan. Lib. 5. Manuelis.

Comneno, Græcorum Imperatoribus qui ope nimirum B. Virg. victoriam ab Hungaris, Schytisque reportarunt, magno deuotionis studio, eius imaginem in castris adseruando, & ad illam orando, quam Constantinopolim victores reuersi imposuerunt currui triumphali, victoriæ largitricem ingenti veneratione publicè cohonestantes: plateis hinc inde vario tapetum ornatu, ac sacris imaginibus (vti olim quoque moris erat) exornatis. Græcis anniuersaria solemnitate colitur prima Quadragesimæ Dominica: quando memoria agitur generalis sacrarum imaginum restitutionis, circa Annum Domini octingentesimum, quadragesimum secundum, factæ, nempe post Theophili Imperatoris obitum. Cum Theodora Augusta comitante Michaele filio, cum crucibus, ac facibus, solemniter admodum procedentes, imagines singulas, ab Iconoclastis loco motas, reddidêre. Quæ hic aliquanto prolixius commemoro vt antiquitatem processionum, ab hæreticis explosarum, colligeretis.

Quartum, Quando Christiana plebs comitante Clero, ac Cruces præferente, sine vllis reliquijs, vel ad sacra loca, vel ad Deum communi suffragio deprecandum procedebat. Qualis illa erat processio, quam B. Basilium instituisse legimus, ad montem Didymi; ad postulandum videlicet suffragia Beatissimæ Virginis Mariæ: templum illic augustissimum habentes: quatenus possent euadere intentatas Iuliani Apostatæ minas, qui vrbem eorum, qua ferro, qua flamma excindere moliebatur: Nec frustra: paulò etenim post, in bello Persico infeliciter pereunte Iuliano, voti compotes sunt effecti. Tales etiam censendæ sunt illæ processiones, quæ ex institutione B. Mamerci, Viennæ Galliarum Episcopi, circa annum Domini quadringentesimum quinquagesimum secundum, tribus Rogationum diebus, anniuersario ritu peraguntur. D. Greg. Papa varias huiusmodi instituit processiones, quarū frequenter in epistolis suis meminit: adeò vt & Siciliæ Episcopis demandarit singulis diebus Mercurij, & Veneris processionē obire. Cęterū huiusmodi processiones varijs de caussis peragūtur. *Primo,* ad Christianę fidei testificationē,

Quartum

Amphil. in vita B. Basilii vide nostram ortodexæ fidei demonstrationem ca. de SS. Peregrinationibus pag. 452. Adon. in Chronico.

Initio li. 2. Registri. Processiones cur instituātur.

2. qua significemus nos CHRISTI crucifixi imitatores, ac sub eius quod præfertur vexillo mereri. *Secundo*, vt CHRISTO, Sanctisque omnibus, familiam, ac quicquid in ea est, studiosè commendemus, vt eorum reliquijs aliquid
3. sanctimoniæ consequatur. *Tertio*: vt Christiana plebs quæ extra Ecclesiam degit, ad communes prouocetur preces.
4. *Quarto*: vt doceamur, non solum geniculando, sed & in ambulando, consistendo, alijsq; corporis motibus Deum orare,
5. eumque quouis loco ac tempore præ oculis habere. *Quinto*: ad repræsentandum diuersas profectiones quas Christus in carne, & maximè circa finem vitæ, pro nobis suscepit: qui primo ex Gethsemani ad domum Annæ est perductus, inde ad Caypham, paulò post ad Pilatum, hinc ad Herodem illudendus transmittitur, ac reiectus morti adiudicatur, grauique ligno Crucis oneratus, ad Caluariæ montem educitur, cinctus hinc inde famosissimo latrone, alijsque stipatus militibus necis instrumenta protantibus, clauos, malleos, funes, fustes, acetum, spongiam, atque id genus alia. Populus qui huic sese processioni exhibebat, sex potissimum laude, imitationeque digna peregit. *Primo*: vestimenta sua sternebant in via: quod *primo* indicium est processionis tempore, compita omnia tapetibus exornanda. Consueuêre Christiani aras præ foribus erigere, & quidquid pretiosæ supellectilis habebant suspendere. Si enim domos in aduentum magni principis sumptuosis tapetibus exornas, multò certè studiosius id agendum veniente Saluatore CHRISTO, vt sua præsentia aliquam benedictionem tibi impertiatur. Hinc olim in maioribus solemnitatibus, aliquanto celebrius Ecclesiæ exornabantur, stratis humi peristromatis, in signum, quod peculiari deuotionis cultu CHRISTI aduentus tunc sit præstolandus, excipiendusque. Nazianzenus adfirmat huiusmodi peristromata diuerso florum genere fuisse constrata quibus & Ecclesiæ, aræque ipsæ exornandæ sunt. D. Hieronymus Nepotianum hoc nomine commendat, quod Basilicas Martyrum varijs floribus, arborum comis, vitiumque pampinis adumbrare sit solitus. *Secundo*: quod ad honorē Christi, vestiū splendor, ac superfluus vestiū ornatus

Populus hac processione sex egit imitatione digna. Primum subdiuiditur in 5. significationes. *Prima.*

Orat. 21.

Epist. 3. in Epitaphio Nepotiani c. 8. in fine.

Secunda.

ornatus, vti Euthymius ait, deponendus sit, cum Pelagia Peccatrice quæ exquisitissimum ornamentorum cultum Nonno Episcopo ad Dei honorem libentissimè resignauit. Paula vidua quæ pretiosas vestes cum vilissima commutauit tunica, vt sponso suo Christo citius placeret, inquit Hieronymus. Quo corpus vestimentorum mole magis grauatur, ac sumptuoso ornatu studiosius excolitur, eo anima redditur deformior, turpiorque: adeo vt præfata Paula non sine causa, *Munditiam corporis atque vestitus, animæ immunditiam dicere sit solita.* Impossibile namque esse, inquit Chrysostomus, animæ curam gerere vestium luxu occupatis. Sunt hæc adeo inter se contraria, vt vnum alterum impediat. Itaque Clemens Alexandrinus comtos homines, Ægyptiorum templis comparat, quæ cum exterius pulcherrimè fuerint exornata, interius horrendis plena erant animalibus, nempe crocodilis, felibus, serpentibus, alijsque venenatis, quæ Ægyptij, pro dijs suis venerabantur. In pomposis, ac fastuosis nostris domicellis inuenis venustas facies, sed animas abominabiles, vitiorumq; passionibus ita defœdatas, vt non parum similitudinis cum dæmone habeant. Qua de causa satius fuerit Christum præstantiori honorare suppellectile, vt ad animarum nostrarum cultum eam conuertat.

In Mat. 21. Iacobus Diaconus in eius vita. Tom. 5. Sur. 8. Oct. In Epitaphio Paulæ epist. 27. Ibid. c. 10. Hom. 37. in Genes. Lib. 3. Pædago. ca. 2. in princ. Lactant. l. 2. c. 14. in fine.

Tertio: dicit Beda sacrificium BB. Martyrum hic significari, qui amore Christi sua proijcientes corpora, planiorem nobis Regni cœlestis strauêre viam. Fiebat namque plerumque, vt Ethnicorum plurimi ad Christianam fidem per hoc incitarentur, ipsique Christiani ad martyrium suscipiendum corroborarentur.

Tertia. In Mat. 21.

Quarto: Gregorius, Theophylactus, & Anselmus dicunt, illos vestimenta sua in via sternere, qui corpora sua ieiunijs, alijsque pœnitentiæ exercitijs macerantes, Spiritui subijciunt.

Quarta. Greg. hom. 17. in Eze. Theoph. in c. 21. Matt. Ansel. ibi.

Quinto: poteris per has vestes, intelligere omne id quod visum, tactumque rerum terrenarum regit. Vnde sciendum est Christum hic longè alium egisse triumphum, quam solent Principes. Hi namq; nudam premunt tellurem, sed supra se habent tabernaculum vt nequeant cœli conuexa tueri. Vnde

Quinta.

tanquam animalia terrena in terra defigunt obtutus, non in cœlum: rerum terrenarum potius, quam cœlestiũ amatores. Christus intuebatur cęlum, terrã vestibus coopertam inambulabat: significans se non habere regnũ terrenum, sed cœleste. Itaque cum in anima Dei insculptam circumferas imaginem, debes diuinarum rerum meditationibus terrã, & quidquid, aduersi mundus ingerere poterit, ita coram illa occultare, ac cooperire, vt solũ quæ sursum sunt sapias, quæ sursum sunt cogites, nihil cum terrena cõcretione cõmertij habeas.

XI. *Secundum* Honoris genus.

Alij autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Secũdum honoris genus, quod turba hæc Christo in hac processione prestitit, fuit, quod ramis arborum, eum condecorauerit. Quod etiamnum Christianis vsitatum, quando processionis tempore frondibus vias inumbrant, significantes per hoc, Christum verissimam esse arborem vitæ. Sanctos verò eiusdem ramos, semper interiori diuinę gratię pariter ac gloriæ succo, sine vlla corruptionis immutatione virentes florentesque. Notat B. Hilarius, arborum ramos viarum semitas impedire potius, quam promouere: adeò vt per hos amputatos ramos, mysticè intelligat infructuosas operum nostrorũ actiones: quas ideo Christo oportebit substernere, vt ipsius incessu, ac contactu fructuosæ efficiantur. Quantumcunque etenim laudabiles sint eleemosynæ, ac preces nostræ, alięque pœnitentiæ exercitationes, nullatenus tamẽ mereri possunt, si à Christo sint auulsæ, id est sine fide, charitate, ac honore Dei fiunt: eam ob rem necesse est, vt eas Christo subijcias. Theophylactus verò per has arbores intelligit homines, eximia vitę sanctimonia pstantes: à quibus frangis ramos, quãdo eorum pręclara exempla imitaris, vel bonas ipsorum instructiones (vti Ambrosius ait) memoria recondis. Quin & filios qui quasi rami à parentibus fruticant, per eosdẽ licebit intelligere. De quibus Regius Psaltes, *filij tui sicut nouellæ oliuarum.* Vnde qui liberos suos diuino seruitio offerunt, illi Christo substernunt ramos. Fecêre id olim Romani Senatores, q eos B. Benedicto erudiendos tradebant. Atq; etiamnum illi qui filios ad Dei solius honorem enutrientes, ex animo gaudent, si quos ex illis videant vitam amplecti monasticam.

Hilar. can. 21. in Mat.

Rami mystice. 1.

2. *Theoph. in comm.*

3. *Psal. 17. 3.*

D. Greg. li. 2. dialogo.

Cæterum

Cæterum B. Marcus, inquit, hoſce homines etiam ſtrauiſſe *frondes in via*. Quod *tertiũ eſt*: quippe qui herbis, frondibuſque, imo & floribus, vti ex Nazianzeno ſuperius eſt probatum, plateas exornauerint: quemadmodum etiam hodierno tempore fieri conſpicimus. Per quod *imprimis* denotatur, bona temporalia Chriſto eſſe communicanda, eiuſque aſini pedibus vt mollius per viam incedat, ſubſternenda, hoc eſt pauperibus Chriſtum portantibus, atque Apoſtolis regi ſe ſinentibus, vti ſunt Religioſi, eroganda: non ſolum ad parcius, tenaciuſque viuendum, ſed ad commodius Deo ſeruiendum. Ita olim complures opulenti Chriſtiani, Reges ac Principes; inſignia aliquot erexerunt religioſorum domicilia, eaque ampliſſimè ad numeroſam alendam familiam dotarunt. Quin & alijs pauperibus ſunt neceſſaria ſubminiſtrãda, de his quæ tibi ſuperſunt. Chriſto idipſum iubente, ac dicente, *quod ſupereſt, date eleemoſynam*. Nonnulli omnes facultates, ſecundum Chriſti conſilium, vna eademque vice ſimul in pauperes transferunt, confeſſuri cum ipſo tanquam Iudices in generali iudicio. Qui liberali manu ſua erogauerint, cum iuſtis ad dexteram adſciti, æternæ benedictionis præmio potientur.

Tertium. Mar 11.8. *Oratio.* 21 Frondes quid? 1. *Luc.* 11.41. *Mat.* 25.34

Secundo: per *folia* deſignantur verba vtilia ac ſalutaria, de quibus Ioannes in Apocalypſi ait, quod folia ligni vitæ gentium ſint ad ſanitatem. Foliorum ornatu Chriſtum honorant, qui proximos conſolantur, hortantur, ijſque ad animæ ſalutem auxiliantur. Non enim corporalia ſolummodò ſunt miſericordiæ opera, ſed & ſpiritualia, eo quidem præſtantiora quo ſaluti vtiliora. flores vero vt notat Gregorius, bona ſunt deſideria quæ nobis plurimum opitulantur. Sicut namque poſt flores ſequuntur fructus, ita virtutum actiones ex bonis oriuntur deſiderijs. Cum igitur proceſſionis tempore flores, frondeſque ſubſternis, noli cum Iudæis in vmbra commorari, hoc eſt, externis tantum cæremoniarum ritibus adhæreſcere, ſed opere id complere, quod deſignant: adſume melioris vitæ propoſitum, eleemoſynas liberaliter elargire, proximum conſolare; hæc enim Chriſto longe ſunt acceptiora, quam omnis externa foliorum conſperſio. Ioannes

2. *Apoc.* 22.2 *Libr.* 12. *mor.* c. 26.

Euange-

Quartum Catech.10. in fine.

Euangelista *quartum* commemorat, dum inquit, turbam quę venerat ad diem festum, *cum ramis palmarum obuiam Domino*, processisse: quos quidem ex palmeto quodam, quo Pharynge locus consitus (qui etiamnum Cyrilli Hierosolymitani tępore exstabat) consitus erat, decerpserant, habentes *oliuarum ramos*, vti Ecclesia hoc die concinit: per illos quidem Christi victoriā, quam ab hoste relaturus erat, significantes, per hos verò, illa, quę nobis misericordię exhibitur⁹ erat, opera. Palma etiam apud Ethnicos victoriæ fuit indicium: quod nullo deprimatur pondere, sed potius eo validius surgat, quo plus oneris sustinet, vt præter aliarum arborum more, superius in cacumine magis densetur, inquit Gregorius, quā in trunco. Quod significat hominem victoriæ studiosum cedere non debere aduersitatibus, aut terga vertere, sed in virtutib⁹ succrescere, ac p̄liando fortiorem fieri. Porro vti palma, quæ p̄deri non cedit, victoriæ, ita Olea, pacis misericordiæque est insigne, cuius liquor leuissimus lenissimusq; reliquis omnibus supernatat humoribus, vt, Plinio teste, etiam turbatum mare tranquillet. Vnde de mansuetis Prouerbiū est *oleo tranquilliores*. Christus prę ceteris mansuetudinem passionis tempore ira exhibuit, vt *instar ouis coram tondente obmutescentis, ne os quidem aperiret*, inquit Propheta. In processionibus hoc ritu vtimur, quando Dominica Palmarum, cum viridantibus ramis processionem sequimur. Deinde, quando faculas ardentes ante Venerabile Sacramentum deferimus, in quibus cerę pinguendo, Christi significat misericordiam, ignis vero, qui, omnia deuorans, principatum obtinet, eiusdem victoriam. *Deus* namque *noster*, vti rectè, post Moysen Paulus ait, *ignis cōsumens est*. *Tertio*, mysticè, quando in virtutum studio perseuerantes, nullis tribulationibus cedimus, sed animi lenitate affabiles nos omnibus exhibemus, nihil eorum quæ proximus agit in sinistram partem interpretantes: sed potius charitatis igne illa cooperientes, ac prudenti taciturnitate dissimulantes, vel in meliorem partem accipientes. Quemadmodum olei liquor leuis est, cęteros humores in superficie cooperiens. Et Saluator noster ipsemet mitissimus fuit, *cuius misericordia super omnia opera eius*. *Quarto*, cum eidem adscribimus honorē

In benedictione Palmarū.

Lib.19. Mor.c.25.

Quid per oleam significetur *Lib.2. cap. 103. Eras. in Chiliad.*

Deu.4.24. Heb.12.29

Psal.14.4.

bono-

bonorum operum, quæ agimus: per triumphalem namque passionem omnia nobis acquisiuit, & participes nos efficit, promouens actiones nostras.

Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. Assignatur hic *quintum* honoris genus, quod in Christũ turba contulit, socians se illi, ac triumphantis in morem deducens. D. Bernardus in hac processione quatuor fuisse ordines considerat: *inprimis* præibant aliqui. *Deinde*, nõnulli subsequebantur. *Tertio*: aderant discipuli, latus Dominicum tanquam domestici satellites stipantes. *Postremo* iumentum cui Dominus insedebat. Possumus & nos *quintum* ordinem adijcere: nempè, eorum qui obuiam Christo processere, quod singularis erat honoris indicium. Itaque per hos ordines diuersa hominum genera, cum Christo in cœlum ascendentia designantur. Cuius iter etsi ipsa Ascensionis die semel est institutũ, durabit, ad generalem extremi iudicij diem. Dicens namque: *nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, de cælo, filius hominis qui est in cœlo.* Insinuat neminẽ eò peruenire, inquit Augustinus, quam qui secũ graditur. Quemadmodum nos vsitato loquendi more dicentes, nemini nocturnis horis patere ingressum in vrbem nisi Regi, intelligimus non solum Regis personam, verum etiam domesticos omnes quos sibi adiunctos habet. Itaq; Christo in cœlos abeunte non cessauit istud iter, sed potius semper aliqui per illud incesserunt, nunc rariores, nunc frequentiores; prout quisque vitæ sanctimonia excelluit. Quapropter per illos qui præibant, significantur, *inprimis*, veteris Testamenti Patres, qui antè Christũ, in eiusdem fide obdormierunt, inquit Hieronymus, Beda, & alij. *Deindè*, Prælati, ait Bernardus, quorũ officio incumbit, subditis tam vitæ exemplo, quam salutari admonitione salutis viam demonstrare, ac reipsa ostendere, quàm sincerè eos doceant. *Tertio*: qui pro viribus lucrandarum Christo animarũ studio incumbentes, eidem in peccatorũ cordibus viã præstruunt: quemadmodum Ioannem Baptistam, & alios 72. discipulos Christi fecisse legimus: *quos binos ante faciem suam misit in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus.* *Quarto*: qui flagranti igne diuini amoris succensi, nullatenus eousque expectant,

XII. *Quintum. Serm. 2. de feste Palmarum.*

Ioan. 3. 13.

Tract. 12. in Ioannẽ.

Præeuntes qui? 1. 2. *In cap. 21. Matth. Serm 2. in die Palmarum.* 3. *Luc. 1. 17. Luc. 10. 1.* 4.

Alacres ad bonũ. 1.

ctant, donec aliquid ipsis demandetur, verum sponte ad opus prouolantes, plus quam iniungitur præstant. Tales sunt *imprimis* homines verè obedientes, ac Superiorum nutui deseruientes, quorum desideria, non minus quam præcepta, pro virili implent. Sciunt namque eorum desiderium, Christi esse desiderium, cuius sunt Vicarij. vnde summo iure ad Christi perficiendam voluntatem se obligatos censent, qui eorum *desiderium* vicissim *exaudit*, inquit Psalmista, etiam *antequam clament* ad eum, ait Isaias. *Secundo*: qui plus agunt, quã à Deo ipsis est iniunctum, nempe res arduas, ac perfectioni proximas, quas Chrysostomo teste, sub præcepto Deus iniungere non solet. Ex horum numero sunt, qui votum castitatis inuiolabiliter seruant, qui facultatibus sese vltro abdicantes, pauperibus eas distribuunt, qui arctiorem monasticę vitæ statum aggressi continuæ carnis mortificationi insistunt, &c. Hi ob altiorem virtutis semitam, præstantiorem in cœlis locum promerentur.

Psal. 9. 17. *Isa.* 65. 24. 2. *Lib. de virginit.*

Sequentes qui? 1. 2. 3. 4. 5.

Secundo, per eos qui sequuntur; *imprimis*, significantur, omnes quotquot in nouo Testamento fuêre Sancti. *Deinde* Ethnici omnes, inquit Beda, quos inter, & Iudæos Christus Ecclesiam vtpote, *pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluit. Tertio*, fideles subditi, qui diuinis obsequuntur præceptis. *Quarto*, eximiæ sanctitatis Christiani, qui Christum iugiter præ oculis habentes, ipsius vestigijs, tã loquendo, quam agendo, insistere cupiunt. *Quinto*, qui in proximis perficere satagentes, quod Deus in ijs est auspicatus, concepram diuini amoris flammam vehementius in eorum pectoribus cupiunt accendere. vt sunt probi ac fideles consolatores, & consiliarij, qui vtilitati proximorum quam optimè consultum volentes, eos ad meliora quotidie studeant prouehere.

Eph. 2. 14.

Ioan. 3. 6.

Quemadmodum Dominus egit cum Nicodemo, in cuius animo aliquam deuotionis scintillulam conspexerat. *Sexto*, qui diuinis obsequentes inspirationibus, suæ fideliter insistunt vocationi, cooperantes gratiæ sibi à Deo concessæ, ad propriam salutem, vt cum Apostolo queant dicere, *gratiam Dei in se vacuam non fuisse.*

1. *Cor.* 15. 10.

Tertio,

Tertio: stipant CHRISTI latus Apostoli, eorumque successores, vti superius à nobis dictum: qui Apostolicam ducentes vitam, cum Paulo dicunt, *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Tales sunt qui tranquilla animi conscientia in suo ad quem à Deo vocati sunt statu, pacatissimè, securissimeque degunt. Comites qui? *Phil.3.26.*

Quorum nonnulli in virginitate viuunt, alij in viduitate: quidam in statu perfectionis, aut coniugij: licet horum ob frequentiores *carnis*, vti PAVLVS loquitur, *tribulationes*, rarior sit numerus. Hiuscemodi enim plus rerum futurarum desiderio, quam præsentium tenentur: adeo vt Apostolicis loquentes vocibus, studiosè obseruent, quidnam CHRISTVS suis sit locutus, quidue ipsi responderint. Quemadmodum hisce accidit itinerantibus, qui ad latus Apostolorum incedentes, cum ijs de CHRISTO sermones miscebant. Itaque plurimos passim, tam in vita monastica, quam etiam seculari reperies, qui cœlestem in terris vitam assiduò meditantur. *1.Cor.7.* *78.*

Quarto: sub CHRISTO cum asino incedunt hi, vti Bernardus ait, qui bono quidem tenentur desiderio famulandi CHRISTO, verum oneris magnitudine premi se queruntur. Quemadmodum asinus hic Domini portans corpus, nihil inde emolumenti, vel delectationis hausit. Isti sunt qui in diuino seruitio varijs scrupulorum vexantur angustijs, vel etiam ariditate mentis, aut alijs molestijs. Ex quorum numero Martha cum primis fuit, quæ *turbata erga plurima*, de sororis suæ quiete stomachabatur: & qui aliorum considerantes feruorem, taciti secum obmurmurant. Ecce isti, & isti tam sunt deuoti, tam attentè precantur, tam frequenter confitentur, ego interim nihil operor boni, qui sæpè communicans æquè tepidus, ariduſque permaneo, adeo vt indies mihi retrogredi videar. Verum norent hi, CHRISTVM non ingressum hospitium Mariæ, sed Marthæ, & quod non nisi hunc asinum, corporis sui mole pressérit. Gratias ei age, quando Subditi qui. vbi supra. *Luc.10.*

quando vel mentis ariditate, vel aduersarum rerum tempestate, alijsque molestijs te visitat, tunc namque solito tibi est proximior. Est quidem sarcina hæc grauis, verum merces copiosa. Anima per aduersitates eruditur, vt alios deinde fructuosius instruat (*Qui enim tentatus non est, qualia scit?* inquit Sapiens,) & per easdem nitidior efficitur, vt diuinæ gratiæ largitatem purius accipiat. Itaque dum deuotionis sterilitate laboras, noli vel conqueri, vel persuadere tibi quod aliquantò maior sis simplici asino, sed potius regi te sinas, sisquè obediens, vt proprio arbitratu non agas; cum, multis vitiorũ obfuscatus nubeculis, lucis splendorem non videas. Christus qui asinum hunc Hierosolymam perduxit, etiam te ad regna cœlorum facile prouehet. *Quinto*: per illos qui Saluatori nostro prodiêre obuiam, designantur boni *imprimis* Angeli, qui cum insigni triumpho, atque ingenti animorum lætitia, Christum, postquam deuicto mortis aculeo rediuiuus cœlũ conscenderet, ibidem exceperunt; vehementi cum admiratione ei occurrentes, acclamantesque: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quis est iste Rex gloriæ?* Volebat nãq; * Pater cœlestis, vt omnes Beatorum cateruæ Spirituum, Regem suum insigni cum pompa, Solio suo sisterent, eumq; venerabunde adorarent.

Secundo: pauperes qui varijs conflictati ægritudinibus, Christi auxilio cum primis opus habebant: nempe *a* Leprosi, qui curationis ergo obuiam ei prodibant: & *b* adolescens, qui ad sepulturam porta vrbis Naim efferebatur.

Tertio: peccatores qui suorum delictorum veniam peti, Christum vltro adibant: quemadmodum Zachæus *c*, alijque passim publicani *d*, ac peccatrices mulieres *e* similiter omnes illi quos ad se ipsemet sponte sua inuitabat, dicens *f*. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Qui ergo tali cum fiducia veniæ accedunt, gratissimi ei sunt, quia eum honore afficientes, colunt pro Rege suo, Redemptore, ac Saluatore. Cum à Christo dissitum te inuenis, ad eum te confer, eique obuiam cum filio prodigo procede, qui cum omni charitatis significatione à Patre est recept⁹. Quod & tibi indubitanter eueniet, cuius salutẽ Christus vehementius sitit, quam tu ipsemet.

Nota

Eccl. 34. 11

Obuij Christo. 1.

Isai. 63. 1. *Psal.* 23. 8.

* *Athan. oratio* 2. *in Arianos. Aildeph. c.* 10. *de virg. B. Mariæ.*

a *Lu.* 17. 12
b *Ibidem.*
c *Luc.* 19. 3
d *Matt.* 9. 10
e *Luc.* 9. 39
f *Matt.* 11. 28.

Luc. 15. 22.

Nota hic *Primo*, ex omni hac multitudine neminem Christo viciniorem fuisse, eumq; propius sensisse, quam iumentū cui insedit, neque quosquam eius cōspectu melius fuisse fruitos, quam qui ei processere obuiam: qui præibāt nequaquam eum conspiciebant: qui vero sequebantur, à tergo solummodo videbant: qui autem latus ei hinc inde claudebāt, subinde eius frui poterant aspectu, quando faciem eo dirigebant: quod tamen continuare diu non poterant: asinus nō nisi terrā prospectabat. Per quod *imprimis* significatur; Christum passionis tempore, vti superius dictum est præsto nobis esse, quanquam rerum aduersarum pondere intellectus deorsum prematur, quemadmodum hic asinus terram iugiter aspiciebat. *Secundo*: quod homines ad meliorem frugem sese recipientes sicque Christo obuiam procedentes amicabiliter eius vultum intueantur, cum nullos tam benigne, tamq; suauiter, quam qui sincere de peccatis dolent, eaq; corrigere parati sunt, excipiat. Liquet hoc quando à Publicanis, ac famosis peccatoribus inuitatus, eos non exhorruit: quando insignem illam peccatricem aduersus Pharisæi oblocutiones tutatus est: quando erraticam ouem pius pastor in humeros sustulit, &c. Vt hac ratione omnes, quotquot vbique existūt peccatores; scelerum suorum veniam impetraturi accedant. *Tertio*, qui ad perfectionis semitam anhelantes præcedunt, ij Hierosolymam præ oculis habent, defigentes cogitationes suas ad ea quæ sursum sunt, vt illic diuinæ beatitudinis aspectu perfruantur. De Christi incarnatione quoties libet, cogitationes instituere licet, quemadmodum qui præibant, poterant subindè reflexâ ceruice; Christi faciem intueri: verum cōmuniter cum Paulo altius volantes, dicunt, *etsi cognouimus secundum carnem Christū, sed nunc iā nō nouimus*. Atque hic magnarum est vigor mentium. *Quarto*, qui subsequebātur, hoc est, vulgares Christiani, qui Christi obseruant mandata, vident eum à tergo: considerantes nimirum, vti B. Gregorius exponit, humanā ipsius naturā. Hauriunt inde insignem cōsolationem, quando deuotæ mentis studio ea pertractant, quę Christus cōuersationis suæ tempore peregit, nempe puericiam, prædicationem, miracula, passionem, &c. Quin &

Asinus terram vidēs quid.

Obuij quid?

Mat.9.10.

Luc. 7.41.

Luc.15.5.

Præeūtes, quid.

2.Cor.5.16.

Sequentes qui.

Li.35.mor. c.6.

animis commouentur quando ancipitem rerum futurarum euentum sibi præ oculis statuunt, mortem scilicet, quâ nihil incertius, iudicium, quo nihil terribilius, infernum, quo nihil durabilius, &c. quæ etiam ipsa, eodem attestante Gregorio, Christi queunt vocari posteriora. *Quinto:* qui latus vtrunque claudunt; hoc est viri Apostolici, ante se Hierosolymitanam conspiciunt vrbem: quippe quorum cogitatio omnis ad cœlum dirigitur, quique etiam ipsi frequenter de rebus à Christo peractis meditationem instituentes, in earum meditatione studiosius se exercent: tum, vt seipsos ad omnem virtutis progressum instituant, tum, vt proximos qua verbo, qua exemplo, ad meliora quæque prouocent.

Li. 7. Regist. indict. 2. epist. 53.

Comites qui.

Nota Secundo. Ecclesiam Catholicam quinque hos ordines in suis vsurpare processionibus. Vbi *imprimis*, Clerus tanquâ primaria Christianæ Reipublicæ pars, quæ reliquis ad cœlum viam præstruit, primum capessit iter. Hunc *Deinde* seculares sequuntur, qui ad Ecclesiasticorum normam gressus suos debent componere; Christo medium sibi, inter hos, & illos, locum vendicante, vt vtrosque amoris sui glutino cõsociet, vtrorumque Creator, Saluator, Defensor. *Tertio:* ipse Sacerdos asini gerens vices, baiulandi onus suscipit, idque ideo *imprimis*, vt asino nequaquam se præferat, sed potius omnibus se modis indignum cogitet, qui talem, ac tantum Dominum suis portet manibus. *Secundo:* quia nullo æquè, bonas asini cõditiones cõuersatione exprimere deberet, quam Sacerdotes, quorũ officio incumbit Christi cõtrectare Sacramenta, eaq; populo distribuere. Vndè prę alijs eminere debent humilitate, simplicitate, patientia, ad quæuis onera: vt nil dicant, faciantque, nisi quod à Deo diriguntur, instigantur, contenti paucis, & ad crucem Christi resignati: sicuti videmus asinos à tergo oblõga insignitos crũce. *Tertio*: vt in ipsa Sacramentorum administratione, non personę qualitatem, sed potius Christum Dominum, ipsiusque quę illic nobis conferuntur munera consideremus. *Quarto*: Sacri altaris ministri, circa ipsum Venerabile Sacramẽtum præsentes sese exhibent, solliciti ne quid desit, eorum quę ad tãti Regis honorem dignitatemque facere vllatenus queant. *Quinto*: Catho-

Ordines hi in Processionibus nostris.

2.

1.

3.

Quis asini vices? & cur.

2.

1.

3.

4.

Princip.

5.

princip.

tholica plebs Christo procedit obuiam, quando Ecclesiam adit, ardentib. instructa facibus, ac herbis, floribusq; ornata.

O sanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, O sanna in excelsis. Sextū hoc est, quod Christo Saluatori turba hęc præstitit: acclamans ei Regi recens inaugurato, elatioti voce, & singulari deuotione, instigāte eos diuino Spiritu, tū quoque eius auxilium, vtpote Messię ac Redemptoris sui implorans: nec solum senum, sed & iuuenū voces & linguę in laudem soluebantur, acclamantes, vt habet Marcus; *Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid.* Lucas vero ait. *& cū appropinquaret iam ad descensum mōtis Olueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deū voce magna, super omnes quas viderant virtutes, dicētes. Benedictus qui venit* Rex *in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Ioānes eos qui ramos palmarum obuiā Christo tulerūt clamitasse dicit; *O sanna, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Nota* hic *imprimis* populū hūc Christo laudes cōcinuisse iā iā ex monte oliuarum descēdeti ac Hierosolyma maiori lętitia exultandū, quo Christus redditur nobis propinquior. Confirmat id B. Paulus, *gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Dominus enim prope est.* Itaque pij & Sancti, qui mundum hunc exilij loco ducunt, exhilarātur, dum mortis mentionem audiunt, anhelant. n. ad Christi Saluatoris aduentum, quia hic varijs pressi ærumnis, omnē salutis spem in eum defixerunt. Vita hæc, mōs est Oliuarum, id est, misericordiæ locus: ex quo tunc progredimur, quādo hinc egredimur: tunc ad iustitiæ locum tēdimus, vt mercedis nostræ præmium cōsequamur. Beatus ergo qui in mōtis huius descensu, id est, in vitæ termino, exhilaratur, vt in æuum gaudeat. Quin & is felicissimus, qui postquam vitæ huius peregit cursum, statim prima nocte commodum consequitur locum: is etenim nunquam malè hospitabitur.

XIII. 6. honoris genus.

Mar. 11. 10

Luc. 19. 37

Ioan. 12. 13

Quando gaudendū

Phil. 4. 4.

Nota Secundo: primā hui⁹ prędicationis laudē Hierosolyma, vti Ioānes testatur, prodijsse: nēpe ab his qui inde obuiā Christo eūtes vociferabātur, *Osāna, &c.* Luc. *Apostolos* idē factitasse ait. Quin & Matt. *pueros* idē feciſſe, testis est: adeo vt huiusce modi eximia p̄conia Princip. Sacerdotum, & Pharisęi audiēs, cū stomacho Christo obiectarēt, cur ista animaduertēs

Vnde laus Domini cœpta.

Ioa. 12. *sup.*
Lu. 19. *sup.*

nõ increparet discipulos, ijsq; simul cũ turba silentium imponeret. Ex quo *Primo* discimus quomodo Christi laudes per vniuersum orbem longe lateque dispersi sint. Qui primo Christi nomen publicè professi sunt, peccatores erãt, vt Maria Magdalena, quæ ingenti cum fiducia domũ Pharisęi ingressa, Saluatoris pedes largo lachrymarũ imbre abluit, capillisq; tersit. Itẽ latro pęnitẽs, qui cæteris in fugã abactis discipulis, constanti voce suũ esse Dominũ proclamauit. Inde paulatim Apostoli, postquã gratiâ Spiritus S. essent corroborati, populo Christi virtutẽ prædicarunt: è quorum numero pueri, hoc est pauperes, rudes ac indocti primo Christi fidem amplexati sunt. Quibus deinde alij successerunt, vt sic pedetentim, per omnia mundi climata Christi nomẽ sparsũ, propagatumq; sit. Disces *secundo*: huius præconij initiũ Hierosolymis, hoc est, è cælis prodijsse per Spiritus S. instinctum qui populum hunc ad laudes Christi excitabat. *Tertio*, vt liberos tuos à primæua ętate doceas, Deũ ante omnia laudare, ac orare. Talium laudes Christo sunt acceptissimæ: quẽadmodũ Scribis ac Pharisæis ęgrè hasce puerorum acclamationes ferentibus respondit, *Deum ex ore infantium & lactantium perfecisse sibi laudem*. quidquid puerorum animis primo instillatur, & firmius inhæret, & solidius perficitur. Si filios doces iurare, litigare, scurrilia proferre, fiet, vt multis te hac in re superiores euadant: sin autẽ eos ad preces instituis, atq; ad frequentẽ confessionẽ, &c. tũc in his proficientes alijs bono exẽplo prælucebũt. *Quarto*, discis hic insignem Christi bonitatẽ, qui admittit pręconiũ illorum, quos certo sciebat intra sextiduũ cõcitatis animis, ad mortẽ eum flagitaturos, parique studio vociferaturos, *Crucifige, Crucifige*. Nos proditorũ nostrorum laudes nõ suscipimus, maxime si cognitum haberemus, eos paulò post insidias nobis machinaturos. Christus tã se erga eos exhibebat beneuolum, quasi rerum futurarum penit⁹ fuset ignar⁹: docẽs per hoc, se talẽ de nobis sentẽtiã in die iudicij ꝓlaturũ, quales nos isto tẽpore reperiet, nõ verò quales aliquãdo vel fuerim⁹, vel futuri fuissem⁹. Iudã sibi in Apostolũ delegerat, Nicolaũ Antiochenum in Diaconum. Saulum in Rege, multisq; alijs pręclara aliquot charismata cõtulit, qui iam

Luc. 19. 39.

Psal. 8. 3.

Matt. 10. 4
Act. 6. 5.
1. Reg. 10. 1

iam perpetuo gehennę cruciatus sustinent: vt discas sedulam tui agere curam, neque nimium diuinę, quam semel expertus es, fidere familiaritati: sed potius assiduo virtutum studio insistere, certus Deum sese ita mutaturum, sicut tu mutaueris. *Nota tertio*: populi acclamationes, quę partim ex Psal. 117. depromtę sunt, partim ex diuini Spiritus instinctu, ab hisce hominibus superadditæ. Vnde B. Hieron. dicit, psalmū hunc in Iudęorum synagogis celeberrimè recitari solitū, quod manifestè de Christo prophetet: qua de causa & populo notum erat, hos versus inde esse adsumtos, & Christus alium quendā articulum inde sibi aptauit dicens: *Lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factū est istud & est mirabile in oculis nostris.* Versiculus autē quem turba vsurpabat in Hebræo sic legitur: *Anna Adonai, osianna, anna Adonai hac lianna: Baruch Sabba basem adonai.* Dictio *Anna* desiderandi est interiectio, significans idem quod Ah, siue O vtinam *Osianna* vero, vel vt cōmuniter exprimunt, *Osanna* denotat, *saluum fac*, originem trahens à verbo *Iasaæ*, id est, *salus*, vnde & *Iesoniæ* pro quo nos dicimus Iesus, siue Saluator. Itaq; sensus versiculi est, ô Domine saluum fac, ô Domine bene prosperare. *Nota quarto* populum hunc, maxime pueros, nō intellexisse voces à se prolatas, tum quod Hebraicè hæc verba decantauerint, vti à Dauide sunt scripta (hoc autē tunc ipsorum idioma nō erat, sed potius Syriacum, quod ab Hebraico tātum distat, quātum à Latino Gallicum) tum quod sublimiora de Christo prædicarent, quā ipsi possent cōplecti. Vt hinc discamus, non semper necessarium, vt singula quæque orationis verba intelligamus, neque minus fructuosum fore, si orationem Dominicā latine recitemus, aut eodem idiomate Psalmos decantemus, vt Moniales, alijque faciunt, maximè quando horas canonicas legunt: tātum abest vt Ecclesia calumnijs ideo debeat impeti, quod secundū laudabilē priscæ ætatis consuetudinem: in diuino officio Latinam linguam vsurpet. Scimus à multis retro aūis publicas Ecclesię preces, atq; adeo ipsum diuinum officium in Romana Ecclesia, hoc solum idiomate peractas, vt omnia Ecclesiasticorum Annalium monumenta, ab ipso fidei nostræ exordio literis consi-

Epist. 145. ad Damas.

Ps. 117. 22.

An lingua vernacula semper orandum?

gnata testantur. Apud Græcos, græcè: vel etiam quibusdam locis hebraicè diuinum officium peragitur: nusquam verò idiomate materno, sed eo quod apud doctos in vsu est. Quēadmodum in Occidentali Ecclesia lingua Latina, in Orientali Græca viris doctis vsitatior est, quibus tamē maternum idioma in populari conuersatione familiare est: sicuti nobis nostrum. Ratio autē cur materno idiomate Ecclesia diuinū officium celebrari nolit, *prima est*: quod Sacerdotes peregre aduenientes, nō possent nobiscum aut precari, aut Sacris operari. *Deinde* vt in cōmunibus Ecclesiæ precibus esset vniformitas. *Tertio*, quod id necessarium nō sit, cum populo nō incumbat, singula quęq; diuinorum mysteriorum arcana ad amussim intelligere, quibus satis est, vt per publicas Ecclesiæ voces, atq; externos cęremoniarum ritus ad deuotionē incitentur. *Quarto*, etsi omnia materno cantarentur idiomate, nō tamen quilibet ea intelligeret, quod Scriptura intellectu difficilis sit, adeo vt perpauci reperiantur, qui genuinā psalmorum (hi autem præcipuam ferè partem in diuino officio sibi vendicant) interpretationē queant assequi. *Quinto*, adeuitandum abusum, qui facillime posset irrepere, si arcana diuinorum mysteriorū verba publicitus cuilibet innotescant.

Cur Ecclesia ea non vtatur?
1.
2.
3.
4.
5.

In Prato Spiri. c. 196 Refert Sophronius Hierosolymorū Patriarcha, de quibusdam pueris Apamensibus parentum suorum pecora pascentibus, qui inter se colludētes mutuo sibi aiebant vt eo more, quo sæpius in Ecclesijs Christianorū Sacerdotes sacrificantes conspexerant, sic etiam ipsi eadē illa per ludum, iocumq; imitarentur. Sed ecce ignis cælitus delapsus, saxum quo loco altaris vtebantur, & omnia quæ in eo erant penitus consumpsit. & pueri in terram prostrati penè exanimes corruerunt. Cum vero statuta hora domum more solito non redirent, egressi parentes, eos sine sensu conspexere, & domum portati illa die mentis impotes manserunt, sed sequenti luce sibijpsis redditi, totā rei seriem parentibus trepidi narrauerunt. Quod ideo factum credimus, ne quis per iocum mysterijs abuteretur, sed potius qua par est reuerentia semper & vbiq; veneretur. Mea memoria, in Germania Rusticus, quidā catulos suos omnes baptizauit, adhibita forma Germanica baptismi Lutheranorum.

Cæte-

Cæterum, etiam particulares orationes priuatas, nō semper opus est nos intelligere, modo piæ sint. *Primo*, quia illi supplicamus, qui omnia intelligit, nempe Deo. Itaque sicuti Rusticus Belga, Hispanicæ ignarus linguæ, si quid ab Hispaniarum Rege velit impetrare, porrigere ei libellum supplicē Hispanico idiomate, quod tamen ipse non callet, sed certus de libri sensu, vtpote à fidelissimo amico cōscripti: externis quibusdā reuerentiæ indicijs illius argumentum explicabit Regi: ita & qui Deum orat, securus esse potest, etsi latinè id faciat, modo vsurpet vsitatas Scripturæ preces, quales sunt Oratio Dominica, Salutatio Angelica, psalmi, hymni, quos Ecclesia decantandos passim præscribit. *Secundo*, quia contra dæmonem oramus preces nostras optimè callentem. Pastor Abbas hac vtebatur similitudine, quam & Origenes ante illum suis inseruit cōmentarijs. Quemadmodum, inquit, incantator, qui verbis magicis serpentes incantat, sua verba nō intelligit, quorum tamē vires serpentes ita persentiscunt, vt plurimum roboris per hæc ipsis depereat, ita & nos, etsi singula quęque orationum verba non intelligamus, illorum tamen efficacia tartareum illum serpentē profligimus. Thomas Cantipratensis de B. Lutgarde Virgine commemorat, quod etsi nec Psalmos, nec de Scripturis quidquam intelligeret, dum tamē versiculum illum secum ruminaret, *Deus in adiutorium meum intende.* Dęmones fugiari atque à prauis suggestionibus cessare. *vnde intelligebat*, inquit Author, *virtute verborum etiam à se non intellectorum dæmones profligari, eorumq; in tē tationib. vires debilitari. Tertio*, quod preces nostræ nō ideo minoris sint pretij meritive, neque minorem à Deo obtineant gratiam, etiamsi nos eas non intelligamus. Quemadmodum si in peregrina constitutus regione, ignotam illic reperias pecuniam, non ideo quidquam de illius valore decedet: quinimo si in fidelem incidas institorem, is merces suas nihilo illibentius hac pecunia tibi diuendet, quam si probè eam nosses. Hoc tantum labora, vt summa cum attentione Deum ores, deuotio autem non tam ex verborum intellectu, quam feruenti cordis desiderio proficiscitur. Apud Cassianum, negat Antonius illam esse perfectam ora-

Cur nec in priuatis orationib. id necessarium.

2. *In vitis Patrū part. 2. lib cōt. fornic. hō. 20. in Iosue.*

Lib. 2. vitæ ipsius. to. 3. Surij 16. Iun.

3.

Collat. 9. c. 31.

oratione, quando monachus id quod orat intelligat. Aliud est de monitione: quæ debet haud dubio à nobis intelligi, inquit Paulus. *Nota quinto*, etiam nos Christum quolibet linguarum genere, in nostris processionibus cohonestare. Clerus more Leuitarum præcinit. Seculares exemplo Dauidis ante Arcam Dei psallunt campana & cymbalis vndiq; concrepatur, in signum quod Christi nomen per totum terrarum orbem, omnium linguis vocibusque, à singulis creaturis, maxime hominibus prædicetur. Summa namque dignitas omnem meretur honorem, & innumera illius in nos beneficia summo à nobis iure flagitant, vt totis animi corporisque viribus gratias ei, si possumus, dignas agamus. Vnde in Processionibus neminem tacere conuenit, nisi à profanis & inutilibus: sed *precibus, hymnis, & canticis Spiritualibus*, vt monet Apostolus, *Deo in corde psallere*. cordis enim iubilus, longe illi quam omnis Musicorum harmonia est gratior. Disce *postremo*, cum hac turba Christum reuerenter suscipere, ac decenter inaugurare. Occurre *in primis* illi, vt eius voluntatem percipias, impleasque. *Deinde*, vestes ei substerne, corpus superbum humilia, & deprime. *Tertio*, ramos arborum cedito, id est, pœnitentiæ operibus incumbito. *Quarto*, frondes floresque spargito, pauperibus opes disperge. *Quinto*, deuota laudum præconia Christo concinito, orans feruenti desiderio. *Sexto*, semper in Christum præeuntem oculos conijcito, considerans non decere famulum molliorem Hero suo vitam agere. *Septimo*, adspice Hierosolymam quo tendis, mente tractans, quanta sit regni cœlestis, ad cuius hæreditatem à Deo creatus es, pulchritudo. Ad hanc adspira, celeriterque aduola, ne quid in itinere obstaculi sese offerat, vti sunt noxiæ animi cupiditates, peruersusque mundi amor, siue in purgatorio vbi interdum & diutina mora & quies incommoda.

3. *Paral.* 15. 4. & 16. *Ibidem.* 28.

Epheſ. 5. 19.

ORA-

ORATIO.

O Dulcißime Domine Ieſu Chriſte, Rex Iſrael, ac triumphator ſuper omnes, tam viſibiles, quam inuiſibiles hoſtium cateruas, qui ad ſacratißimam ſubeundam paßionem, inſigni cum pompa, ac victoriæ triumpho Hieroſolymam perduci voluiſti: vt & tartareum illic in te hoſtem prouocares, & nobis glorioſum certaminis tui conflictum commendares; te rogamus, vt nos tecum ad cœleſtem illam Hieroſolymam adſumens, nullo nos tempore, à ſuauißimo tuo diſiungi cõſortio permittas, ſed potius vt te præeuntem alacriter ſequamur, adiuua: inſuper & amoris tui ignem in nobis accende, ne quid nobis in tuo ſeruitio parcamus: vires etiam ſuggere, vt ferendo te pares ſimus: largiendo præterea animum liberalem, quo per manus egenorum res noſtras liberaliter tibi communicemus. Quin & linguæ noſtræ fibras, cordiſq; penetralia ſolue, ac reſera, vt nunquam à tuarum laudum præconijs ceſſemus. Auxiliare nobis in certamine illo, quod nobis aduerſus iuratos noſtros hoſtes, mundum, carnem, ac dæmonem, ancipiti euentu, quotidie incambit: vt inſignem victoriæ triumphum ab illis reportantes: tandẽ cœleſtis regni brauio dignè potiamur. Rogamus te etiã pro omnibus ſanctißimæ tuæ crucis aduerſarijs: qualis imprimis ſunt perfidi hæretici, ac Pſeudocatholici, qui ſui nimium diligentes, crucis fiunt oſores: horum intellectũ illuſtra, vt pericula conſiderantes, ſerio reſipiſcant: excita corda eorum ad verã contritionẽ: immutando eorum animos, eoſq; gratiæ donis cumulando, vt cum vero dolore peccata ſua confitentes, ab ijs impoſterũ abſtineant. Emunda eorum conſcientias, atque omni virtutum ſplendore animas eorundem exorna, vt iam paſchali inſtanti ſolemnitate, digno te queant intra cordis ſui penetralia hoſpitio excipere ac cuſtodire, ſicq; recenti diuini auxilij iuuamine tecum reſurgere. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, qui cum Patre, ac Spiritu S. viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

DOMINICA PASCHÆ.

Euangelium Marc. 16.



IN illo tempore Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valdè manè vna Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto iam Sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem; erat quippe magnus valdè. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dicit illis: nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non eſt hic: ecce locus, vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

Breuis Euangelii Exegeſis.

TAmetſi quatuor Euangeliſtæ reſurrectionem Chriſti conſcripſerint, & apparitiones ipſius, ſed diuerſimodè, eò quod quas vnus circumſtantias omittit, alter adducat, nihilominus multi SS. Doctores pro hiſtoriæ Euangelicæ concordia ſummoperè laborarunt. Qui labor ideo maior eſt, quia num quid aliud contigerit, aut plus quam Euangeliſtæ com-

commemorant, ignoramus v. g. num eædem mulieres ſæpius, quam ſemel ad ſepulchrum venerint, an verò aliæ diuerſis temporibus, an nocte, an poſt Solis ortum, an omnes ſimul Angelum, & Chriſtum viderint, &c. de quibus nihil certi habemus. Quare quiſque ex eo quod Euangeliſtæ ſcribunt, conari debet, vt hiſtoriam vnam componat, quæ quatuor Euangeliſtarum veritatem Euangelicam ſeruet, eoſque concordet. Quantumuis enim interpretes in exponendo diuerſi ſint, nihilominus certum eſt, nullum Euangeliſtarum erraſſe, aut contraria vnum alteri ſcripſiſſe, eò quod inſpirante Spiritu ſancto Euangelium conſcripſerint. Ego illam concordiam ſequar, quæ ex multis videbitur optima: exordiens à morte Domini. Cum Chriſtus feria ſexta poſt horam nonam diei, id eſt, inter tertiam, & quartam pomeridianam, ſpiritum emiſiſſet, continuò animam eius deſcendit ad inferos, non vt pateretur, ſed poſſeſſionem mundi acciperet, quam ſanguine ſuo, & morte ſibi comparauerat: Nam videbat vbique defectus inualuiſſe, & reformationem neceſſariam, tam in cœlo, vbi ruinæ Angelorum compleri debebant, quam in terris, vbi imperabat diabolus, & in inferno, vbi SS. Patres captiui, non tamen manſuri tenebantur. In hiſtoria Afræ martyris, diebat ad Narciſſum Epiſcopum diabolus, Luciferum in morte Chriſti, eius diuinam potentiam aduertiſſe, & ſe in templo abſcondere voluiſſe, cum verò Deo nihil abſconditum ſit, à Chriſto captum, & candentibus catenis vinctum eſſe, atque in inferno concluſum. Quod etiam Scriptura atteſtatur, dicens; *Angelum*, id

Surius. 5. Auguſt. c. 5

Apoc. 20. 3

id est Christum, *Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus ingẽti catena ligasse in abysso per annos mille*, id est, vsque ad Antichristi tempora. Veniens verò in abyssum Christus, vincto Lucifero, omnia quę ibidem loca erant, ingressus est, vt apud Sapientem ipse testatur: *Ego penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes.* Intrauit *cor terræ*, vti prædixerat, id est, locum damnatorũ, inquit Nyssenus. Ibi vidit tormenta damnatorum, vti Augustinus, & Fulgentius scribunt: verum nullum ibidem liberauit, aut consolatus est: inde in purgatorium penetrauit, ex quo omnes liberauit, qui in statu gratiæ defuncti, pro peccatis plenius satisfaciebant. Quod etiá Zacharias ait: *tu quoq; in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Hic lacus limbus Patrum non fuit, nam ibi aquam habebant, quemadmodũ Epulo fatetur ab Abrahamo per Lazarum guttam aquæ postulans. Fuit ergo Purgatorium, de quo S. Petrus ait, *quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni:* Non quos Christus, aut Patres patiebantur, qui in Abrahę sinu absque doloribus in consolatione erant, & gaudio, vt ad Epulonem Abraham loquitur, cui nõ dissentit Sapiens, cũ ait, Dei sapientiam, id est Christum, omnes illos liberaturam, qui in inferno in illum sperarent. Idem testatur S. Gregorius, Christum omnia ad se traxisse: quia nullum electorum suorũ in inferno reliquerit. Itẽ Epiphanius: *ideo venit, vt his quidem, qui olim eum cognouerunt, & ab ipsius Deitate non aberrauerunt, verum propter errores in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur: his quidem qui adhuc in mundo sunt, per pœnitentiam; qui verò in*

Eccl. 24. 45
Matth. 12.
Oratio 1. de Resur. & epi. 99. lib. 3. ad Thrasim. c. 30.
Zach. 9. 11.
Luc. 16. 24.
Act. 2. 24.
Eccl. 24. 45
Hom. 22. in Euang.
Hæresi. 46. Tatianorũ

inferno

inferno per misericordiam & salutem. Fecit congruenter Regi, aut Principi qui regni possessionem capiens, omnes captiuos ob debita, aliasque causas non criminales è carceribus dimittit. Denique ad SS. Patres in limbo, magno desiderio eum exspectantes, & omni cum reuerentia excipientes progressus est, ad quos etiam bonus latro, cui Christus promiserat, *Hodie mecum eris in paradiso*, accessit *Luc.23.43.* Christus ex inferno paradisum fecit, id est locũ omnis iucunditatis, quia illis suam diuinitatem ostendit, in quo maximum paradisi gaudium est, eisque triduo cum suimetipsius, illorumque incredibili consolatione adfuit: Corpus interim in cruce mansit, & Iudæi ignorantes Christum exspirasse, Pilatum adierunt, & vt cum latronibus illius crura frangerentur, ad cruciatuum augmentum impetrarunt. Sed iam mortuum inuenientes, latronibus quidem fregerunt crura. Longinus verò ne Iudæi *Metaph. 15 Martij* eum læderent, lancea latus aperuit: valdè enim cõturbatus fuerat audito Domini clamore, & viso *Ado in Chronico.* terræ motu, stellarũ obscuratione, apertione monumentorum, quæ in ipsius morte contingebant. Accedebat quod ex vulnere continuò sanguis, & naturalis aqua fluerent, vt notauit Cyprianus: (quo *Lib. de duplici martyrio.* duo Ecclesiæ Sacramenta signata sunt, videlicet Baptismus per aquam, & Eucharistia per sanguinem, vt Innocentius Tertius scribit) hæc quippè naturaliter ex cadauere fluere impossibile est. Ioseph ab *Epist. ferrã de celebr. Missa.* Arimathia nobilis Iudæus, & ex Synagoga occultus Christianus, habuit ad montem Caluariæ hortum, *Gen. 23. 9.* & in eo speluncam duplicem (ad exemplum Abrahami) in cuius interioribus sepulchrum in petra excide-

Ex Metap. ser. de dormit. B. Vir. ex script. veter.

ciderat. B. Virgo Sanctissima Dei Mater filium suum passionem iam consummasse videns, solicita fuit, vt corpus terræ mandaretur. Cui de hoc sepulchro ex relatione constabat, & spes aliqua data, eo

Ioa. 19.38. quod Ioseph discipulus Christi esset, sed occultus propter metum Iudæorum: rogat ergo vt corpus Christi à Pilato peteret, & reuerenter in suo sepulchro collocaret. Ioseph qui ante metuebat, animũ resumpsit, atque ad Pilatum ingressus facultatẽ se-

Mar. 15.43 peliendi corporis obtinuit. Venit ergo cum mũda sindone illum in vsum empta. cum Nicodemo, qui centum ferè pondo myrrhæ, & aloes ferebat: quia sanguis Christi his animum aduersus pusillanimita-

Ioan. 19.39 tem addebat. Exemerunt ergo clauos è corpore, & illos vna cum spinea corona matri dederũt. depositum de cruce, more Iudæorum lauerunt, & reuerenter vnguentis delibutum sepeliuerunt inuoluẽtes corpus in sindone, & faciem sudario tegentes: sancta Mater in omnibus adiumento fuit: vti & sãctus Ioannes, qui præsto erat. Sepulto iam corpore, ad ostium interioris speluncæ, magnum lapidem aduoluerunt, ne facilè quisquam ingredi posset.

Mar. 15.47 Mulieres eum secutæ, videlicet, Maria Magdalene, Maria Iacobi, Salomone, Ioanna, & aliæ complures stabant à longè videntes vbi eum sepelirent. Et se-

Luc. 23.56. rò antè occasum Solis, aromata, & vnguenta præpararunt, ad vnguendum die Dominico corpus: nã post occasum Solis inchoabatur Sabbathũ, in quo

Ib. 36. & 37 nihil licebat, nisi feriari, & Deũ precari. Metaphrastes scribit sanctissimam Dei Matrẽ à sepulchro nõ recessisse, sed triduo in spelunca mansisse, sperãtẽ, quod eum resurgentẽ visura foret. Iudęi altero die

post

post sepulturam, id est Sabbatho, adierunt Pilatum, milites aliquot pro custodia sepulchri petentes, ne quisquã inde corpus auferret. Ille Longinum cum pleriſque militum eò misit, qui sanctissimæ Matri molestus futurus non erat, eo quod Christo addictus esset. Die Dominico manè anima Christi ex inferis ascendit, & se cũ sanctissimo corpore vniuit atq; ex sepulchro prodijt, absq; vlla fractura, aut apertura sepulchri. Quando autem hoc factũ sit, *neminem viuentium nouisse:* scribit S. Hieronymus. Plerique existimant, media nocte illum resurrexisse, vti Sampson media nocte Gazę portas aperuit, & abstulit; Christũ vtiq; figurans, qui portas inferni reserauit, & electos eduxit: & vt Christus media nocte natus est, sic quoque media nocte resurrexisse creditur, cũ ipsius resurrectio noua natiuitas sit, & idcirco ieiunium media nocte terminetur, vt hæc resurrectionis hora cognoscatur, testante Dionysio Alexandrino. Aliqui, mane Christũ surrexisse, circa diluculum, ante Solis ortum, piè docent: vti ante Solis occasum exspirauit: nam apparet Ecclesiam idcirco laudes tunc canere, quæ nihil aliud sunt quam laus diuina, & gratiarum actio, Resurrectionis ergo instituta. Quæ opinio, vt ait Euthymius, communis est SS. Patrum, eo quod Angelus lapidem tunc à sepulchro reuoluerit, non vt Christum emitteret; sed vt Christi corpus non amplius ibi esse demonstraret. Postquam resurrexisset Christus valdè probabile est, eum primo sanctissimæ suæ Matri apparuisse; siue ad sepulchrum, vt Metaphrastes ex Græcis Auctoribus refert; siue domi eius acciderit. Sanctus Ambrosius sic ait.

Metaph. in vita Lõgini 15. Martij.

Epi. 150. ad Hedib. q. 6 Iudic. 16. 3

Epist. ad Basilidem.

Matt. 28.

Consi-

Li 3. de Vir *Considerate quia virgines præ Apostolis resurrectionem Domini videre meruerũt. Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quãuis adhuc ista nutaret.* Mulieres quæ Sabbatho quieuerant propter præceptum, ante Solis ortum cum adhuc tenebræ essent domib⁹ egressæ, & cum sibi non cohabitarẽt, exspectarunt inuicem, vt simul sepulchrũ inuiserent, & corpus Christi vngerent. Maria Magdalena inter illas princeps erat, primo à Matthæo, & Marco, & à S. Ioanne sola nominata, ac si reliquæ illi subfuissent, & tanquam pedissequæ Dominam secutæ. Illis in itinere adhuc existentibus, magnus terræ motus coortus est, tum ad excitandos custodes dormientes, tum ad ostendendum Christi corpus, à nullo homine sublatum fuisse; sed supernaturaliter resurrexisse; vt ait Chrysostomus, tum ad illos commouendos de Angeli aduentu. Tum terra moueri & tremere solet, cum Deus, aut Angelorum aliquis apparet, vt sæpe apud Dauidem legimus. Diuus Hieronymus, vult hunc terræmotum ordinarium non fuisse, sed extraordinarium, & adeò terribilem, vt omnes contingeret, & quasi vniuersam terram inuersurus videretur. Cum hoc terræ motu Angelum, tanquam fulgur terribile viderunt, qui lapidem ab ostio interioris spelũcæ reuoluit; præ cuius timore exterriti sunt custodes, & facti velut mortui; vti Matthæus refert. Aduertebant enim & Dei potentiam, & absentiam corporis Christi. Ait Hieronymus, eos ad vrbem statim prouolasse, timentes se culpandos, quod creditum sibi cadauer amisissent: ideo Principibus Sacerdotum rei omnis seriem narrant, qui pecunia cor-

Hom. 90. in Matt.

Psa. 67. 97 & 98.

Ep. 150. q. 6

Mat. 28. 4

corruptis ſuadent, vt tacito miraculo diſcipulos dicant cadauer furatos: q̃ & fecere oẽs, præter Longinũ, alioſq; duos; qui in Cappadociã propterea profugi, datis poſtea ceruicib. martyres obierunt. Poſt militũ fugam mulieres accedunt; dumq; de lapidis reuolutione conferũt inter ſeſe, appropinquant ſepulcro, ſole iam Orientem tangente. illuxit. n. dies ſepulcro vicinis, exeuntibus autẽ tenebræ fuerant. Ingreſſæ lapidẽ vident reuolutũ, & Magdalena ilico ad ſepulchrũ accurrẽs, dum cadauer nõ videt, ad Apoſtol abit in vrbẽ, eiſq; nuntiat; *Tulerunt Dominum meũ.* Quo audito Petrus, & Ioannes, alijs plus amãtes, ad monumentum excurrunt. mulieres autẽ reliquæ Angelũ interea in priore ſpelunca vident in albis, qui cũ eas metuentes vidit: *Nolite*, ait, *expaueſcere. Ieſum quæritis, &c.* His dictis, ingreſſæ illæ nihil inueniunt; ſed duo viri aſtant in albis, & exterritis dicunt: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? nõ eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cũ adhuc eſſet in Galilæa, dicens: quia oportet filiũ hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & tertia die reſurgere.* & recordatæ promiſſionis Chriſti ſtatim ad vrbẽ recurrũt; gaudio, & terrore plenæ: neq; cuiquã in via aliquid indicarunt. interea Petrũ Ioann. præcurrit iunior, ſubſtitit tamẽ ante ſpeluncã, donec veniente, & ingrediente Petro, ipſe ſimul ingreſſus eſt: vbi ſindonẽ videt, cui inuolutũ fuerat Domini corpus, & ſudarium ſeparatim, ac dein domũ regrediuntur. Secuta eſt hos rurſum Magdalena, quæ ſtetit foris plorans, dũq; inclinata ſepulcrũ inſpicit, 2. Angelos videt, vnum ad caput, alterũ ad pedes ſepulcri. qui & dixerunt: *Mulier quid ploras?* Illa vero *tulerũt*, ait, *Dominum meũ, & neſcio vbi poſuerunt eũ.* dein le-

Metath. in vita Long.

Ioan. 20. 2.

Mar. 16. 6.

sum videt putans eũ hortulanum esse, cui similiter roganti: *Mulier, quid ploras, quid quæris?* non respondit quẽ quæreret, sed quia putabat eum tanquam horti illius curatorem, non ignorare quę illic essent
Ioan 20.15 facta, *Domine:* ait. *si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posueris eum, & ego eum tollam. Dominum* vocat, vt titulo moueat; quod autem addit, *ego eum tollam*: amoris
Hier. epist. 150. q. 5. maximi est: neq; enim, ait Hieronymus, cogitat, q̃ tollere eum sola non possit. Dominus eam proprio nomine salutat. *Maria*, illa vero cõscia solitæ vocis, & salutationis, Dominũ agnoscit, & statim prouoluta ad pedes, exclamat: *Rabboni?* quasi dicat. Tune es ipse? beata, quæ te video. Christus viso eius gaudio, & desiderio tangendi eum, timebat enim quod eũ amplius non esset visura, tangens ei sinciput (vti
Sur. 22. Iulii ex Syluestro Prierate. traditio habet, & caro quę adhuc Massiliæ spectanda in sincipite exhibetur, docet) *Mulier* ait, *noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meũ*, quasi dicat; Noli præcipitare, adhuc frequens vobis adero, vt tangere me possitis: simili phrasi, qua peregrini eis qui omnia simul interrogãt, respondere solent: adhuc frequenter occasionem habebitis multa interrogandi; nondũ à vobis abeo. Hic enim sensus inter
Ioan. 20 17 omnes est facillimus. Dein ait Magdalenæ; *Vade ad fratres meos*, &c. atq; illa statim cucurrit, aliasq; mulieres hoc celauit, quibus dum inter se conferrent, Christus apparet, dicens; *auete*: Illæ autem in genua prouolutæ, tenuerunt pedes eius: dixitq; Christus; *Ite nuntiate fratribus meis*, &c. Venerunt simul Hierosolymam, & Apostolis, quos lachrymantes inue-
Luc. 24. Ioan. 20. 19 niũt, & tristes, omnia ex ordine narrant. illi vero ea, vt mulierum deliria, nõ credunt. Hæc est matutinæ historiæ series: post meridiem, apparuit Dominus duo-

duobus in Emaus euntibus: vesperi autem Apostolis decē. Septies itaq; primo resurrectionis die Dominus apparuit. *Primo*, B. Matri suæ. etsi id, vti & multa, scripturæ taceant. *Secūdo* Magdalenæ. *Tertio*, Mulieribus alijs. *Quarto:* B. Petro (vti Lucas & Paulus habēt) forte à sepulcro redeūti: vt sic B. Ioannes eum quoq; viderit, vel soli, vt putat Leo IX. Ostenditur spelunca prope Hierosolymam, in qua Petrus negationis peccatum fleuit atque in hac Christus ei apparuisse putatur. *Quinto*, Discipulis in Emaus euntibus. *Sexto*, Apostolis. *Septimo:* Scribit Hieron ex Euangelio Hebræorū, B. Iacobum minorē vouisse, quod à cæna vltima qua Eucharistiam sumserat, nō comederet prius, quam Dominum vidisset rediuiuum. Accessit itaque eum Christus, dicens: *Sterne mensam, affer panem, & comede frater: nam Filius hominis resurrexit.* Imo & B. Paulus testatur, Christum B. Iacobo, quem alias *fratrem Domini* vocat, apparuisse: sed hoc, quantū ex textu videtur, post Pascha.

Luc. 24.
2. Cor. 15.
Tom. 4. Conc. epist. ad Mich. Imper. c. 15.
Bart. à Saligniaco tom. 9. c. 1. De Script. Ecclesiast. in Iacob.
1. Cor. 15.
Galat. 1.

Documenta Concionis septimæ pro Paschate.

I.

Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata. Marcus his verbis ista præmittit. *Cū transisset Sabbathum.* nempe, vt notetur Dominus die prima resurrexisse: & hæc Iudæorum Paschati succederet. Iudæis plenilunium, nobis Dominica plenilunio proxima Paschati sacratur: quia tunc Christus resurrexit, & dies iste mysterij, vt Augustinus notat, plenus est. Sunt enim apud nos, festorum quædam in rei præteritę memoriam, vt Natiuitas Domini, & Circumcisio, ac Epiphania. item Purificatio B. Mariæ, aliaque eius festa, & hæc semper eodem mensis, annique die redeunt; sed feriam mutant. sic natiuitas Domini semper 25. Decembr. Circumcisio 1. Ianuar. Epiphania 6. Ianuarij, Purificatio 2. Febr. celebratur, sed singulis annis diuersa feria. *quædam* vero

Epist. 119. ad Ianua, Duplicia festa.

1.

2.

Exod. 12. Martius cur obseruetur in festis mobilibus. 1. 2. *Exod.*23. Cur tertia lunæ septimanâ. 1. *Mat.*27.51. *Ioan.*19.14 2.

pręter memoriam præteriti, habent mysterium futuri: vt Pascha, & quæ Paschatis cursum sequuntur. In quibus aduertit Ecclesia. *Primo*, Mensẽ Martiũ. *Primo* enim: conditus est hoc mense mundus, vnde & *primus* vocatur; & conueniens erat, mense eodem mundũ recreari. *Secundo*: Eodem mense quasi ex hyemis morte transit mundus ad vitam veris: vnde & *mensis primitiuarum frugum* dicitur. vt & nos cum Christo reuiuiscamus. *Secundo*, obseruat Ecclesia tertiam hebdomadam Lunæ Martij. neq; enim nos Pascha ante pleniluniũ, vel in plenilunio celebramus. *Primo*: Vt significetur Christus mortuus, & resurrexisse, in tertia mundi ętate. *prima* enim sub lege naturæ fuit. *secunda*: sub Lege Moysis. *tertia*: sub Lege gratię, secundã. n. terminauit Christus, cũ dixit, *Consummatũ est*, velũq; templi q̃ Sancta Sanctorum secernebat à vulgo, scissum est. *Secundo*. Vt significetur mundus Deo reconciliatus, quando ab eo secundũ veritatẽ fuit remotissimus, etsi extima specie videretur lucidissimus. cui rei seruit, q̃ in Scriptura; Sol, Dei; Luna, mundi, hieroglyphicum sit, & B. Virgo describatur *amicta sole* gratię, *pedibus* calcans *Lunam* mundanę inconstãtiæ. & Christus de se; *Ego*, ait, *sum lux mundi*. quia, vt Sol; *illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundũ*. De Luna dixit Sapiens; *Stultus vt Luna mutatur*, mũdus autem stultorũ plenus est, qui nunquã in eodem statu permanent. Cum Luna sub Sole est in Nouilunio, aut non videtur, aut vix; quia nimis vicina Soli: qua terram respicit, opaca est; etsi parte superiore, maxime luceat. cum vero à Sole abest longissime in plenilunio, qua terrã respicit, lucidissima est; superiori vero parte, opaca. sic homo quo à Deo est remotior, digniore sui parte est obscurior, mundoq; fulget, contra mundo abiectior, Deo est dignior. Sub Christi tempora aberat à Deo mundus lõgissime, eratq; exigua Dei notitia, etiam apud Iudæos; quorum religio, teste Epiphanio, in septem sectas scindebatur: inter quas *certissimi*, vt Apostolus loquitur, erant Pharisæi: quibus sæpe ingeminatũ à Christo *Va.* q̃ lege Dei corrumperent. Exterior tamẽ species ornatũ pręse ferebat; pręsertim, vt notat Augustinus, apud Romanos; vbi sapientiæ, eloquentiæ, & gloriæ magnus splendor. tempus itaq; aderat, vt superior eius pars à

*Apoc.*12.1. *Ioan.*8.12. *Ioan.*1 9. *Eccl.*27.12 *Eccl.*1.

Lib 1. *Panarii.* *Act.*26.6. *Mat* 23.13. *Matt.*5.20 *Li.*22 *de ciu.c.*5. & 6.

Christo

Christo illustraretur. q̃ significatũ quando moriẽte Christo, Luna quæ erat sub terris, vt scribit S. Dionys. testis oculatus, reuocata est supra terrã, sub sole. Apostoli. n. paulo post, fidei lumine mundũ perlustrarunt. *Tertio*, obseruamus diem. neq; .n. celebramus Pascha nostrũ qualibet feria vt Iudęi; sed dies quosdã habemus peculiares, mysterijs certis sacros. sic feria 6. passioni, sabbathũ sepulturæ, Dominica resurrectioni dicata sunt. *Primo*: Vt ostendatur Christus idem, qui mundum prima die creauit, & reparauit. quiq; vt olim sexto die homiñ fecit, ita eodẽ die refecit: aperiens latus suũ, vt Ecclesiã instar Euæ, ex eo fabricaret. & vt initio die septima ab vniuerso opere creationis quieuit; ita in sepulcro quieuit Christus. Demum sicut post diem 7. nihil creatũ est nouũ, sed creata deinceps reguntur: ita post resurrectionem Christus nihil laborat, vel meretur ampli⁹, sed Ecclesiã regit, vsq; in finẽ. *Secũdo*, Vt meditandis Christi mysterijs certos haberemus dies. feria 6. eius mortẽ recolim⁹, sabbato locũ quietis in nobis param⁹. Dominica Eucharistiã resurrecturi suscipim⁹. *Tertio*: Vt trib⁹ his diebus, disceremus quid agere, sperare, & petere debeamus. omnis. n. Sanctorũ vita, tribus diebus perficitur. *primus* est dies pœnitentiæ, qui cũ vita hac incipit, & desinit. *secundus* quietis, qua corpus in terris, & anima quiescit in cęlis, de quo legimus: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iã dicit Spiritus, vt requiescãt*. post hanc. n. vitã beatos nullus labor manet, sed sub altari quiescũt, vbi stolã albã. i. teste Greg. animę gloriã accipiũt. & hic dies vsq; ad iudiciũ generale durat. tũc autẽ inchoabitur dies *tertius* æternæ quietis, & glorię. De tribus his intelligi potest illud Dauidis: *Cum ipso sum in tribulatione*, primi diei: *eripiam eum*, p̃ mortem transferens ad diem secundum, *& glorificabo eum*: die tertio. tunc. n. hominis gloria consummatur, etsi anima secũdo die beatitudinẽ accipiat. Multa de hoc mysterio pie meditari possumus, idq; Ecclesia cõmendat: ne Pascha celebremus præpostere, i. Dominicã præponamus feriæ sextæ, & consolationẽ labori: vt sæculares faciunt. Ordo Dei immutabilis est: omnibus expectãdus dies 1. siue hic, siue in futuro. 40. prę̃sentis vitę breuis est, & Paschate excipitur: in futuro autem tristitia, siue spe gaudij, æterna.

Epist. 7. & 11.

Dies quidam obseruati.

1.

2.

3.

Tres vitæ dies.

1.

2.

Apoc. 14. 13

Apoc. 6. 10 & 11.

Præf. in Iob c. 14.

3.

Psal. 90. 15.

Epist. ad Castruciū. Ser 42. in Cant. Iob 30.

Agendæ potius sunt Deo gratiæ, si hic nobis aduersa immittit; ne in futuro nos illis, cum epulone, immittat. Ex Hieronymo recte docet Bernardus, *tunc Deum maxime iratum, quando iratus non est*: id est, nō punit hic, nec iram manifestat. Quisquis hic non premitur, in futuro opprimetur, iramque Dei sentiet, vt maris procellam.

Luc. 7 47. Luc. 8. 3.

Mulierum hic recensitarum *Magdalena* erat ardentior, nobilior, & ditior, quæ liberata septem dæmonijs, vt habet Lucas, beneficij memor, semper inhæsit liberatori, eumq; colebat. *Maria Iacobi* mater erat S. Iacobi minoris, primi post Episcopi Hierosolymorū, filia Cleophæ fratris S. Ioseph, mariti B. Mariæ: vt Egesippus scribit, ideoque & *Maria Cleophæ* nonnunquā dicitur: & soror B. Virginis nempe affinis. erat quoque vxor Alphæi, vnde & *Iacobus Alphæi* dictus est eius filius. *Salome*, Obstetrix fuit, mater B. Iacobi maioris, & Ioannis Euangelistæ, vxor Zebedæi piscatoris. filia Mariæ sororis S. Annæ, & Sobæ, matris S. Elisabeth, quę Ioannem Baptistam, ex Zacharia suscepit. Porro hæ tres sorores *Maria, Anna, Soba*, patrem habuerunt *Mathan* sacerdotem ex tribu Leui: matrem vero *Mariam*, ait Hippolitus, ex tribu Iuda. Lucas hic etiam *Ioannam* ponit, *vxorem Gusæ Procuratoris Herodis*: imo notanda sunt hæc Lucæ verba: *Erat autem Maria Magdalenæ, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant*, insinuat enim, vt minimum adhuc alias duas adfuisse; quarum vnam expressit Marcus; scil. *Salomen*. altera vero ignota est. multi tamen putant fuisse Susannam cuius Lucas alibi meminit, quæ & diues, & nota erat: cum Lucas nullam eius descriptionem ponat, sed solum nomen: quasi de hoc satis cognita esset. Nyssenus B. Virginem fuisse putat; sed hoc improbabile. *Primo*. quia eius tanquam omnium dignissimæ nomen Euangelistę expressissent. *Secundo*, quia certo credebat Filium suum tertio die resurrecturum, nullisq; vnguentis opus habiturum. Vel ergo, vt dictum ante ex Metaphraste, ipsa ante resurrectionem sepulchro adfuit, fidei plena, & Filium resurgentem vidit, vt putat B. Hildephōsus: petiuerat enim hoc à Filio in cruce, ait Nazianzenus: vel Filium domi expectauit, certissima de eius aduentu, quem & vidit. *Primo*: Vt quæ præ omnibus tristitiā, etiam

Apud Euseb l. 3. hist. 10. & 26.

Apud Nicephor. l. 2. cap. 3. Luc. 8. 3. Luc. 24. 10 Mar. 16. 1

Luc. 8. 3.

Ser. 2. de resurrect. Serm de dormit. B. Virg. c. 36. & 37. Ser. 3. de Assump. B. Virg.

B. Virg ni Christus apparuit. 1.

etiam præ omnibus gaudium sentiret, eiq; Christus amorem exhiberet parenti debitum; quem vita futura non minuit, sed auget. Tobiæ suadet Raphael maturum reditum, ne parentes contristaret; quid ergo de Christo sentiemus? Cujus iustitiam decebat, vt male gaudentes malos punire, sic & iustos tristes consolari. *Secundo*, Ad lætitiam Sanctorum Patrũ. Solemus amicis cimelia pretiosiora exhibere, vti Ezechias fecit. & coniugem suam Vasthi Assuerus Principibus spectandam stiti voluit. similiter Christus statim post mortem Sanctis illis Diuinitatem suam ostendit, deinde in resurrectione corpus suum eis exhibuit: decebat ergo vt & matrem eius viderent. Quæ multorum ex eis, vt Adæ, Noe, Abraham, Dauid, &c. filia erat. cuiusq; aspectu omnes gaudebant, quia caput serpentis contriuerat, & multis clara priuilegijs, libera ab omni peccato, etiam originali, mater erat Dei, & Regina mundi, honorabant ergo illam cum Christo, accinentes ei, quod olim in typo audierat Iudith: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, & ideo eris benedicta in æternum.* Multos Sanctorum horum cum Christo resurrexisse; Matthæus testatur. vt tanto probatior esset Christi resurrectio: neque enim Christo poterat esse impossibile, quod in multis videbatur impletum. neque hi vt recte Beda, Anselmus, & alij, iterum morituri erant; sed cũ corporibus glorioſis in cœlos, cum Christo, ascenderunt. Nam quod corpora habuerint glorioſa, ex eo patet: *Primo*, quia apparebant non omnibus, quæ mortalium lex est, sed quibus volebant. *Secundo*, quia, vt ait Matthæus, Sancti erant; adeoque Diuinitatem Christi videbant. neque debebant ab illa gloria ad vitæ huius miserias detrudi. Christus enim mortuus non est, vt sanctorum gloriam minueret; sed vt augeret.

Tobiæ 11. 2.

2.

4. *Reg.* 20.

3. *Esth.* 1. 11.

D. Bern. Serm. de B. Virg.

Iudit. 15. 8

Matt. 27. 58.

Supra.

Nota. Cum hi Sancti dicantur apparuisse multis; dubium non esse, quin & B. Virgini se exhibuerint: huius vero quanta fuerit lætitia, ex Iacob Patriarcha æstimari potest, qui cum Ioseph intellexisset mortuum, consolationem nullam admisit, etsi vndecim adhuc filij ei supererent: at vero postquam Iosephum adhuc audiuit in viuis, quasi de somno vigil, exclamat: *Sufficit mihi ego vadam, & videbo eum.*

Gen. 37. 35.

Gen. 45. 26

Maria filij sui mortem non audierat solum, sed viderat, & quidē filij vnigeniti: cuius non vestes, sed corpus vulneribus sulcatum sanguine rubebat: vt vere *gladius animā eius tunc pertransierit*. Cogita ergo, ꝙ ei gaudium, cum corporis istius tantum splendorem, tantamq; filij sui gloriam vidit. quē & Angeli, & Patriarchæ adorabant. vt Dei bonitatē discas: qui tristitiam breuem, lætitiam vero reddit diuturnam: ita vt cum tristitia, gaudium quoque plus minusue crescat: *& secundum multitudinem dolorum, consolationes animam lætificent*. Quæri hic potest: *Cur Euangelistarum non vnus apparitionis huius meminerit?* Quatuor causſas inuenio. *Prima*, eaque communis est, quod earum apparitionum duntaxat mentio sit facta, quæ possent citari in testimonium: mater autem de filio testari nō potest. *Secundo*, ait Rupertus: ne quis, quin factum sit, dubitaret. *Tertio*, addit Anselmus, ne apparitionem hanc alijs putaremus similem: cum B. Virgo & Christū, & corporis eius gloriam, & Sanctorum cuneos viderit: alij autem Christum tantū. *Quartam* B. Virgo B. Brigittæ reuelauit: nempe humilitatem, qua alijs reuelationem hanc aperire noluit, dicens illud Isaiæ: *Secretum meum mihi*. erat. n. loquendi parca: præsertim cū vidit, testimonia aliorum abunde sufficere. Probabile tamē est, eā vt Apostolos in fide roboraret, aliqua cum his communicasse. sicuti enim electa fuit Dei genitrix, sic *prima Deum vidit*: vt Sedulius canit, In alijs mulieribus. *Primo*, gratitudinem nota, pro acceptis à Christo beneficijs. Magdalena enim curata spiritualiter: Susanna, & Ioanna corporaliter, Salome duos filios habebat Apostolos, Iacobum maiorem, & Ioannem Euangelistam, Maria Iacobi, tres, Iacobū minorē, Simonē, & Thadæum. Tu quoq; gratus esto, ac pro spiritualibus præcipue: sicuti hic præcipua omnium Magdalene. *Secundo*. Gratitudinis modum, mulieres enim hæ Christo inhærebant vsq; ad mortem indiuulsæ, imo nec sepultum deseruerunt. vt doceant nos, *Primo*: Nunquam à Dei cultu cessandum. *qui enim perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*. Multi Deo seruiunt in ꝓsperis, quos Basilius adulatores vocat; quia bona amant, non Deum. *Secundo*, Amicos nunquā deserendos. *Omni*, enim *tēpore diligit qui amicus est*: imo, *frater probatur in angustiis*. Viuos iua,

Luc. 2. 35.

Psal. 93. 19

Cur nulli Euang. scribant Chr. B. Virg apparuisse.

1.

2.

3.

Lib. 7. de Diuin. offi. c. 25.

Lib. de excell. B. Vir. cap. 6.

4.

Lib. 6. Reuela c. 94.

Isa. 24. 16.

Li 5. carm. de abiect. Synag. vixit Anno 430.

Luc. 8. 3. & seqq.

Mat. 10. 22

Itē 24. 13.

Hom. 8. in diuit tempore famis.

Pro. 37. 17.

ua, morituris assiste, mortuos sepeli, & orationibus libera. noli sordidos simul, & impios filios imitari; qui non de leuandis parentum animabus, sed de cibis solliciti sunt. Nota *Tertio:* Mulieres has duce Magdalena simul venisse. vt nos docerent *Primo.* Libenter coram & cum alijs benefacere: tũ, vt suo exemplo illi nos promoueant, sicut viatori comes iucundus vehiculum est; tum, vt de eorum merito tanquam cooperatores participemus. quia & illi nos, & nos vicissim illos iuuamus. Ideoq; vtile est in collegijs, & congregationibus pijs degere. *Secundo,* Quod pœnitentes Deo nonnunquã gratiores sint, & ardentius seruiant, quam innocentes. Ouis perdita pastorem plus exhilarat, quam omnes quæ non errarunt. Negauit Christum Petrus; sed postea plus omnibus dilexit. Persecutus est Ecclesiam Paulus, sed deinde plus omnibus laborauit. Sic Magdalena ad omne bonum prima est, & vltima. imo à Iudæis grauia postmodum sustinuit, & exul in spelunca 33. annos sanctissime vixit. De alijs autem mulieribus nihil proditum. Nota *Quarto:* Nullam hic fuisse virginẽ, sed omnes maritatas, vt discamus: *Primo*: Non excusari coniuges à bonis operibus titulo matrimonij, dixit quidẽ ille; *Vxorem duxi*, sed nuptijs exclusus est, cœlum non virginibus solis, sed & coniugatis patet: neq; citra causam Matrimonium Sacramentum est; *imo magnum Sacramentum*, peculiariter præ cæteris omnibus appellatur. Consilium perfectionis etiam coniugatis datum; Basilius docet, & primitiuæ Ecclesiæ praxis. Adeoq; tenentur se coniugati Christo dare, neque occupationes eos excusant; quia, vt recte Chrysostomus, proprij commodi caussa fiunt, non propter Deum, à quo potius abducunt. *Secundo,* Virginum esse, vt cum matre Domini domi sedeant; quam, teste Ambrosio, Angelus solam inuenit: præstat domo claudi, quam etiam titulo Ecclesias visitandi, plateas terere. Templum vnum eis sufficit. Virginem Hebræi Almah vocant, id est, *conclusam*, vt nomine ipso officij moneatur. Pullo si in plateis discurrat, raptus periculum est, & vultus speciem, sol perdit, sic virgo quæ plateas amat, vel Dinæ malum, vel saltem animi morbum sentit.

Luc.15.6.7 & seqq.
Ioan.21.15. & seqq.
1. Cor.15.
Apud Sur. 22. Iulii.
Luc.14.20
Ephes.5.3.
Hom.7. in diu. auar.
Li de vir. c.45.
Lib.2. de Virg.
Gen.34.2.

Nota *Quinto:* Mulieres has nullis pepercisse sumptibus, vt

Luc.21.2. Mar.12.42 Christo seruirent: etsi Salome obstetrix, & Maria Iacobi piscaria esset. Noli vnquam ab operibus pijs pro statu tuo præstandis te excusare. Sæpius Deo magis placet penuria pauperis, quam abundantia diuitis. vt in viduę duobus minutis patet, quia pauperi plus est suum ꝙ dat exiguũ; quã diuiti multum. Non spernit Deus panis fruſtum pauperi datum, aut oblatum cereum: quia non tam datum æstimat, quam animum.

II. Cur velint vngere secundo? 1.

Vt venientes vngerent Iesum. Non sufficit his mulieribus Dominum à Ioseph & Nicodemo vnctum: *Primo*, Vt suum erga Christum affectum ostendant. Amanti aliorum obsequium non sufficit, quamdiu ipse manus nõ admouit. vt hinc videamus, quam sit noster in pauperes amor paruus. ab eleemosynis sæpe abstinemus, quia alios putamus dedisse: & tamen, vt recte Chrysosto. eorum bona nos non iuuant: imo, fors & ipsi hoc idem cogitant, atque ita pauperes nihil accipiunt. *Secundo*, Quia solent Iudæi cadauera frequentius vngere. Iacob Patriarcham legimus 40. dies fuisse vnctum. & licet mos hic ab Ægyptijs fluxerit, apud Iudæos tamen, imo & in primitiua Ecclesia, vt habet B. Dionysius, permansit. *Primo*: In honorem corporum sanctorum. fuerunt enim organa Spiritus S. & ad gloriam resurgent: imo habent in se, ait Chrysostomus, vnctionem quandam, & gratiam miraculorum. Hinc de multorum corporibus oleum scaturire legimus, notumque est omnibus de B. Catharina, est enim *oleum* in Scriptura, gratiæ hieroglyphicum. *Secundo*: Vt significarentur, ait Dionysius, pugnã perfecisse, ad quã in baptismo vncti erant. *Tertio*: Vt eos ardentibus precibus post mortem vngamus, & oleo misericordiæ, ac eleemosynis. Ante mortem Christi vnxit Magdalena eius caput, & pedes: vt nos Sacerdotibus, (qui caput Ecclesiæ sunt) & pauperibus (qui sunt pedes) eleemosynas demus, vt pro eis sacrificium offerant, & cœli ianuas aperiant. *Eleemosyna enim*, ait Chrysostomus, *notissimus cœli ianitor est*. Cessauit post, hæc cæremonia, tum ne Iudæis assimilaremur, tum ne eam saluti necessariam putaremus, vt hæretici quidam docuerunt, apud Epiphanium. Successit autem *primo*: aquæ benedictæ aspersio, vt significetur, mortuus baptismi promissa perfecisse, & sordium purus abijsse in cœlos.

2. *Gen.50.2. Gen.50.3. Ca.7 Eccl. Hierar. par.2.*

Cur mortui vncti. 1.

Hom.15.in Gen. 2.

Ibid.par.3. 3.

Matt.26.7 Ioan.12.3.

Hom.36. ad popul.

Hare.36. Cæremoniæ funebres. 1.

Secundo,

Secundo: Lumen; quo claritas significatur æternæ gloriæ, iam pôſſeſſæ; vel eleemoſynarum pinguedine acquirendæ. Nota: Lumen exterius, vti & alia quædam, quę ſunt ad pompam, nempe, antipendia, arma, vexilla, &c. non prodeſſe defunctis, niſi ſignificatione, & animorum excitatione. Sacrificium vero, & orationes, ac eleemoſynæ per ſe iuuant: itaque his plura impendi deberent, quam illis. vt ſacrificia offerantur, & *pro mortuis* ſe aliqui *baptiſent* (vt loquitur Apoſtolus) id eſt, pro peccatis eorum lacrymentur: ſicut pro defuncto olim patre fecit cum fratribus Ioſeph. Pomparum luxus mortuis nec prodeſt, nec placet; viuorum dũtaxat ſolatium, teſte Auguſtino: qui ſe potius, quam animæ ſalutem ſpectant. Hieronymus mulieres putat ea nocte Domini ſepulcrum frequentius adijſſe, vt amoris quo trahebantur vim exprimerent, modumque docerent Chriſtum & loca ſancta viſitandi: *Primo*, cum deuotione. *Secundo*, cum eleemoſynis in pauperes obuios. *Tertio*, cum odore bono omnium virtutum, ait Gregorius. Nota: Chriſtum voluiſſe ante mortem inungi, non poſt. etſi gratum habuerit animum harum mulierum, quibus & præmij loco, ſe ſpectandum exhibuit prius, quam Apoſtolis. Ratio huius rei eſt duplex. *Prima*. Vt diſcamus opera miſericordiæ cadaueri bona intentione præſtita, bona quidem eſſe, vt in Tobia patet, ſed minima. *Primo*: quia cadauer non ſentit. bonum autem quod viuenti fit ſentitur. *ſecundo*: quia in funerum cura ſæpe amicos honoramus, vt nos honoremur. vnde inter miſericordiæ opera non recenſet Chriſtus in die iudicij, ea quæ mortuis fiunt: vt benefaciamus viuis. *Secunda*, quia vtiliores ſunt eleemoſynæ quas facis viuus, quam quas curas moriturus: neque enim poſt mortem mereris, neque quę dantur, tua ſunt. Diuitibus qui ſani pauperum vix meminerunt, recordaturi eorum in extremis, ſic loquitur Baſilius.

2

1 *Cor.* 15. 29. *Gen.* 50. 1.

De verbis Apoſt. c. 34 *Epiſt.* 150. *ad Hedib. q.* 4.

Hom. 21. *in Euang.*

Cur Chriſtus non vnctus poſt mortem ſed ante.

1. *Tob.* 12. 12.

2.

Cum te cadauer adſpiciam tunc fratris amantem appellabo? dic cuius mercedem temporis potiſſimum expoſces? Vitane, an mortis? Nam ſi tẽpore quod ad promerendum datur in voluptate ac delitijs abſumto pauperes nequaquam reſpexiſti, mortuus cuiuſnã actionis, aut operis mercedem petiturus es? Nullus enim poſt mercatum negotiatur: nec item poſt vitam, pietatis laudem præmiumue capiet.

Hom. 7. *in diuit. aua.*

Adde

Adde; quod hæredes de se magis, quam de pauperibus soliciti, raro testatoris voluntatem exequantur, occasionem testamenti adulterandi quærunt, seque pauperibus fingunt egētiores. vnde lites postea. vt videmus fere quoties aliqua locis pijs legantur. Huic malo medentur, qui sani & pleno iudicio sua distribuunt, cum adhuc eorum dominium habent. Bernardus hic spiritualem sensum facit, Christumque dicit in peccatoribus sepultum, quia fides in eis est mortua. hi vngendi; *Primo*, cordis compassione, charitate, & discretione. *Secundo*: mansuetudine oris, & benigno prudentiq; consilio. *Tertio*, opere ipso, carnis puritate, misericordia, & patientia: nempe, vt ꝙ Apostolus monet *sobrie, iuste, & pie viuamus.* Peccatorem vides? noli irasci. sed pro eo ora, benignus admone, & vt proficias; viue tibi sobrius, proximo iustus, Deo pius. Similiter in peccato ipse es? noli mortis periculum, & conscientiæ morsum amare, animam vnge, peccata confitere, opera pœnitentiæ fac, Eucharistiam sume, *animæ tuæ*, vt Sapiens monet, *misertus*. ita fiet vt illa cum splendore resurgat, & gaudio ac quiete iustis dari solita.

Serm. 1. de Resurrect.
Iac. 2. 17.
Ad Tit. 2. 12.
Eccl. 30. 24

III. *Et valde mane, vna Sabbathorum veniunt ad monumentum*; *orto iam sole, &c.* Nota *primo*: Mulieres has tanta religione Sabbathum seruasse, vt nec emere sua, nec parare, nec vrbe egredi auderent. erat enim Sabbathum inter omnia Iudęorum festa antiquissimum. *Primo*: Quia Deus illud statim ab initio mundi sua requie sacrauit. *Secundo*, Quia datum fuit in memoriam antiquissimi beneficij, scilicet creationis. *Tertio*: Quia illius cultꝰ peculiariter prę alijs festis ponitur in decalogo, qui fuit quasi resuscitatio quædam, & interpretatio legis naturæ, per quam peccata sepultæ. Docet natura dandum Deo certum diem ꝓ gratiarum actione, Deus septimum elegit, eiusque cultum rigidè præcepit: ita vt nec coquere liceret, nec focum struere, nec ligna colligere, nec emere, aut vendere, nec longius quā per 15. stadia, id est per mediū miliare aut vt Epiphan. per 6. stadia ambulare: nempe instar proficiscentis. Prętер quotidiana sacrificia duorum agnorum (quorum vnus mane pro die alter vespere ꝓ nocte offerebatur) alia adhuc duo offerebātur, ad passionis figurationē. Posuit autem Deus hoc præceptum

Sabbathi Festum.
Exo. 20. 10 & seqq.
Num. 15.
Esdr. 15.
Here. 66.
Sabbathi cultus.

ptum tanto rigore. *Primo*: Vt omnes scirent mũdum incepisse, nec fuisse æternum: vt multi somniarunt. *Secundo*: Vt beneficiũ creationis expendamus, & æstimemus. Sicuti enim Reges, ait Philo, natalitia filiorum suorum celebrant, ita creaturæ suæ natiuitatẽ nobis celebrem Deus voluit. *Tertio*: Vt tria significarentur. *primo*, futura Christi quies, post consummatũ opus redẽtionis. *secundo*, futurum tempus, quo à peccatis homines quiescerent. de quo Apostolus. *Relinquitur Sabbathismus populo Dei. tertio*, quies futuri sęculi quę ante Christum erat in limbo, nunc autem est in cœlo. Docẽt hæ mulieres, vt ab occupationibus abstracti, festos dies cũ animi quiete celebremus. *primo*: quemadmodum Iudęi Sabbatho nõ coquebant: sic & nos abstineamus à gula. *secundo*: Non struebant illi ignẽ, nisi pro sacrificijs in templo; sic nos solo Dei amore ardeamus, ad alia frigidi. *Tertio*: Non colligebant illi ligna: sic nec nos temporalia. *Quarto*: cessabant à negotiatione: sic & nos prẽter victualia nihil emamus, & à peccatis quę animam diabolo vendunt, abstineamus. *quinto*, cessabant à profectione: ita nec nos iter faciamus citra necessitatem, neque peregrinentur sensus nostri ad vana. *sexto*: Offerebãt illi quatuor sacrificia: sic & nos Sacrum audiamus, in passionis Dominicæ memoriam, & cõcionem, vt discamus quæ sit voluntas Dei, ac Vesperas, quę mortis Christi recordationem refricant, ac Laudes, quibus ei pro beneficijs omnibus, per B. Matris eius intercessionem, gratias agamus. Nota *Secundo*, Ecclesiã sabbathum transtulisse in primã diem, vt discamus, *primo*, Quãtam illa authoritatem à Christo habeat. Deus sabbathum prẽcepit; Ecclesia, præceptum mutat, vt sabbatho operemur, & die primo ab opere vacemus. Mutat ergo illa præceptum omnium antiquissimum, vt honorandam in illis discamus. Est tamen obseruandum, nihil ab ea mutatum, in eo quod legis naturę erat, nempe, vt aliquis dies Deo dicaretur; sed tãtum id quod erat cæremoniæ; nempe, determinationẽ diei. Quæ enim naturæ sunt, mutare nemo potest. quicquid autẽ naturæ non est, Ecclesiæ subest. Sic alia nunc festa, alios gradus matrimonij prohibitos, alia ieiunia, & cæremonias habemus quam Iudæi.

Lib. de opificio mundi.

Sabbathi significatio.

Hebr. 4. 1.

Festa quomodo seruanda?

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Sabbathi mutatio.

Exod. 20.

Leuit. 18.

Secundo,

Cur mutatũ Sabbathum in Dominicam.

Secundo: Rationes factæ mutationis docet. *primo*: Vt beneficia die Dominico præstita recolamus. tunc enim creatus mundus, partesq; eius nobiliores, Angeli, lux, cœli elementa. tunc natus est Dominus, vt decreuit Sextum Concilium C.P. & resurrexit, misitque Spiritum S. tunc B. Petrus abrogata veteri lege nouam promulgauit, & quasi perfecit Ecclesiam. *Secundo*: Quia impleuerat iam Christus ea quæ Sabbatho figurabantur. nam & Christus in sepulchro quieuerat, & à peccatis homines quiescunt, & finita requie in limbo, Patres transiuerunt ad quietem cœli: imo multi etiam corporum gloriosam quietem acceperunt. Augustinus Sabbathũ ait Iudæis datum, quia illi post mortem expectabant requiẽ; nobis autem Dominicam, quia expectamus gloriam: sicut Christus gloriam corporis die eadem accepit. ideoque celebrant illi Sabbathum, ab operibus quiescendo: nos autem Dominicam, bona operando, confessione à peccatis expiamur, Eucharistia Christo coniungimur, oratione ad Deum eleuamur, eleemosynis gloriam emimus. *Tertio*: Vt Legis veteris, & nouæ differentiam disceremus. Illic hebdomas finiebatur septimo die, vt disceremus; *primo*, Deum sex diebus omnia creasse, & quieuisse septimo. *Secundo*: Vitam Iudęorum fuisse laboris plenam, & sine requie, antequam eam Christus morte sua meruisset, dedissetque Spiritum S. *Tertio*, In sacrificijs eorum, & sacramentis, nihil fuisse spirituale. *Quarto*: Mutandum esse hunc statũ à Christo in alium meliorem & faciliorem, in quo septimanam à die Dominico incipimus, vt significetur, *primo*; Opera omnia septimanę instantis ad Dei honorem esse referenda, eaque tunc illi dicanda. *Secundo*. Opera nostra per Christum esse meritoria, qui nobis die Dominico Spiritum S. dedit, illorum authorem. ideoque expedit singulis Dominicis in statu gratię esse; &, ex ritu prioris Ecclesiæ, Eucharistiam sumere. quo enim quisq; Deo acceptior, eo gratiora sunt eius opera. Non ieiunabant Iudæi Sabbatho; sed secunda, & quinta feria, vt post Epiphanium, Theophylactus notat: Christiani autem feria sexta ieiunant, & Sabbatho, vt ad Dominicæ celebrationem se parent, Dominica vero non ieiunant, ob gaudium de Resurrectionẽ Christi,

1. *Gen.* 1. *Canon* 6.

2.

Epist. 119. *ad Ianua.*

3. Differentia Legis Nouæ & Veter.

Initium septimanæ cur à Dominica.

1.

2.

Lib. 1. *Panarii. In Luc. cap.* 18.

Christi, & spem resurrectionis corporum nostrorum. Olim Dominicis non flectebant Christiani genua, sed stantes orabant, vt Concilium Nicenum docet, & Lateranense: quia Christus à mortuis resurrexit, & nos à peccatis surgere monemur, & stare accincti ad faciendam voluntatem Dei. *Cano. 20. de feriis c. Quoniam.*

Nota *Tertio*. Mulieres has *valde mane* iuisse ad sepulchrum, vt modum ab eis discamus seruiendi Deo: nempe, cum diligentia, & ante omnia. Mundus noctem commessationibus dat, & luxui, diem medium somno, vt nihil cedat Deo. Pij autem cum mulieribus his mane Dominum in altari quærunt, precibus, & meditatione inungendum. principum bonum totius plus quam dimidium est, qualem enim te aurora inuenit, talem dies totus habebit. Seipsum Dauid excitans: *Exurge, ait, gloria mea, exurge psalterium & cythara, exurgam diluculo.* & apud Prophetam frequens Dei querela est, *quod de mane consurgens*, Israelitas quæsierit frustra. Inspirationes matutinę, purissimæ sunt, tempusque illud orationi aptissimum, ait Chrysostomus: quia tunc mundus quasi mortuus est. Discis etiam seruiendum Deo in diluculo vitæ, & à primis annis. Nam si vitam suam omnem donauit nobis Christus, ęquum est vt ei nostram reddamus. *Psal. 56. 9. Iere. 7. 11. 25. 26. 29. & 35. Hom. 42. ad popul. Antio.*

Nota *Quarto*: Mulieres has venisse ad sepulchrum *orto iam sole*. Neq; hæc stertendi occasio tibi esse debet, quasi maturus surgas cum sole. Nam hoc anni tempore sol citius oriebatur, & habitabant mulieres in intimis Hierosolymę visceribus (tanta autem erat vrbis magnitudo, vt plus quam decies centena hominum millia caperet) & Caluariæ mons, cui vicinum erat sepulchrum, vrbe longius aberat. Itaque videtur mihi cum Hieronymo, quod nocte tota mulieres nihil dormierint, & ad quartam domibus exierint; *cum adhuc tenebræ essent*: vt habet Ioannes, & vt minimum horam vnam itineri insumpserint, sicque hora quinta sepulchrum accesserint, quando iam sol terris appropinquabat: *ortum* enim *solem* dicimus, cum inclarescit dies, etsi horizontem nostrum necdum ascenderit. Disce & Deo, & proximo esse diligens, neq; te eorum ministerio subtrahas; ita cum mulieribus his Christum, & ab eo solatium, senties. *Ad Hedibiam q. 4. Ioan. 20. 1.*

Et di-

Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Nota *primo*: Ad boni operis initium fere semper difficultatem aliquam à dæmone, mundo, vel carne obijci, qua constantiam nostram Deus explorat, ad maius præmium. Fastui vis renuntiare? sed despectum times, quem passus ab
4. *Reg.* 5. 11 aulicis Propheta. Eleemosynam proponis, vel sæculi fugam: inopiæ metus subrepit, & Religionis difficultas: item: quod maioris meriti sit, quod libere fit, quam quod ex voto, quodque præstet concione, & Sacramentorum administratione populum iuuare in officio Pastorali, quam Monasterio claudi. Addunt aliqui; quod præstet Ecclesiam fœcundare coniugio, vt Monachos illi, vel Antistites generemus, quam sterilem esse & infœcundum: quod maiora Ecclesiasticis, quam laicis pericula: ideoque præstet Abrahami instar, mundo vti, sed quasi non vtaris. Isti sunt lapides, qui à multis ægre reuoluuntur; sed pergendum tamen cum mulieribus: quia dixit Christus; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, lapidum reuolutione. Habet autem *Ego* emphasin. q.d. ego omnipotens, qui omnia reddo facilia, omnesque diligo, *iugum exaltabo supra maxillas vestras.* Cum fratris sui cædem famulis præciperet Absalon, *Nolite*, ait, *timere ego enim sum qui præcipio*: nempe, filius Regis, qui vos protegam. sic apud Isaiam Christus: *Ego, ego ipse consolabor vos.* Nulla ergo timoris caussa. Quis enim eo potētior, aut ei par? sicuti lapidem hunc, ita & omnes remouebit. Nota tamen in in difficultatibus duo esse: *vnum* transcendit vires nostras; v. g. fuga sæculi, pœnitentia eximia, &c. atque hoc Deo cōmittemus, qui quos vocat, vocationi aptat: sicut famulo ad fossionem vocato, herus dat instrumenta, & quo labor est maior, eo maior est gratia, *portat* enim *nos in brachiis suis*, nec citra illius opem martyres in tormentis exultassent. *Alterum* in rationis disceptatione consistit. nempe, vter vitæ status, actiones, officia præstent? Atque hic qui humana sequitur, cadit; qui vero Diuina, vincit. Docet Deus, præstare vt semel omnibus exeuntes pauperem sequamur pauperes, quam vt retentis facultatibus aliquotas demus eleemosynas, citra difficultatem. *Quod prodest homini si vniuersum mundum lucretur,*

Matt. 11. 28

Ose. 11. 4.

2. Reg. 28. 13.

Isa. 51 12.

Duo in-tentatio-nibus. 1.

Ose. 11. 3. 2.

animæ

animæ vero suæ detrimentum patiatur? Qui in mundo proximum iuuat, Tribuno similis est, in medio bombardarum periculo propellenti milites. mundus maculat, & lædit, imo sæpe occidit: *qui picem tangit inquinatur ab ea.* facilius sæcularem sæcularis peruertet ad malum, quam conuertat ad bonum. Qui cum multis viam ambulat lubricam, solus facilius cadit, quã si ad manum ducatur. Sæculares monet Chrysostomus, etiam eos ad vitæ puritatem obligari; non minus quam Religiosos: *nihil* enim *coinquinatum intrabit in cœlos.* hoc tantum discrimen est, quod Religiosi munda hominum; illi polluta bestiarum via ambulent. *Eccl.13.1.* *Li.3. cõtra vituperatores vitæ monast.*

Nota *Secundo*, Mulieres initio de reuolutione lapidis nihil cogitasse. inchoãtibus enim, & teneris parcit Deus, solo sui amore eos inebriãs; vbi tamen profecerint, solatia subtrahit aliquãdo, vt amoris examinet puritatem. Paulus initio solatia sensit, & raptus in tertiũ cœlũ: sed quãtæ ei postea modestiæ? & Israelitas spes ꝓmissæ terræ suauiter Ægypto eduxit, aduersitas postea ꝓbauit. similiter nos inflãmamur, quoties in cõcione, confessione, vel alibi audimus bona; sed si gustus cesset, cessat animus: quia Dei dulcedinem, nõ Deum quærimus. pergere oportet cũ mulieribus, vt fiat dulcedo vberior. *Act.9.4. & 5.* *2.Co.12.2* *Ibid.7.*

Nota *Tertio*: Mulieres nõ fuisse de militibus solicitas. *Primo*: Quia probabile est eas ignorasse, quod hi sepulchrũ custodirent; cũ præcedenti vespere essent eo missi. *Secundo*: Quia nõ omnia simul mala Deus ꝓponit. *sufficit diei malitia sua.* Architectus si de faciẽdæ structuræ sumptib. rogetur, vix medietatẽ exprimit, ne alter ab opere terreatur. sic De⁹ omnia quidẽ mala ꝑuidet, sed nõ omnia nobis ostẽdit, ne diabolica potestate territi; dicam⁹: *Quis est similis huic bestiæ & quis poterit cũ illa pugnare?* facili⁹ nos deijcit timor mali, quã erigat spes auxilij. *Mat.6.34* *Apoc.13.4*

Nota *Quarto*: Quemadmodũ in sepulchro recubuit Christus sub lapide, plenus vulneribus; sic & in cordib. cubat peccatorum. Ianua animi, voluntas est; quam lapis pertinaciæ claudit. & quisquis peccatorem studet conuertere, cum gemitu quærit: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio mouumenti?* Admonitio quidem per aures quasi in primam speluncam admittitur, sed corde arcetur. Hæretici conuinci possunt, &

peccatores omnes; conuerti à nobis non possunt. Deus est cuius potentia requiritur, vt lapidem deuoluat. vt ex narrato alias exemplo S. Wilhelmi patet. Discipulis Christus in cœna promisit Spiritum S. qui *omnia suggereret*: significans, præter Doctorem externum, requiri internum motorem. De prædecessore suo S. Arnulpho (qui obijt anno 1087. scribit Lisiardus Episcopus Suessionẽsis; quod à Gregorio VII. missus fuerit ad Robertum Comitem Flandriæ, subditis suis adeo offensum, vt reconciliari eis non potuerit; sed postquã ex ore Episcopi verba audiuit Spiritus S. statim ita feruor omnis subsedit, vt omnia populi peccata ignosceret. Ideoque ad pertinaces ablegari debent Spiritu S. pleni, qui spiritum pertinaciæ orationibus fugent.

Ser. 3. quadrag. §. 15.
Ioan. 14. 26.
In vita eius c. 34.

V.

Terræ tremor.

Et respicientes viderunt reuolutum lapidẽ; erat quippe magnus valde. Matthæus modum reuolutionis addit. *Ecce terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedẽs reuoluit lapidẽ, & sedit super eum.* Terra in morte, & resurrectione Domini tremuit. *Primo.* quia post mortem statim Dominus triumphauit de diabolo; post resurrectionẽ vero de morte: sicuti ergo Principum victorias tubæ, & cãpanæ clãgunt; sic Christi triumphum terræ tremor. *Secundo*: Quia futurũ erat, vt terra omnis, mundiq; Principes, cõtra Dominum mouerentur, ad fidei extirpationẽ, dæmonibus regno suo metuẽtibus; sed nesciebant illi Ecclesiã motibus solidari, & persecutionibus augeri; vt nauẽ propellũt venti. *Tertio*, Quia mouenda erãt hominum corda mortis metu, & resurrectionis spe; dum iudicandi *secundum opera sua* ad spiritualem resurrectionem à vitijs anhelãt. *Quarto*: Quia statim post mortem, terra rupta Christo viã fecit, vt inferis dominaretur; & resurgentẽ recepit, vt ipsa legib. reformaretur. ideo enim deinde per 40. dies Apostolis Christus *de regno Dei*, quod est Ecclesia, loquitur, eiusq; Caput Petrũ statuit, vt esset Monarchia, Apostolis potestatẽ dedit peccata remittendi, Scripturas aperuit, Sacramẽta omnia explicauit. hoc enim promisisse videbatur, cum dixit: *Habeo vobis multa dicere, sed nõ potestis portare modo, sed cum venerit Spiritus S. ille vos docebit omnia, & suggeret quæcunq; vobis dixi.* Sensus enim videtur: Multa quidem vobis expli-

Mat. 28. 2.
Act. 1. 3.
Ioan 21. 15. 16. 17.
Ioa 20. 22.
Luc. 24. 45.
Ioan. 16. 12
Ioa. 14. 26.

explicãda supersunt,sed tristitia vos reddit inidoneos;aperiã ergo ea post resurrectionẽ,sed quia sublimia sunt, & multa, vt intellectum requirãt, & memoriam;mittam vobis Spiritum S.qui vtrumq; vobis,& posteris, qui ad diem iudicij ea seruabunt inuiolata,confert.Respublica nulla est quæ Ecclesiæ comparari possit, siue doctrinæ immaculatam puritatẽ, siue directoris maiestatem spectes:ideoque credas illi;Christo curæ est,ne mala falsaue doceat.*Nota*:Christo resurgente tremuisse terram,in aduentu autem Spiritus S. motum esse aerem. *Primo* : Quia ex terra Christus surgebat; Spiritus S. descẽdebat de cœlo.*Secundo*:Quia Christus assumpsit corpus terrenum; Spiritus autem est incorporeus,*Tertio*: Quia congregati à Christo Apostoli,per omnẽ regionem erãt dispergendi à Spiritu S.Porrò post Christi resurrectionem Angelus descendit. *Primo* : Quia pax iam inter Deum & homines erat perfecta. sicuti enim tempore belli, nulla sunt inter hostes cõmercia,sed suspecta omnia;sic in veteri Testamẽto tãtus Angelorum erat terror,vt moriturum se putaret,qui Angelũ vidisset. quod patet ex patre Sãpsonis, *a* & Tobia.*b* postea vero nec adorari quidem ab hominib. Angeli voluerũt, sed se eorum dixere *conseruos*:*Secundo*: Vt homines ad Christi iã immortalis visionem præpararet;sicuti antea ad doctrinã eius adhuc morituri illos parauerat B.Ioannes. *Tertio*:Vt lapidẽ sepulchro deuolueret,& Christi resurrectionẽ mõstraret.sicuti enim antea aliorũ,ita & Christi monumentũ apertum fuit:nõ quod illi ante Christum surrexerint, sed vt duo ostenderentur genera resurrectionis. *Prior*,est animæ: eaque duplex:vel ad gratiam,de qua Apostolus,Eliæ,vt ait Epiphanius,verbis loquitur,*Surge qui dormis,& exurge à mortuis,& illuminabit te Christus*.vel ad gloriam; de qua Ioannes; *Beatus & Sanctus qui habet partem in Resurrectione prima*. *Posterior*,corporum : quæ hic in Christo , & alijs post Christum impletur: sicuti enim anima,ita & corporis resurrectione , ille est primogenitus. Nullus est de cuius resurrectione corporis constat,præter Christum,& Beat.Virginem: de quibus Dauid: *Surge Domine in requiem tuam,tu,& arca sanctificationis tuæ*. Nos autem in iudicio corpora resumemus , vtinam ad gloriam.

Aeris tremor

Cur Angelus descenderit. 1.

a *Iud.13. 42.*

b *Tob.12. 16.*

Apo.19.20

Apo.12. 9.

Duplex resurrectio. 1.

Here.42.

Ephe.5.14.

Apoc. 20.6 2.

Psal.131. 8.

Caluinistæ Angelum dicunt lapidem reuoluisse, vt Christus resurgeret; vel instar aquæ emolliuisse, ne admittãt duo corpora in eodem loco; & consequenter, idem corpus in duobus, vel plurib. locis. quorum vtrumq; nos credimus. sed nesciunt illi, vel negant, Deum posse multa *supra quam possumus* nos *intelligere. Admittamus*, ait Augustinus. *Deum plus facere quam nos comprehendere possimus. Ratio quippe operis, est potentia facientis.*

Chry. ho. 2 ad pop. & l. 2. de Sacerdo. ep. 3. ad Volu.

Constans Patrum doctrina est, surrexisse ad terras Christum, clauso inuiolate sepulchro: sicut natus est nihil læso matris claustro; ne si hoc læsum sit, ipsa Virgo nõ fit. imo post resurrectionem beatorum omnium corpora cælos penetrabunt. sicuti in ascensione sua Christus, alijque penetrarunt.

Epist. ad Hedreiam

Tempus resurrectionis Hieron. ignotum putat. ex Matthæo constat terræ motum paulò ante lucem contigisse, quando Angelus lapidem reuoluturus descendit. vnde patet Christũ saltem ante tempus illud surrexisse. Reuolutum autem lapidẽ Scriptura significat, vt custodes abesse corpus Christi viderent, nõ vt illi via pateret. ideoq; hæreticos in Dei potentiã blasphemos fuge. Lapidis quãtitas ex mulierum verbis tãta videtur, vt ipsæ quinq; non potuerint eum remouere. Dei ergo bonitatẽ disce, qui timẽtes iuuat. *Primo*. Per media naturalia; vt & ipsi operis, ac laudis partẽ habeamus, qui sine ipso nihil possumus *Secundo*: Per media ipsi soli notã. quæ interdum naturaliter fiunt contra spem, interdum vero supernaturalia sunt. Cum desperaret de se Dauid, Deus Philistæos immisit, qui Saulem à persecutione auocarent. atque auxilia huic similia, mirabiliter Dei prouidentiã commendant, etsi naturalis ordinis sint. & si desint, saluat Deus per miracula; vt in Israelitis patet, quib. mare aperuit; & in Ægyptijs, quos illo operuit. similiter in datione mãnæ de cœlo, & aquæ de saxo. Item in hoc Angelo, qui mulieres iuuit. Noli vnquã desperare. amat enim te Deus, qui omnia potest. Sed *Primo*, Fac tis ei per amorem, & gratiã coniunctus, *Secundo*: Quantum potes, te iuua. *Tertio: Assidua iusti deprecatio multum potest*, ait ille.

Deus suos iuuat.
1.
2.
1. Re. 23. 26
Exo. 14. 16 17.
Iac 5. 17.

VI. *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertũ stola candida, & obstupuerunt.* Ingressæ priorẽ speluncam mulieres Angelum vident, lapidi reuoluto insidentem.

tem. Quinque autē in Angelo notātur. *Primo*: *Iuuenis* est; vt omnia discamus in cœlo vegeta. Adam nisi peccasset, senuisset quidem; sed nō defecisset, viribus ligno vitæ reparatis. In cœlo oēs immortales, ætate florida, nempe 33. annorum, *iuxta mensuram ætatis Christi*: vt ex Apostolo, Hieron. *a* & Augustin. *b* atq; alij docent. Vidit quidem Daniel *antiquum dierum*, sed nota hæc nō defectus est. verum *primo* æternitatis, *secundo* sapientiæ; hæc enim apud nos senum propria. *tertio* Paternitatis. non quod Filium habeat se iuniorem; nisi secundum humanitatem. Patri potentia ascribitur, vti ex symbolo patet, ne putemus eum aliquando defecturum. Ioannes quoq; *Iaspidi* semper viridi, & *Sardio*, qui coloris ignei est, Deum comparat; vt viror potentiam, ignis operationem continuam significet. *Pater meus*, ait Christus, *vsque modo operatur, & ego operor*. Vis æternā adolescentiā à Deo? offer hic desiturā. *Secundo* Aspectus eius *sicut fulgur*; id est, igneus: ait Grego. vt custodes percelleret, sicut ignis in tenebris. Significat autē hoc moraliter: *Primo*, Christum malis esse terribilem, bonis suauem; sicut Angelum mulieres vt iuuenem vident, comem; milites vt fulgur, horribilem. possunt beati quibus, & quales volūt, eodem tempore apparere; & in iudicio idem Christi aspectus terrebit malos, recreabit bonos. Notat Gregor. Israelitas noctu ducem habuisse ignem, diu nubem; quia malis, quos nocti Apostolus comparat terrori; bonis solatio erit; quos monet vt *capita sua* in die iudicij *leuent & respiciant*. Cōtigit in Collegio nostro Viennensi, conuictores duos; vnum Catholicum, alterum Lutheranum, in Sacello sacrum audire, quorum prior Christum vidit post consecrationem in calice, magno cum gaudio; alter vero tanto cum tremore, vt ex sacello profugerit. Cogita quantum ad verbum illud asperum, mali trement. *Ite in ignem æternum*. Hic Dei amicus sis, ne illic inimicum sentias. *Tertio*, vestes habet *albas*, instar niuis, *Primo*: Quia omnia in cœlo splendida, nihil coinquinatum. ne *otiosa* quidem illuc admittuntur, quanto minus falsa, & iniusta, aut fœda? omnium idem iudex quæsitor erit, & probator. Vidit B. Anno, qui obijt 4. Decemb. ann. 1075. paulò ante mortem, ingens palatium, in quo plures Sancti

Quinq; in Angelo notato.

1. Iuuenis.

a *In Epit. Paulæ.*

b *Li. 22. de Ciui. c. 15. 16. 17. 18. Dan. 7. 9.*

Apoc. 4. 3.

Ioan. 5. 17.

2. Fulget.

Luc. 21. 28.

Mat. 25. 41

3. Vestitur albis.

Mat. 12. 36

Reginhar. li. 2. vitæ eius c. 25. Lambert. Schafnab in Chron.

erant Epiſcopi: Heribertus Coloniēſis, Bardo Moguntinus, Poppo, & Eberhardus Treuirenſes, Arnulphus Wormatiē-ſis, alijq; quos in viuis nouerat, oēs ſplendida veſte: inter cæteros vero etiam ſe vidit veſtibus indutum pretioſis, & albis; ſed pectori macula inerat, quam fruſtra volebat tegere. vidit quoque paratā ſibi cathedrā glorioſam, quam cum vellet aſcendere, ſurgens Arnulphus: *Patres hi*, ait, *confeſſu hoc te non recipiunt, niſi maculā eluas*. Anno autem euigilās, notatum ſe ſenſit, ob auerſionem quandam à Colonienſibus, qui eum iniuria affecerant, & vrbe eiecerant; atque ita auerſionem omnem depoſuit. Vide ne & te macula coram Chriſto deturpet. *Secundo*: Quia non ſufficit vt quis immaculatus ſit, ſplen-
Mat. 13. 43 dere debet. *Fulgebunt* enim *iuſti ſicut Sol*. ſplendor autem non ex operibus ſolis, ſed & ex patientia naſcitur. *Tertio*: Quia veſtis alba gaudium notat, quod ex reſurrectione Angeli acceperunt, ob ſperatam ruinarum impletionem, quæ iam annis
4. 4000. vacauerāt. *Quarto*: Quia voluit & nos excitare ad gau-
Sedet. dium; nobis enim maiora, quam Angelis præſtita. nam & cœli aperti, & Eccleſia inſtituta, & ad aſcenſionem paratur via, vt pro nobis Chriſtus intercedat ad Patrem, & dona cęleſtia mittat. Paſcha ergo feſtorum noſtrorum caput eſt, & gaudere oportet; nō quia redditæ nobis carnes, ſed quia meritorum Chriſti (qui ſe feria ſexta Patri obtulit in plenam reconciliationē, & donorū omnium impetrationem) facti ſumus participes, vt ſumpto eius ſacratiſſimo corpore, illis hodie frui incipiamus, anima, Deo; & opere, hominib. ſplēdentes. *Quarto*: Sedit. *Primo*: Vt beatitudinis immutabilitatē doceret; cui nihil decedit, accedit autem gaudium de bonis, quæ poſt mortem beatorum fiunt, ex eorum ductu. quemadmodum & pœna malorum creſcit, ex peccatis quorum ipſi occaſio, vel cauſſa. *Secundo*: Vt Sacerdotium Chriſti ſignificaret, & iudicis poteſtatem; de illo ait Paulus: *Habemus Pon-*
Hebr. 8. 1. Itē 10 & 12 *tificem qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlo*. De hac Da-
Pſal. 44. 8. uid: *Sedes tua in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui*.

Sedebunt etiam beati, quia Reges erunt, & Sacerdotes.
Apoc. 1. 6. Malac. 3. 3 offerent enim ſacrificia, & *facient vindictas in nationibus alligan-*
Pſ. 149. 7. *tes nobiles eorum in manicis ferreis*. Eſto conſtans, nulloque erro-

ris

ris aut peccati vento abripere, vt ſæculi futuri conſtantiam aſſequaris. *Quinto ſedet à dextris.* Vt æternitatem deſignet; teſte Gregorio. iuxta illud Sapientis, *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* id eſt, vita præſens mihi ſubeſt, futura vero me cingit: ſeu: præſentia ſperno, æterna cogito. Item *Longitudo dierum in dextera eius: & in ſiniſtra diuitiæ, & gloria.* In futuro æterna largitur Deus, quaſi manu dextera. hic vero honorem, & opes, ſiniſtra. Reſurrectio Chriſtum; & beatos ad dexteram ſtatuit. *Secundo:* Deſignat Chriſti exaltationem. vt in eo impletum ſit. *Qui minimus eſt in regno cœlorum,* id eſt, ego qui ab omnibus iam abijcior, meque minimum iudicio: *maior eſt illo:* Ioanne ſcilicet Baptiſta: quo *inter natos mulierum non ſurrexit maior.* Sic exaltabitur qui ſe humiliat.

Eph. 4.14. 5. A Dextris *Vbi ſupra.* *Cant* 2. 6. *Prou.* 3. 16. *Mat.* 11. 11.

In mulieribus, Nota *Primo:* Quod Angelos vident Chriſto intentæ: adeſt enim Deus bono operi, & Angeli verba factaque omnia cœlis inferunt, vt dixit Raphael. *Secundo:* Quod *Angelos* viderint. vt Lucas, & Ioannes habent: ad minimum duos. Bonis enim libentes adſunt. quia & *delitias* Dei ſciunt *eſſe cum filijs hominum.* Olim Eliſæum cingebant. & mulieres monuit Apoſtolus, *vt capita velent in oratione, propter Angelos*; amant enim orationes, quæ fiunt cum reuerentia. noli in bono opere diabolum metuere, Angelum habes aſſiſtentem, & protectorem, *Tertio:* Quod viſis Angelis terreãtur. *Primo:* vt diſcamus excellentiam naturæ Angelicæ. Terretur mendicus vocatus à Cæſare, & homo vocatus ab Angelo. qui tamen, vt in Daniele patet, & Paſtoribus, ſtatim terrorem eximunt. Gregorius hunc terrorem etiam à beatis hominib. nobis incuti dicit, quia cum ſpiritus puri ſint, nos, vtpote corporei, eorum maieſtatem non ferimus. narratq; Theodorum cuſtodem templi S. Petri Romæ, ex apparitione S. Petri, grauem morbum incidiſſe. minuit terrorem hũc conuerſatio cęleſtis in terra. *Secundo:* Vt à peccatis ſedulò caueamus, ſi enim bonos Angelos nobis amicos timent iuſti, quanto timendus magis diabolus, qui commiſſo peccato ſtatim cum ſocijs hominem ingreditur, poteſtatem à Deo in animam & corpus petens; vt hoc occidat, illam damnet?

Prou. 8. 3. *4. Reg.* 6. *1. Co.* 11. 10

Dan. 8. 17. *Luc.* 2. 10. *3. dial. c.* 24

Mat. 12. 23

VII.

Qui dicit illis: Nolite expaueſcere. Lucas ait, *mulieres declinaſſe vultum*

Luc. 24. 5.

Exod. 15. 3. *Reg.* 6. & 7. 2. *Paral.* 3. *Luc.* 18. 13. *Gen.* 18. 27

tum in terrã. Docent ergo verecundiã in loco ſancto, & reuerentiã. ſicuti & Cherubin quos Moyſes poſuit in tabernaculo, & Salomõ in tẽplo huius merito exauditus præ Phariſæo Publicanus. In templo cum Abrahã vilitatem tuam cogita; *quia puluis es & cinis.* Porrò non eſt putãdum Angelos habere corpora propria, vt nos; aut in aſſumptis vitaliter operari. neq; enim corporaliter vidẽt, audiũt, guſtãt, &c. ſed formãt ſibi corp⁹ ex aere, quod vere mortuũ eſt, illudq; loco mouẽt, ac ſenſibus externis interiores perfectiones deſignant: vt explicat Dionyſ. nempe Dei & creaturarũ notitiã, quã habẽt. In præſenti ergo, dũ Angeli loquuntur, nõ mouẽt pulmonẽ, vt nos; nec arteriã vocalem, aut palatũ verberãt, ſed ſonum formãt in aere. quãdo autem ſibi, vel beatis loquuntur, id faciunt ſola voluntate, qua cogitationes ſuas eis reuelant. Nos hic dũ cogitamus, nobis loquimur; vt vero alijs loquamur, requiritur *primo*: vt velimus: neq; hoc ſufficit, quia & nos & auditores corpore impedimur. ideoq; *ſecundo* requiritur: nutus, vel ſignũ corporeum, quo mediãte loquamur. ſpiritibus vero, & beatis, corporea ſigna neceſſaria non ſunt, quia corporis onus neſciunt. Loquuntur ergo ſibi mutuo, nutu ſpirituali; nẽpe, indicio voluntatis. & nos iã ipſis ſic loqui poſſumus, ideoq; & mẽtaliter eos oramus, videntq; illi orationes has non ſolũ in Deo, ſed & in cogitatione noſtra. Fateor ſoli Deo tribuitur cordis inſpectio, ſed alio ſenſu: ſolus enim videt omnia, etiã in inuitis: quod beati, vel ſpiritus, nõ poſſunt. quos alioqui nulla diſtãtia impedit, quo minus audiant, quæ volumus. Hinc patet etiã Sãctos nobis ſine viſibili ſigno loqui poſſe; nẽpe per phãtaſmata, & ſpecies. quomodo locuti ſẽpe ſunt Prophetis, in viſione, vel ſomnio. & potuiſſent hoc modo Angeli hic loqui, ſed voluerũt apparere corporaliter; *primo*: vt clarius redderent teſtimonium. *ſecundo*: vt maiorem cum hominibus iã cẽli ciuibus familiaritatẽ colerent. *Primũ*, quod poſt Chriſti reſurrectionem, hominibus dixerunt Angeli, eſt; *Nolite expaueſcere*; vel, vt Matthæus habet, *Noli timere vos*; vt fructum videamus paſſionis Chriſti: nempe non timere. abſtulit enim omnes timoris cauſſas, & amorem reddidit, ac ſpem. vnde Ioannes, *Timor non eſt in charitate, ſed perfe-*

Tho. 12. 19 *Ca.* 5. *de cæleſt. Hierar.* Angeli quomodo loquũtur corporaliter. Quomodo ſpiritualiter

Angelorũ prima vox. *Mat.* 28. 5.

1. *Ioa.* 4. 18.

perfecta charitas foras mittit timorem. Multa homini timorē incutiunt. *Primo*, Dæmon, *qui factus est vt neminem timeret.* Sed vinxit eum Christus, & debellauit, vt non sit cur eum timeamus, quem puellæ & Virgines triumpharunt, Agnes, Thecla, Prisca, &c. cui etiam Antonius imbecillitatem solet exprobrare. Isaias tempore Messiæ futurum dixit: *Vt delectetur infans ab vbere, super foramine aspidis, & qui ablactatus est, mittat manū in cauernam reguli*: Id est, à dæmone malum nullū accipiat. Canis catena vinctus, mordere vexantem non potest, nisi nimium ipsi appropinquet; sic nolentem diabolus non lædit, etiam vexatus crūce Christi. *Secundo*, Exclusio è cœlo: sed aperuit illud Christus, deditq; electis pignus, & arrham regni, ita vt ad illud ius habeant: sicuti pauperes ius accipiunt ad eleemosynas, habito nummo. Apostolus gratiam ideo *pignus hæreditatis nostræ*, id est, cœli vocat. *Tertio*, Timemus, vt non perficiamus voluntatem Dei, instar illius qui talentum defodit, dicens; *timebam.* Sed Christus, qui *gratia & veritate plenus* est, saccum corporis sui aperuit, cum flagellaretur, & lancea latus aperiretur, omnesque diuitias nobis liberaliter profudit; ita vt diceret Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Negat Clemens præcepta Dei esse difficilia, quia præcurrit auxilio, antequam instet præcepto, Ora ergo cum B. Augustino: *Domine da quod iubes, & iube quod vis.* Christus grauissimā crucis partem baiulat, nos cum Simone Cyreneo extremitatem. *Quarto*, Timebāt in Lege veteri Angelos; vnde in datione legis, quā Angelis S. Stephanus, & Paulus attribuunt, populus tantum timuit, vt secūdo id fieri nollet, & Moyses ipse *Exterritus sum*, ait, *& tremebundus.* At vero timorem hunc Christus nobis exemit, & *cōseruos* illi se vocant, eorum *qui habent testimonium Iesu*, corde scilicet, & opere. Possumus enim per Christi gratiam, vt post Basilium, dixit Ambrosius, Angelis hic esse similes virginitate, & in futuro beati omnes *erunt sicut Angeli Dei. Quinto*: Homines timemus ridentes, & persequentes. Sed Christus, *Ne terreamini*, ait, *ab his qui corpus occidunt, & posthæc non habent amplius, quid faciant*: insinuat daturum se nobis, vt sine timore seruiamus illi. *Sexto*, Naturæ timemus infirmitatem: sed virgam accepimus, & baculum,

Timoris obiecta, & remedia. 1.

Iob 41. 24. *Apoc.* 20. *Athan. in vita eius.* *Isai.* 11. 8.

2.

Eph. 1. 14.

3.

Matth. 25. 24. *Ioan.* 1. 14.

Phil. 4. 13. *Lib* 1. *pædag. ca.* 12. 10. *Confes. cap.* 29.

4.

Act. 7. 53. *Gal.* 3. 17. *Exod.* 19. & 20. *Hebr.* 12. 21. *Apoc.* 19. 10. & 12. *De S. virg. Lib. de virg.*

5.

Matth. 22. 30.

*Matth.*11. *vlt.* quo nitamur, petamusque gratiam, quæ *iugum suaue* habet, &
1. *Ioan.* 5. 3. *onus leue: neq;* enim charitatis *mandata grauia sunt.* Adest Deus
etiam non expectantibus; sicut hic in reuolutione lapidis.
7. *Septimo*, Mortem timemus, sed *pretiosam* eam fecit Christus *in*
Ps. 115. 15. *conspectu Domini*: notat Gregorius, Apostolum Christi mor-
Mor. 12. *c.* 6. tem vocasse *mortem*: nostram vero *somnum* & *dormitionẽ*: No-
1. *Thess.* 4. 13. *lumus*, ait, *vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini*
sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mor-
tuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adduce-
8. *cum eo. Octauo*, Iudicium timemus, sed iudicem habemus,
qui nos diligit magis, quam nos ipsi, qui aduocatus noster
est, imo iam pro nobis satisfecit, gaudetque si in eum fida-
Possidon. in vita S. August. mus. *Mori non timeo*, dicebat Ambrosius, *quia bonum Dominum*
habeo: adest ille extremæ necessitati; imo iubet vt, *respiciamus,*
Luc. 21. 28 *& leuemus capita.* Exhibitas enim virtutes omnibus spectan-
9. das liberaliter coronabit: *Nono*, Infernum: sed clausit eum
Christus, electis paratam gloriam cogitemus, non pœnam:
neq; enim boni militis est, carceres cogitare, sed trophęa. *De-*
10. *cimo*, Deum: sed fecit nos Christus Dei filios, suos fratres.
Matth. 28 10. *Vade*, inquit, *dic fratribus meis*, &, *Vado ad Patrem meum & Patrẽ*
Ioã. 20. 17. *vestrum.* Timeri Deus potest, sed *timore sancto*, qui *permanet in*
Psal. 18. 10 *sæculum sæculi*, & filiali, non seruili seu sordido. Notat Gre-
Hom. 21. gorius, dixisse Angelum. *Nolite timere Vos*; quasi diceret, alij
Mali hæc omnia timent. quos Christus timore non liberauit, habent cur timeant.
Primo Diabolum; qui eos circumagit, vt miles equum. *Se-*
cundo, Exclusionem è regno, quia nihil illic inquinatum. *Ter-*
Apoc. 9. *tio*, Difficultatem seruandæ legis, peccatum enim plumbum
Apoc. 21. est, hominemque demergit. *Quarto*, Angelos; qui teste Da-
Zach. 5. 7. niele, *parati sunt, vt scindant eos medios. Quinto*, Homines, in
Dan. 13. 55 quibus sperarunt magis, quam in Deo. *Sexto*, Inconstantiam
sui: etsi enim aliquando bonum proponunt, tamen *vt puluis*
Psal. 1. 4. *proijciuntur à vento* concupiscentiæ: sicut & hi milites, quibus
Angelus iniecerat terrorem, sed tamen postea per auaritiam
Psal. 35. 22. impudenter peccarunt. *Septimo*, Mortem; *peccatorum* enim
mors pessima, quia diaboli confluunt, vt cum epulone eos in
inferno sepeliant. *Octauo*, Iudicium, Deus enim nihil illic
remittet. *Nono*, Infernum; qui eis sine dubio apertus, si in

peccato

peccato mortali decedant, vt sine fine illic crucientur. *Decimo*, Deum; *qui potest* iusto iudicio, & peccatis id exigentibus, *corpus & animam perdere in gehennam*. Quisquis ergo Christianus es, hanc bonorum, & malorum antithesin vide, & cum mulieribus his elige, vt Iesum quæras Nazarenum crucifixum. *Luc.12.5.*

VIII.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. Non quærit Angelus quid agant mulieres, sed ipse id dicit, vt nota ostendat Angelis opera nostra. *Innumerabilis multitudo*, ait Basilius, *nos cingit, & ad omnia attendit*. Bona commendant, & quantum possunt appendunt; vt ex his verbis patet, vbi singula energiam habent. *Quæritis*, solicitudinem notat fœminarum, nobis imitandam, si ab Angelo consolationem speramus: qui quærit, non otiatur, sed omnia excutit, & lustrat. Vis Christum inuenire? *Primo*. Otium fuge: *neq; enim habitat Deus in terra suauiter viuentium*. *Secundo*, Nulli labori parce; exemplo harum mulierum, quæ de nocte surrexerunt. *Tertio*, Alia omnia relinque, vt eum inuenias: reliquerũt mulieres domos suas; Abraham patriam. & Christus, vt te inueniret, cœlũ. *Quarto*, Nõ creaturas, sed Deum in omnibus vide, eiusq; pulchritudinẽ admirare, in pulcris; sapientiam, in doctis: potentiam, in citatis cœli rotationibus; artẽ, in minimis etiã insectis; bonitatẽ, in rerũ varietate nostræ vtilitati deputata: nihil est in quo Deũ non possis laudare, cum B. Francisco. *Quinto*, Quære eum in locis ei dicatis, & templo: vbi quæsiuit eum Mater, mulieres hæ in sepulcro quærunt. Sponsa *in plateis & lecto*, sed nõ inuenit. Tu in corde à vanis & vitijs libero quęre, & inuenies, *prope* enim *est verbũ in ore tuo, & in corde tuo*. ait, ex Moyse, Apostolus. *Iesus*. Significat, *Primo*: Diuinitatem Christi; solus enim Deus, *Iesus*, seu Saluator esse poterat. Quia sicut præter artificem, nemo alius eius opus perficit; ita creaturã nemo reparare poterat, nisi qui pararat. *Secundo*, Quid in Christo quærere debeamus: nempe, salutem: multi eum non inueniunt, quia alia petunt: nempe honores, opes, eruditionẽ &c. quæ si in Christo inuenire vis, sub conditione pete. *Nazarenus*, à Nazareth dicitur, & apud Iudæos aliquando scribitur per z, & significat *sanctum*, teste Hieronymo; appellabanturque eo no-

Lib. de S. Virginit. Expositio singulorũ verborũ.

Quæritis.

Iob 28.13.

Gen.12.

Luc.2.6. *Cant.3.1.* *Rom.10.8.* *Deut.20.*

Iesum.

Nazarenum. *In cap.1. Matth.*

Num.6. eo nomine olim, qui se Deo obtulerant: de quibus Moyses.
Gen.49. Nomen hoc omnium primo Iacob filio suo Ioseph dedit, ac
Iud.19. dein Angelus Sampsoni, hi enim duo Christi figura erāt, qui
postquam à fratribus venditus fuisset, ad regnū peruenit: &
Iudic.16. inferni portas, vt Sampson fecerat Gazæ, cōfregit, pluresque
occidit moriens, quam viuus. Aliquando scribitur per t. s.
Natsarenus, & ita legitur in titulo crucis, qui Romæ seruatur
in templo *S. Crucis in Ierusalem*. Atque tum *floridum* significat:
2.Cor.2.15 vt notetur Christus virtutum plenus, quodque in eo boni
operis odorem quærere debeamus: vt simus & ipsi *Christo bonus odor*. Probabile est, Angelum posteriori modo pronunciasse; ab oppido Galileæ Natsareth, vnde Dominum Iudæi
Ioan.7.12. *Natsarenum* vocabāt, & *Galilæum*: sicuti & Christianos Iulianus cōtemptim *Galilæos* vocauit, & Iudæi etiam hodie *Natsarenos*. Vtitur autem Angelus eo nomine, non vt Dominum significet natum in Natsareth. Sed *primo*: quia cōceptus illic fuit in domo, quæ venerationis ergo anno 1295. translata est in Italiam ab Angelis Lauretū. Sicuti enim Christus in Galilæa frequens erat, ita etiam nunc in domo ista plurima operatur. *Secundo*, Vt nomen Iudæis despectum honoraretur, exaltauit enim Christus omnia quæ spernebat mundus, virginitatem, paupertatem, humilitatē, piscatores, &c. vt discamus ea quę mundus despicit, non semper erubescenda. *Cru-*
Crucifixū *cifixum*. Significatur hic. *Primo*, Crucis per Christum dignitas; de qua B. Andreas apud Ægæam Proconsulem: hæretici crucem fugiunt, quasi Christo ignominiosam, sed Angelo nomen *crucifixi*, plenum gloriæ est: neque enim vile Christo est, per crucem vicisse diabolum, & soluisse humani generis debitum. *Secundo*, Quod Christum non debeamus quærere,
Gal.6.24. sine cruce. Apostolo, *aberat gloriari nisi in cruce*: hanc quisquis fert, Christo cum Simone Cyrenæo adest: qui vero non fert, timendus est à Christo abesse.

Luc.24.5. Lucas Angelum scribit dixisse: *Quid quæritis viuentem cum*
Christum *mortuis*. Quæ verba non sunt increpantis, sed monentis, non
inter mor debere Christum inter mortuos quęri; vt faciunt *Primo*, Qui
tuos quę- Christo seruituri parentes cōsulunt, vel alios qui nō habent
runt. spiritum Christi. Vocatus à Deo, sequere: periculum in mora
1. est.

eſt. Dixit quidam: *Sequar te Domine, ſed permitte mihi primum renunciare his qui domi ſunt*: parentibus ſcilicet,& cognatis: reſpondit autem Chriſtus. *Nemo mittens manum ſuã ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Quaſi dicat, ſi cognatis valedicis, reſilies à bono. Cum vocatus ab Elia Heliſeus ſimiliter dixiſſet, *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* Dixit Elias: *Vade, & reuertere, quod enim meum erat feci tibi.* Quaſi dicat vide redeas; tibi enim, non mihi imputabitur, ni feceris. *Secundo*, Qui mundo volunt renuntiare, & tamen manent in mũdo. Vocabat quendam Chriſtus, (quem Clemens Philippum dicit fuiſſe) qui reſpondit: *Permitte mihi primum ire, & ſepelire patrẽ mortuum*: at Chriſtus, *Dimitte*, ait, *mortuos ſepelire mortuos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Significans; teſte Baſilio, nõ expectandam patris ſepulturam: tũ, propter periculum dilationis; tum, propter alia quæ poſſent propoſitum infringere. Inconſulto itaque agunt, qui renuntiaturi ſæculo, ſaltant, & conuiuantur prius: cum Chriſtus ne parentis quidem ſepulturam permiſerit. *Tertio*, Qui malis præſertim infidelibus familiariter vtuntur: neque id ſpe eos conuertendi; ſicut vſus eſt Publicanis Chriſtus. Ioſaphat ob nimiam cum Achab conſuetudinem, audiuit à Iehu: *Impio, præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Dei merebaris: ſed bona opera inuenta ſunt in te.* S. Ioãnes hæreticos *ſalutari* vetat. B. Paulus etiam Catholicos, qui ſint manifeſto fornicarij, auari, ebrioſi, &c. iubet vitari. Peccant ergo *primo*, Qui liberos hæreticis matrimonio iungunt, aut eis qui parẽtes habent hæreticos: facilius enim Catholicum peruertit hæreticus, quam ille hunc conuertat. Sicut in via lubrica facilius ſobrium trahit ebrius, quam ille hunc ducat. *Secundo*, Qui hæreticis vtuntur, quaſi hęretici non eſſent: ſæpe Deus horum ruinam permittit, in pœnam temeritatis. *Tertio*, Qui libros hęreticorum legunt, facit enim affectus erga authorem, vt & dogmata placeant: ſicut in Melanthone, & Eraſmo, multis contigit. *Quarto*, Qui ſocietates periculoſas amant: aulas dico, & tabernas, item detractores audiũt, & ſuſurrones, *quorum guttur ſepulcrũ patens*, quia etſi foris ſpeciem præferant, intus tamen putent.

Luc 9.6.

Luc. 9. 62.

3. *Reg.* 19. 20.

2.

Lib. 3 *ſtromatum.* *Matt.* 8. 21 *Ca.* 1 *Cõſt. monaſti.*

3.

2. *Par.* 19. 2

Epi. 2. 116. 1. *Cor.* 5. 9.

Pſal. 5. 11. *Matth.* 23. 27.

Sur-

Surrexit non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Tria hic dicit Angelus. *Primo, Surrexit.* Circa quod Nota *primo.* Resurrectionem Christi in Scriptura, aliquando Deo tribui, sub nomine *suscitationis.* Vt: *Qui suscitauit Iesum.* Et *Deus suscitauit illũ.* Item, *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* Aliquando autem tribuitur Christo, vt: *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Et, *potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam,* nascitur autem hæc diuersitas ex eo, quia Christus idem Deus est, & homo. Diuinitatis enim est, quod se resuscitarit, iuxta illud: *Prædestinatus est Filius Dei, in virtute, ex resurrectione mortuorum:* id est, Christus se ex Patris ordinatione Deum declarauit, ex hoc quod se resuscitarit: etsi enim *crucifixus sit ex infirmitate, viuit tamen ex virtute:* nempe propria, qua se viuificauit. Ora Deum vt & te viuificet, & ad gloriam corporis suscitet.

Rom. 8. 11. *Act.* 2. 24. *Psal.* 40. 11 *Ioan.* 2. 20. *Ioan.* 10. 18 2. *Cor.* 13. 4

Resurrectionis Christi nouem causæ.

Nota *secundo,* Nouem causas resurrectionis Christi. *Primo,* Decet iustitiam Dei, vt exaltet eum qui se humiliat, Christus autem infra omnes fuit humillimus. *Secũdo,* Ad robur nostræ fidei, vnde recte Cyrillus: *Si Crucifixus non resurrexisset, sed perstitisset mortuus, ego fortè non permisissem vt tolleretur in crucem.* Fabulas enim putassemus omnia, si post eius mortem nihil fuisset secutum. *Tertio,* Ad confirmationem spei: dedit enim ille nobis paradigma resurrectionis: vnde Iob, *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* *Quarto,* Vt resurrectioni eius vitam conformaremus, *& quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Sicuti enim ex sepulcro Christus prodijt glorioſus, & liber ab omni macula, sic nos baptismus mundos fecit, vt tales perseueremus: vt autem huius rei esset expressior commemoratio, baptizabãtur olim fideles in Paschate, vt resurrectionem, & constantiam in bono docerent. *Quinto,* Vt in bono proficiamus. *Resurrexit* enim *Christus propter iustificationes nostras, traditus propter delicta;* nempe, vt morte debitum solueret, & resurrectione solutionem applicaret. *Sexto,* Vt apud nos corporeos permaneret quoad corpus, in Eucharistia; quemadmodum spopondit: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Sunt enim *delitiæ eius esse cum filijs hominum.*

1. 2. *Catech.* 13. 3. *Iob* 9. 25. 4. *Rom.* 6. 4. 5. *Rom.* 4. 25 6. *Matt.* 8. 20 *Prou.* 8. 31.

Septi-

Septimo: Vt in cœlos ascendens Patri vulnera, & crucis sacrificium offerret; *semper viuens ad interpellandũ pro nobis*. Tria Sacrificiorum genera ponit Ambrosius. *Primum*, in figura solum, quod fuit in lege veteri, & sic dicitur *Christus occisus ab origine mundi*. *Secundum*, in figura, & veritate; sic Christus in Missa offertur: est enim ibi præsens verè, sed sub panis, & vini figura. *Tertium*, In veritate tantum, quod est in cœlis, vbi vulnera Christus Patri offert: duo autem posteriora offerri non possent, nisi Dominus resurrexisset. *Octauo*, Vt eum timerent mali, qui mortuum non timent. *Nono*, Ad consolationem iustorum: gaudent enim, cum tribulantur, se ab eo videri, qui regnat in corpore illo, quod tribulationes omnes passum est; ideoque *compati* potest vt docet Apostolus. 7. *Hebr.7.25* Tria genera sacrificiorum. *L Officio. cap.48.* *Apoc.13.8.* 8. 9. *Heb.4.15.*

Nota *tertio*, surrexisse Christum *tertio die*; de quo ipse prædixerat. *Sicut fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre cati, sic filius hominis erit tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ*. Nõ quod fuerit ibi tribus diebus integris; sed vnum diem habuit integrũ, primi verò, & tertij partes. Fuit ergo duabus noctibus, & vno die integro sepultus. *Primo*, vt mortem suam, ait Gregorius, significaret esse vnum diẽ iustitiæ, & destruere noctes duas; (mortis, scilicet, animæ, & corporis,) quæ peccato obtenebrantur: quod animam simul, & corpus occidit. Resurrexit *secundo* mane, mortuus vespere; vt mors culpam finiret, resurrectio aperiret vitam. *Tertio*, Non resurrexit citius, ne mors in dubium reuocaretur. *Quarto*, Noluit vltra diem tertium differre resurrectionem. *Primo*, Quia tempus hoc morti probãdæ sufficiebat: nemo enim triduum sine vitæ indicijs viuit. *Secundo*, Ne fluctuarent discipuli in fide. *Tertio*, Ne animarum salus, quam ardentissimè sitiebat, diutius differretur. *Quarto*, Vt significaret tertiam mundi ætatem à resurrectione inchoari. *Prima*, ante legem fuit. *Secunda*, sub lege. *Tertia*, sub gratia. *Quinto*. Quia cum resurrectione incepit tertius hominum status. *Primus*, sub figuris ante Christum. *Secundus*, in veritate sub fide. *Tertius*, in clara visione in cœlis, quos Christus aperuit. Lauda ergo eum, qui tantam tui curam suscepit, eiusque corpus contemplare, ac vulnera in quibus te descriptum in manibus, ac la- *Matth.12. 40.* Surrexit Christus die tertio. *4. Mor.6. 20.* *Isai.49.16*

ac latere, circumfert: neque ex eis sentit dolorem, sed gloriam habet, & maiestatem, nosque consolatur, similis fulgoris expectatione, si modo membris nostris ad Dei honorem vtamur.

Vbiquitarij refutati.

Secundum in Angeli verbis est, *Non est hic*. Ex quo discimus. *Primo*, Falsitatem Lutheranæ hæresis, quæ idiomatum communicationē ponit inter duas Christi naturas: quasi humanitas omnipotens sit, & omnipræsens; cum aperte Angelus de ea dicat *Non est hic*. Quod de diuinitate dici non posset, de qua apud Hieremiā legimus: *Cœlum & terram ego impleo*. Docet Ecclesia in vno Christo duas naturas, & idiomatū inter eas proprietatem, natura enim diuina omnipotens est, omniscia, & infinita: humanitas vero multa quidem scit, & potest, non tamen omnia: estque finita, communicatio autem idiomatum fit respectu Personę, quia idem Christus dicitur finitus, & infinitus, & homo, Deus dicitur, creator, atq; vbique præsens, scilicet quoad diuinitatem: similiter dicitur mortuus, sepultus, & non vbique, quo ad humanitatem. Sic homo quia duplici parte cōstat, ab vtraque accipit denominationes, vt ab anima dicatur bonus, sapiens, &c. à corpore calidus, frigidus: interim neque corpus est doctum, neque anima calet materiali calore. Ecclesiæ mentem rectè B. Augustinus expressit: *Illorum*, ait, *execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conātur à tempore acceptæ carnis, omnia, quæ erant diuinitatis, in hominem demigrasse, & rursum quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa: vt quod nulla vnquam hæresis ausa est dicere vinciatur hac confusione, vtraq; exinanita substantia, Deitatis, scilicet, & humanitatis, & amisso proprio statu in aliud esse mutata*. Nam si diuinitas pati potest, diuinitas non est: quia hæc imperfectiones nullas admittit: contra si humanitas vbique est, humanitas non est; quia figura caret, & loco: quæ si à corpore tollas, ait Augustinus, corpora non sunt. Neque responderi potest, etiam in Eucharistia Christum esse vbique, & carere figura: neutrum enim verum est: nam habet corpus Christi eandem in Eucharistia figurā, quam in cœlis; etsi ea non videatur: deinde aliud est idem corpus esse multis locis, quod Catholici admittunt; aliud esse omnibus locis, quod negāt. Tu ergo

Hier. 23. 24.

Ser. 191. de Tempore.

Epist. 57. ad Dau.

ergo hæc noua fuge, quia & Deum blasphemant, & Sacramẽta destruunt. *Secundo* discimus: quod etsi corpus illic realiter non fuerit, fuit tamen virtute, manſit enim virtus miraculorum, & Angelica custodia: vt discamus quomodo nos Christi sepulchrum esse possimus. Quoties Eucharistiã sumimus, Christum sumimus, qui si immundos nos inuenit, abit, impleturq; quod ait Angelus: *non est hic*: sin dispositos, & mundos, manet etiam post alteratas species, datq; nouã vitam, vt dicamus cum Apostolo; *Viuo ego, iã non ego, viuit vero in me Christus.* Gal.2.20. Atque ita simul Christus resurgit in nobis, & manet. Accipiunt enim à gratia omnes animi vires singularem vitam, vt oculi non gaudeant vanis, aut malis, similiter nec membra reliqua, sed eis sufficiat diuina cognoscere, eisque frui. Vide Christum sæpius excipias, vt ille in te perfecte resurgat. *Tertio*, Ex his Angeli verbis quæstio potest elici, vbi fuerit Christus istis 40. diebus. S. Thom. id docet nobis ignotum, quia neque Scriptura, neq; Traditio quicquam habet. 3.p.4.55.a.3. Potuit Dominus paradisum aliquando visitare, & Eliã ac Enoch, vel alia terræ loca, tanquam constitutus omnium Dominus, Apostolis aliquando adfuit, & cum eis conuersebatur, Act.1.4. non tamen continuò, ne putarent eundẽ iam Christi statum, qui fuerat ante passionem. Vnde dicebat illis: *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum*, quasi dicat, modo non sum vobiscum, scil. eo modo quo ante, alia enim vita nunc viuo, famis, sitis, omniumque defectuum experte. Huc anhela, quo enim præsenti spreta futuram plus dilexeris, eo illic glorioſiorem habebis. Luc.24.44.

Tertium in verbis Angeli est. *Ecce locus vbi posuerunt eum.* Pro quo Matthæus habet, *Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus.* Mat.28.6 Nota: Mortuũ Christi corpus vocari *Iesum. Crucifixum. Dominum.* vt diuinitatem discas nec in morte seiunctã à corpore, vel anima. Persona Filij Dei quæ mortua fuit, quo ad corpus sepulta est; quo ad animam vero, descendit ad inferos: ita vt tũc verum fuerit, *Deus est in sepulchro: Deus est in inferno*, sicuti & in symbolo vtrumq; profitemur, ac licet corpus Christi mortuum, *homo* nõ fuerit, imò nec eiusdem speciei, cuius ante: tamen sicut humanitas habuit personam diuinã,

ſic perſona eadem manſit vtrique humanitatis parti, animæ ſcilicet, ac corpori vnita, & per ſynecdochen vtriuſque denominationes accepit. Atque ex his aliquod circa fidei articulos lumen habere potes. Et Chriſtum venerare, à quo nunquam ſeparata fuit diuinitas, quo & tu ei ſic coniugaris, *vt neque vita, neque mors, neque tribulatio, neque anguſtia ab eo te ſeparare poſſit. Secundo,* Diſce reuerentem loci, in quo Chriſtus iacuit, inſpectionem, neque enim Angeli ad vana nos hortantur, vt diabolus, & mundus, ſed vt Chriſti locum videamus, quod fit *Primo,* meditatione paſſionis, ex qua habemus omne ſolatium, vt cum Apoſtolo dicamus, *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* &, *Non iudicaui me aliquid ſcire, niſi Ieſum, & hunc crucifixum.* In hoc ſepulchro ſunt omnia bona. *Secundo:* Quando nos ipſos examinamus, an in nobis Chriſtus ſit. Nam vt rectè Baſilius; nulla res tibi teipſo vicinior, nos ergo primum excutere debemus, iuxta illud Apoſtoli, *Attende tibi ipſi,* quid vero alij agant nihil ad nos. *Tertio,* In ſacrificio, altare, Chriſti ſepulchrum eſt, hic ergo roga vt te meritorum ſuorum participem faciat, teq; ad ſpiritualem ſui ſuſceptionē præparet. *Tertio* diſce. Dixiſſe Matthæum, *Venite & videte.* Quiſquis enim ſepulchrum Chriſti videre vult, venire debet, & ſi à Chriſto longius abſit, Angelum, id eſt, Sacerdotem adeat, diſcat quid agendum ſit, quis orationis, meditationis, & præparationis modus. Videtur enim Angelus verbis illis, *Venite & videte,* nos monere, vt quę in cultu Dei difficilia putantur, probemus. Multos timor à bono reuocat, qui ſi perſeuerarent, ſpe ſua maiorem ſentirent ſuauitatem. Probanda ergo prius bona, quam abijciātur. Duobus Ioan. Baptiſt. diſcipulis Andrea, &, vt putat Epiphanius, Ioan. Euangeliſta vel eius fratre, Iacobo, Chriſtū rogantibus. *Magiſter vbi habitas?* dixit ille, *Venite & videte,* ſciebat enim placiturum ſe, ſi guſtaſſent. Idem Nathanaeli Philippus ſuaſit, Chriſti benignitatem ei ſperans placituram. *Quarto diſce.* Inuitari ab Angelo Chriſtianos Ieroſolymam, vt illic Dominum adorent, *vbi ſteterunt,* ait Dauid, *pedes eius.* Etſi enim hæretici noſtri peregrinationes rideant, more dānatorum iam olim ab Eccleſia Petrobruſianorum, tamē eas

Rom. 8. 35. 38. & 39.

Sepulchrū Chriſti inſpicimus.

1.

Gal. 6. 14. 1. Cor. 2. 2.

2.

Hom. 3.

1. Tim. 4. 10.

3.

Mat. 2. 7.

Hæres. 51.

Ioan. 1. 39.

Pſ. 131. 7.

Peregrinationes deridēdæ.

& ve-

& vetus Testamentum commendat, & in Euangelio legimus, matrem Domini cum Iosepho peregrinatam in Ierusalem. Quo etiam ascendit Eunuchus Reginæ Candaces, & B. Paulus, *vt illic Pentecosten ageret*, vbi datus Apostolis iam tũc ante 24. annos Spiritus S. Atque ex eo tempore, non intermissas peregrinationes testatur Hieronymus, addens, quod non putabant se multi perfectos Christianos, nisi illic adorassent, vnde Christi Euangelium rutilauit. Ita vt non ex vicinis solum, sed *ex omnibus mundi oris* eo, vt idem refert, qui ibidem vixit, confluerent. Facit loci dignitas ad deuotionẽ, & labor pro eo susceptus testis est interni feruoris: ideoque Deo placet & peccatorum veniam meretur, ac gratiæ augmentum. Aquitanię Dux B. Wilhelmus illuc ex Eugenij III. mandato profectus, nouem annos ibidem sanctissime vixit, ac miraculis coruscauit. Quod non ideo dico, quasi omnes velim ad terram S. peregrinari, neque enim hoc, vt recte Hieronym. expedit omnibus, nempe virginibus, Religiosis, opificibus: sed, tum, vt retundam hæreticos, tum, vt pro oportunitate nonnunquam ad loca vicina peregrinemur, vbi Deus ipse hæreticos miraculis conuincit. Quorum his in terris nullus est defectus, vt in fide vera roboremur. Oportet autem hoc facere cum reuerentia, sic enim illic facilius impetrabimus, quia Deus etsi vbique sit, *tertiò tamen locis*, ait Augustinus, *certa concedit & operatur quæ non facit vbique.*

Deut 16.
Act. 8.
Act. 20. 16.
Ep. 17. ad Marce.
Ep. 27. in Epitaph. Paul.
Theol. in vit. eius c. 12. 10. Feb.
De inst. Monach.
Ep. 137. ad Hipponen.

Sed ite dicite discipulis eius, & Petro. Tria hic mulierum priuilegia. *Primum*, Manifestatur eis Christi resurrectio citius, quam Apostolis: idque *Primo*: vt quæ mortem, eædem annunciarent vitam. sic quia Eua occidit, Maria vitam concepit.

X. Tria mulierum priuileg. I.

Secundo, Quia maior erat mulierum zelus, & feruor, Apostolis domi sedentibus, ob metum Iudæorum, quos certum erat magis in viros attendere, quam fœminas.

Tertio, Ne mulierum deuotionem rideamus, cum ante Apostolos instructæ sint.

Quarto, Quia constanter cruci adstiterãt, Domino compatientes, locumque sepulturæ obseruantes. Apostoli vero omnes fugerant.

Quinto: Quia mulieres ad fidem proniores sunt, quam viri. Facilius mala credimus, quæ timemus, quam bona, quæ
Matth.28. speramus. Annas, Cayphas, alijque, Christi resurrectionem citius crediderunt narrantibus custodibus, quibus illa displicebat, quam Apostolis, qui eam optabant. Viri sępe ad fidem remissi sunt, vnde plures fœminas in templis videbis,
3 p.q.55. a.1 ad 3. viros autem in tabernis, & saltationibus. *Sexto*, Vt discamus, ait B. Thom. gloriam resurrectionis mulieribus non minus quam viris communem, etsi enim eę hic à dignitatibus multis arceantur, vt Sacerdotio, Ordinibus sacris, Consulatu, &c. quæ rationem requirunt, & cōstantiam, cum in fœminis sit passionis multum, rationis parum: in cœlo tamen multæ viris erunt beatiores, quia illic Deus omnia erit in omnibus.

2. Priuil. *Secundum*: Primæ vident Christum post resurrectionem. *Primo*, quia viderant eum sepeliri, & vltimę à sepulcro recessérant. *Secundo*, quia primæ hominum offenderunt Deum, ideoque primæ reconciliationem factam viderunt. *Tertio*,
Ioā.20.17. Mat.28.9. quia cum plures habeant imperfectiones, voluit eas Christus sanare, modum docens quo ei seruire deberent, cum omni scilicet humilitate, & reuerētia. Magdalena à tactu prohibita est, aliæ vero admissæ: quod illa solito more, sicut ante mortem, ita & nunc id tentaret, cæteræ vero maiori tum humilitate, procidentes in terram adorantes, & osculantes pedes eius. *Quarto*, Ne mulieres sperneremus, quas Christus prima sui reuelatione honorauit. *Quinto*: Quia deinceps non erant eum tam frequenter visuræ, quam Apostoli, quos de Ecclesia eiusque administratione instrui oportebat, est tamen probabile, B. Virgini frequentius Christū apparuisse: vt eam solaretur, & instrueret, solamen & magistram omnium Christianorum. *Sexto*, Quia mulieres ad resurrectionis promulgationem erant aptiores, tum ob maiorem Zelum, tum, quia in eas minus aduertebatur. Vnde potuerunt tanquam oculatæ testes mendacij milites cōuincere, ac prę-
cipue Magdalena, cuius tunc ob nobilitatem, magna adhuc æstimatio. Quod viri non audent, mulieribus delegant:
2. Reg.14. sicut & Ioab Thecuitidi reconciliationem Absalon cum Dauide commisit.

Tertium:

Tertium: Primæ reſurrectionis nuntiæ mittuntur ab Angelo, imo à Chriſto, ad Apoſtolos, nominatim vero ad B. Petr. 3. Priuil.
Primo: Vt ſicut à ſerpente peccatum per mulierem, ad caput humani generis fluxerat; ſic euangelium vitæ per mulieres à Chriſto ad Apoſtolos deferretur. *Secundo*, Quia omnibus incumbit proximi inſtructio. ideoq; nec vxorũ monita mariti ſpernere debent. Mulier ſapiens in Abela, totam vrbẽ ab excidio ſaluauit, & Abigail, maritum Nabal. Si Dei Spiritus loquitur, organum ſperni non debet; ſiue vir ſit, ſiue mulier; puer, vel ſenex; Mulieres multas Prophetides habet vetus teſtamentum, Mariam, *a* Debboram, *b* Holdam, *c* & nouũ, Annam, *d* ac quatuor filias, *e* Philippi diaconi virgines, teſte Epiphanio. *f* Danielem puerum iudicaſſe ſenes, Scriptura docet, quos nemo alius conuicerat. addit autem Sulpitius *g*, Duodennem eum tunc fuiſſe. Nolo tamen, vt propter hæc mulieres concionentur, quod ex Montani, & Pepuſitarum fonte Lutherus permiſit, contra Apoſtolum; qui ait: *Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe vti lex dicit. Si quid autem velint diſcere, viros ſuos domi interrogent. Turpe enim eſt mulieri loqui in Eccleſia.* Item, *mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed in ſilentio eſſe.*

2. *Reg.* 20. 1. *Reg.* 15.
a *Exod.* 15. b *Iud.* 4. c 4. *Reg.* 22 14. d *Luc.* 2. e *Act.* 21. f *Hær.* 87. g *In Hiſtoria.*
1. *Cor.* 14. 34. *Gene.* 3. 1. *Tim.* 2. 11.

Mulierum eſt filios inſtruere in pietate, & timore Domini; ſicut parẽtes Suſannæ fecerunt, & mater Samuelis. Apoſtolus vult, *vt etiam anus doceant adoleſcentulas prudentiam, vt viros ſuos ament*, ac Monicæ inſtar, cum omni patientia ad bonum prouocent. *ſanctificatur* enim *vir infidelis ſæpe per mulierem fidelem*. *Quarto*: Quia per vniuerſum orbem Chriſtus à vilioribus; & abiectis annunciatus eſt, vt doctrinæ vim diſceremus, & energiam. Simplicium miniſteria amat Deus: ex his enim eius gloria creſcit.

Dan. 13. 1. *Reg* 1. *Tit.* 2. 4. 1. *Cor.* 7. 14.

In cuius rei typum Paſchalis cereus, non ab Epiſcopo, aut Sacerdote, ſed à Diacono conſecratur. Cereus, CHRISTI typum gerit, nouo lumine fidei mundum exornantis, cuius ſacratiſſimum corpus in puriſſimo B. Mariæ vtero, quaſi cera à virginibus apibus collecta, coaluit. lychnus, anima eſt; flamma conſumens, & ardens, Diuinitas; quæ charita-

Cõſecratio cerei Paſchalis quid doceat.

tis ardore humanitatem quaſi conſumpſit. In cereo quinque foramina, vulnerum Chriſti figuram habent, quæ thus boni odoris ſpirant. A Diacono autem benedicitur, qui Sacerdotis adiutor, & miniſter eſt, ſicut mulier viro data *in adiutorium*: verba autem benedictionem non ſonant, ſed laudem, & gratiarum actionē, quia mulierum non eſt benedicere. Facta cōſecratione, cereus fonti baptiſmali intingitur, quia hic à Chriſto ſanctificatur, qui corporis ſui attactu in Iordane aquis regenerandi virtutem tribuit. Ardet cereus dies 40. quia tanto tempore Chriſtus poſt reſurrectionem cū Apoſtolis egit, recedens ab eis in die aſcenſionis, quo etiam cereus poſt Euangelium aufertur, qui tamē pridiè Pentecoſtes accenſus fonti intingitur, quia etiam in cœlis Chriſtus Sacramentis virtutem dat, & per Sacerdotes diſpenſat, vnde quomodocunq; hi ſint diſpoſiti, Sacramentum tamē, vt rectè Auguſtinus ait, ſemper idem eſt, quia Chriſtus eſt, qui illud ſacrat. Ne ſi à ſanctitate hominis Sacramenta pendeant, incerti de his ſimus, ſicut de illa. *Nota*: Non voluiſſe Chriſtum annuntiari reſurrectionem ſuam ab omnibus, ſed vt B. Petrus ait, *à teſtibus à Deo præordinatis*. Potuiſſet Chriſtus ipſe ingredi Hieroſolymam, ſeque omnibus exhibere ſpectandum, & palpandum, ac forte omnes ei credidiſſent. Sed noluit Deus. *Primo*: Quia credere debebamus, non tantum quod Chriſtus reſurrexiſſet; ſed quod reſurrexiſſet in gloria, noſq; eandem reſurrectionem expectare per ſpem debebamus: at verò ſi coniunxiſſet omnibus Chriſtus, putaſſent eū Lazari inſtar, eum corpore paſſibili reſurrexiſſe, noſq; ſimiliter reſurrecturos. *Secundo*, Vt glorioſi corporis doceret dignitatem, cui ſpectando nos ſumus inepti. Duo rerum genera creauit Deus. *Vnum*, Mūdi ſenſibilis, in quo omnia ſunt ſenſibilia. vt cælum, aſtra, homines, &c. Et vocantur corpora naturalia. *Alterum* ordinis ſuperioris, in quo Spiritus ſunt, & animæ poſt mortem, qui ordo ſuperat naturam, & ad eū corpora beatorum, præcipuè vero Chriſti, (quod non citra priuilegiū à mortalib. eiſq; paucis conſpici potuit) pertinēt. *Tertio*, Quia publica hæc apparitio exiguæ fuiſſet vtilitatis. Pauci .n. mortuorum apparitionibus reſipiſcunt, vt Abrahā inſi-

Geneſ. 2.

Tract. 6. in Ioann.

Duo ordines creaturarum.

1.

2.

inſinuat: *Si Moyſen, & Prophetas nõ audiunt, neq; ſi aliquis ex mortuis reſurrexerit credent.* obſtinatio perſuadet eſſe phantaſmata, quæ videntur, & illuſiones. ſic Iudæis factum in reſurrectione Chriſti, & Apoſtolis cum Dominum viderẽt ambulantem in aquis. Quos carnalia deſideria excæcant, rarò reſipiſcunt. Refert de viro nobili Stephano, Gregorius, quod Conſtãtinopoli mortuus poſtridiè reuixerit, quia alius nomine *Stephanus* faber ferrarius, citatus eſſet. hic multis poſt annis vixit, & in maxima illa peſte Romæ obijt, quem alius dein mortuus poſtea rediuiuus, vidit, ponti anguſto inambulantem delabi, ſed à viris candidis ereptum eſſe diabolo, & ſuſtentatum. Monet autem Gregorius, eum eleemoſynis adiutum, ſed in continentia fuiſſe grauatum; quia poſt primam mortem non reſipuerat. vt diſcamus, pœnas inferni viſas quoſdam iuuare, quoſdam vero nihil; qui teſtimonium de eis tantum ore perhibent. *Quarto*: Volebat Deus Eccleſiam ſtabilire per fidem, iuxta illud *Beati qui non viderunt & crediderunt*. fidei vero Apoſtolorum, miracula ſufficiunt; & nobis, ſeculorum omnium, & totius orbis conſenſus.

Luc. 16. vl.

Matt. 14. 26.

4. Dial. c. 36.

Ioa. 20. 25.

Mittuntur mulieres ad Apoſtolos (quos apud B. Ioannem Chriſtus *fratres* vocat) & Petrum, *primo*: Quia non annuntiabatur reſurrectio eis, qui eam vel nolebãt, vel non guſtabant, quales ſunt ſæculares, & qui in peccatis putreſcentes, nolunt cum Chriſto reſurgere; ſed eis qui in bono perſeuerantes, audiunt: *Vos eſtis qui manſiſtis mecum in tribulationibus meis*. item eis, qui, cum B. Petro, verè pœnitent, agnumque Paſchalem ſumpſerũt. Vis de Chriſti reſurrectione gaudiũ? peccata defle, confitere, vita, & Euchariſtiã, quæ Paſcha noſtrum eſt, ſume. *Secundo*: Vt diſcamus, qui ſint in ſpiritualib. adeundi. Non vult Chriſtus, vt mulieres omnibus reſurrectionem concionentur, ſed ad futuros concionatores, Apoſtolos, eas mittit. Erant inter primos Chriſtianos multi, qui Chriſtum poſt reſurrectionem viderant, ex omnibus tamen vnus eligitur Matthias, qui id cum alijs Apoſtolis promulget. Non debent ſæculaies, etiamſi Epiſcopis, & Sacerdotibus ſe putẽt doctiores, concionari. nam & mulieres hę plus, quam Apoſtoli, de reſurrectione nouerant. Eccleſia ordine

Ioan. 20. 17 **Cur mulieres miſſæ ad Apoſtolos.**

Luc. 22. 23

ſtat, ſicut & Reſpublicæ, in quibus nemo officium capit, niſi vocatus, nec officinam aperit, niſi à tribu admiſſus.

Petri mẽtio cur? Petrus autem peculiariter exprimitur, *Primo*: quod Caput eſſet Eccleſię, vti Patres omnes docent. *Secundo*: quia peculiariter præ alijs peccarat. Diſcimus itaque *Primo*: Dei miſericordiam, qua peccata ſeriò pœnitentibus facilè remittit, ita vt nunquam ea exprobret. ſicuti remiſit B. Petro, & quidem, ait Nazianz. petente id B. Virgine in cruce. cui dictum

In Chriſto patiente.

Iubeo nihil te hic anxiam, ô Virgo parens.
Condono Petro quicquid eſt lapſus, tua
Vel vnius cauſſa.

Secundo: Peccata etiam grauiſſima non auferre Eccleſiaſticam dignitatem, etſi id negarint olim hæretici. Petrus Eccleſiæ petra manſit, etiam poſt negationem. & niſi ita eſſet ſemper de ſuperioribus eſſemus dubij, ſicut dubij ſumus de eorum bonitate. Semper ergo Superiores honora, & in eis Chriſtum, imo quò ſuperior eſt peior, eò ſit tibi Chriſtus honoratior, qui tantum tibi bonum, per organum adminiſtrat tam malum.

XI. *Quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.* Angelus *Galilæa* meminit, vt memoriã refricaret eius, quod Chriſtus dixerat: *Ego cum reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*, & intelligerent Apoſtoli iam impletum, quod tunc promiſſum. Sex autem de cauſſis Apoſtoli in Galilæam mittuntur.

Matt. 26. 32.

Apoſtoli cur in Galilæam?

Prima: Vt liberiores cum Chriſto loquerentur, qui, ait Chryſoſtomus, Ieroſolymis metu Iudæorum continebantur. *Secundo*, ait Hieronymus, quia ibi Chriſtus frequens prædicauerat, imò, vt Matthæus dicit, prædicationem inchoarat. *Tertia*: Quia erant & illic multi diſcipuli, quibus ſe Dominus exhibere voluit. *Quarto*: Quia volebat illic dare apparitionem quaſi vniuerſalem, nempe coram *plus quam quingẽtis fratribus*, vt docet Apoſtolus. *Quinto*: Vt ſe à Iudæis ſignificaret ad gentes migraturum, quorum maior futura religio. *Sexto*: Quia vt Chriſtum videamus, à peccato tranſmigrare debemus ad virtutẽ; ait Gregorius. *Galilæa* enim *tranſmigratio* eſt.

1. *Hom.* 90. *in Matth.*
2. *Mat.* 4. 18.
3.
4.
5.
6.
Hom. 21.

Qui

Qui peccat Christum videre non potest, adeoque à peccato debet transire. Animi, & corporis mala in hoc differunt; quod hæc sentiamus præsentia, absentia non: mulier cum parit, tristitiam habet, postea vero, gaudet. illa autem non sentimus præsentia, nec turpitudinem cogitamus, aut pericula: si ergo & ipsa, & bona, sentire volumus, ad virtutem transire debemus. *Ioan.16.21*

Nota Non exspectasse Christum donec Apostoli irent in Galilæam. nam & hoc ipso die, & rursus eodē loco, ait Augustinus, post octo dies Apostolis apparet. Non audebant illi tam cito ire in Galilæam, quia à Iudæis obseruabantur, ne ergo soli manerent, & desolati, Christus aliquando se exhibet congregatis, aliquando segregatis, vt Petro, Iacobo, & euntibus in Emaus. *Primo*: Ne fide excíderent. quantum enim fluctuarint, verba illa significant: *Nos autem sperabamus quod ipse redempturus esset Israel.* q. d. Nunc vel ægre, vel non speramus. Cum tamen fides resurrectionis, vt nunc, ita & tunc, ipsis esset ad salutem necessaria: vt sciamus quia *Redemptor noster viuit*, à quo bona omnia, & resuscitationē corporis nostri exspectamus. *Secundo*: Vt posset alijs posteris resurrectio persuaderi. hoc enim quantæ difficilitatis fuerit, ex Apostolo patet, quem Areopagitæ patienter, vsque ad articulum resurrectionis, audierunt. & Festus cum resurrectionem audiret, *Insanis Paule*, ait. *Multa literæ te ad insaniam conuertunt.* & multæ inter Christianos circa resurrectionem hæreses surrexerunt. Hymenæus enim, & Philetus, resurrectionem dicebant factam, quia in generatione, parētes quasi resurgunt in filijs. Atque vtinam hodie Christiani omnes carnis resurrectionem vere crederent, non esset eis tanta carnis cura, & virtutum negligentia. Vt ergo firmiter crederemus, *præbuit se ipsum Christus discipulis viuum in multis argumentis*, loquens, conuescens exufflans, vulnera præbens, & se palpandum. vnde Ioannes, *Quod audiuimus*, ait, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerūt.* Ecce quam plenum examen, & exploratio. *Tertio*: Vt ipse Apostolos moneret, ire in Galilæam; neque enim solis mulieribus credidissent. *Quarto*: Vt Apostolos multum tristes

Lib. de cō-sens. Euāg. c.25.

1.Cor.15.6

Ioa.20.19.

Luc.24.21

Iob 19.25.

Act.17.32.

Act.26.24

1.Tim.2.18

1.Cor.15.

Act.1.3.

1.Ioan.1.

solaretur. non poterat eius amor ab illis diu separari, quo & nos eum fidamus nobis non defuturum. Præstat ergo celerrimè, quod promiserat: *Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Docet præterea, quomodo ad gaudium solidum perueniamus; nempe, si cũ ipso resurgentes, in eum semper aspiciamus, tanquam nostri amantem, qui nos hic iuuet, & locum in futuro paret. Hæc qui cogitat, non tristitiæ, sed continui gaudij materiam habet: Anima enim diuinæ pulchritudini cogitandæ, & petendæ assueta, gaudij interioris variationem nescit, teste Basilio. etsi enim aduersa irruant, tamen non obruunt; sed sicut in decursibus ad hastam miles de vulnere non dolet, quo trophæum meretur; sic nec ipsi; quin tantò gaudẽt magis, quantò per maiora aduersa, maiora sperant præmia. Mors quoque exilij terminus, & gaudij initium est. Dicebat B. P. N. Ignatius meditatum se aliquando, an posset aliquid ei contingere, quo tristaretur, respondebatque nihil tale se posse suspicari, quod non cito excuteret. quia semper cum Deo coniunctus; nihil nisi Dei voluntatem exoptabat. Huius exemplo, te totum in Deum transfunde, & quietem continuam, gaudiumque animi senties.

Ioan. 16. 12

Orat. 4.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, qui Resurrectio hominum es, & vita, qui hodie ex inferno cum ingenti præda, quam adduxeras, videlicet cum S. Patribus, te ibi præstolantibus, contristatos tuos solatus es, & recreasti, visitans illos, docens, & possessionem adiens orbis terrarum, nouamque lucem mundo inferens: rogamus te, vt nos quoque visites, & consuleris, qui in perpetuo mœrore, ac angustijs, ab externis, internisq; hostibus versamur. Hæretici perfidia infestant, mundus varijs peccatorum generibus, diabolus fallacia inenarrabili, caro prauis affectionibus, & philautia: quocunque vertimur, nihil præter laqueos, ac pericula, à corpore, & anima intuemur. Tu Domine ex his eripe nos: quia tibi cœlorum, terrarumq; potestas plenissima data est, ostende te Principem ac Redemptorem. Extirpa hæreses, proscribe diabolum, regnum sibi terram

terram arrogantem, & ab illius ſeruitute miſerabili nos eripe, & in hac ſancta ſolennitate nos recrea, vt agnum Paſchalem ſpiritali cum fame, tum ſalutis, tum perfectionis ſumamus, & per illum tecum in nouam vitam reſurgamus, in virtutibus nos roborando, ne propter carnalium eſcarum ſumptionem, carnalia deſideria ſumamus, aut perpetremus peccata, ſed ſecundum ſpiritum duamur, & ſorde tibi ſemper adhærere. O Domine Ieſu Chriſte, qui cum Patre, & Spiritu S. viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Finis partis Quadrageſimalis.

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO

In Conuocatione ad Tres opema
Contro in Dueca Quinta Ygma. 479.

00042597

